Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L.V. E. 54

ORIGINES PALATINÆ

Authore

MARQUARDO FREHERO. M.F.
Conſiliatio quondam Archi-palatino.

In quibus præter gentis & dignitatis Palatinæ primordia, tum Haidelbergæ & vicini tractus antiquitatem, multa ſcitu digna, quà ad univerſam Germaniam, quà ipſum Imperium Rom. exponuntur.

Ubi non tantùm res Palatinæ, ſed & multa alia recondita ad Rhenum, totamque adeò antiquitatem Germanicam pertinentia pariter ſuo ordine tractantur.

Editio tertia.

HEIDELBERGÆ
Sumptibus Joh. Mich. Rudigeri Academ. Bibliop.
Typis Philippi Delborn.
M DC LXXXVI.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

Dn. PHILIPPO WILHELMO

D. G. COMITI PALATINO AD RHENUM, S. ROM. IMP. ARCHITHESAURARIO ET ELECTORI, DUCI BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, COMITI VELDENTII, SPANHEIMII, MARCÆ, RAVENSBERGII ET MOERSIÆ, DYNASTÆ RAVENSTEINII,

&c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Serenisſime & Potentisſime Princeps Elector,
Domine Clementisſime.

ANte complures annos & quidem circa initium Seculi hujus floruit in re literaria Celeberrimus

Marquardus Freherus. Hic ab ineunte ætate omni doctrinæ genere ingenium excoluit ſuum, uſque dum maturitatem adeptum varios ejus fructus erudito protulit Orbi, publice in hac Academia Heidelbergenſi docendo & eruditiſſima Scripta in publicum emittendo. Neque in eo vis ingenii ſubſtitit, ſed conſiliis circa publica negotia prudentiſſimis diverſisque pro Principe ſuo obeundis Legationibus, & omnia hæc ſingulari cum dexteritate & ſolertia perficiendo, immortalem ſui famam poſteritati reliquit. Præter civilem prudentiam quâ excelluit, Scrutator hiſtoriarum & antiquitatum exactiſſimus fuit, adeo ut hoc nomine cum paucis quotquot ſunt & fuerunt comparari poſſit. Inter alia autem ingenii egregia monumenta quibus rempublicam literariam illuſtravit non infimum tenent locum Origines Palatinæ quas Author ex annalibus fide dignis non vulgari cum cura & ingenii acumine ſelegit atque deſumpſit, præter jam edita plura adhuc iſtiusgeneris & bonitatis publici juris feciſſet ſi vitæ hujus uſura, quæ Seculi hujus anno decimo quarto eidem deſiit, ma-

gis

gis diuturna conceſſa fuiſſet. Originum & Antiquitatum ſcientiæ quanta ſit in vita civili utilitas omnibus patet, ut que in deſuetudinem abierunt per hasce illuſtrationem, omiſſa autem & dubia ſuppletionem & meliorem interpretationem recipere poſſint, cujus prolixiorem deprædicationem illis relinquam qui accuratiore judicio fontes rerum rimantur, ne rivulos conſectando magis ſeſe oſtentare quàm aliis prodeſſe velle videantur. Provinciarum Origines multorum, Palatinatus verò ad Rhenum nullius magis quàm Tui, Sereniſſime Princeps Elector, ſcire intereſt, hic enim dum quod per Caroli Principis Anteceſſoris Tui p. m. præmaturum obitum ſibi ereptum dolebat, per Te divina moderante Providentia eidem cumulatiſſimè viciſſim reſtitutum, omnes boni & patriæ amantes gaudent. Admirando Virtutes Tuas Heroicas inter quas Clementia & Prudentia coruſcant, pro incolumitate Tua, ætatis venerandæ prolongatione, Sereniſſimæ Prolis Tuæ ulteriore felicitate, majorique in dies incremento dum vota nuncupant, meum quoque ex devotiſſima ſubjectione pro-

fectum jungere volui. Sit regimen Tuum pacatum, tranquillum & longa pace firmatum! ſit omnigenâ felicitate abundans pro communi Germaniæ, imo & totius Chriſtiani Orbis bono! Ne autem votiva hæc mea apprecatio prorſus nuda ſit, eandem comitari auſus ſum chartaceum hoc levidenſe munuſculum in iterata editione libri jam bis impreſſi & denuo à me nunc recuſi conſiſtens, cujus novam editionem Sereniſſimo Nomini Tuo inſcribo, conſecro & dedico, ut Sereno eandem vultu adſpicere, ſolita Clementia & Patrocinio Tuo dignari quàm clementiſſime placeat, humillime rogat

Serenitatis Tuæ Electoralis

Subjectiſſimus ſervus
Joh. Mich. Rüdiger,
Academiæ Heidelb. Bibliopola.

CAPITA LIBRI.

I. De Comitivæ Palatinæ origine & dignitate. Palatia [illegible] [illegible] inter Principes. Palatinatus Rheni jultus Du- [illegible]

II. [illegible] [illegible] ad ripas Rheni peragi solita. Periegesis ditionis [illegible] 6

III. De Francia Orientali latissimè patente. Theodeberti [illegible] [illegible] Rex Germaniæ. Franconia hodierna, & [illegible] 9

IIII. [illegible] [illegible]

V. [illegible] Franciæ tota. Lupodunum. Veteranorum [illegible] [illegible]

VI. [illegible]

VII. [illegible]

VIII. [illegible] In ea [illegible] [illegible]

VIIII. [illegible] [illegible] regiuncula. Alia. 32

X. Hunnorum coloniæ ab Imp. Gratiano ductæ, unde Hundesruck pagus. Ejus ſylvæ, flumina, villæ. 37

XI. Pagus Navenſis. Nava fluvius. Dumniſſum Auſonii. [illegible] Caput [illegible] [illegible] [illegible]

XII. [illegible] Cæſarea. [illegible] Friderici II. Imp. [illegible]

XIII. [illegible]

XIIII. [illegible] Neoſtadienſis [illegible] [illegible] Palatinum. Neapolis Nemetum. 67

De

n

XV. De pago Spirenſi. Nemetes. Noviomagum vetus. Nemidona, Spirea. Terpſipolis. Alia. 70

XVI. Reliqua tractus Rheni. Vicus Iulius. Tabernæ Rhenanæ. Neuburgum. Saletio, ubi patrimonium Adelheidis Aug. Fundatio cœnobii ejusdem. 76

XVII. Rhenus aurifer. Aurei Rhenenſes. Metalla Palatina. Varia. 79

XVIII. Alia Rheni decora. Vinum Rhenanum. Mons Lurlaberg. Ara Bacchi. Salmonis captura. Ancorago piſcis. Alia.

XIX. Novæ Civitatis & arcis apud Manhemium vetus per Fredericum IIII. Electorem Palatinum fundatæ auſpicia. 80

XX. Chronicon breve civitatis Heidelbergæ. 93

Petri Pithoei IC.

Obſervatio

DE COMITIBUS PALATINIS, TAM GERMANIÆ QUAM GALLIÆ.

EXCERPTA E LIBRO EIUS SINGULARI, cui titulus: Memoires des Comtes de Champagne & Brie &c. Paris, *1581. & in Latinum converſa per M. F.*

IN VETERI HISTORIA FRANcorum primorum Regum quoties mentio fit Ducum & Comitum, nunquam equidem titulum illum Ducis accepi pro dignitate perpetua, qualem habemus hodiè; ſed tantum pro genere quodam officii & adminiſtrationis, pro quo ipſi Duces ſacramentum fidelitatis præſtabant ſuo Principi, qui illos deſtituere & revocare poterat pro arbitrio. Ita intelligo quod Ado, Sigebertus, & alii ſcribunt, Pipinum Regem Auſtraſiæ habentem duos filios, nimirum Drogonem & Grimoaldum, majorem feciſſe Ducem Campaniæ, minorem vero Majorem Palatii. Quamvis tunc quidem veriſimile ſit in ejusmodi perſonis, conditionem Ducis grandiorem quandam auctoritatem continuiſſe: neque etiam præcisè negare velim, illo ævo aliquem Ducem obſervari poſſe hæreditarium; quod dicere poſſumus de Comitibus Britanniæ jam dudum antea, ſub poſteris adeò ipſius Chlodovei. Dux igitur tunc erat, qui ſub ſe habebat provinciam aliquam, aut plures Comitatus. Ita enim annales Pippini (qui poſtea adglutinati

ſunt Aimoino monacho S. Benedicti ad Ligerim) narrant, *ipſum fratri Griffoni in prælio capto, donaſſe duodecim Comitatus, ad morem Ducum.* Et poſtea de Ludovico Pio, *illum Baldrico ademiſſe ducatum Forojulienſem, atque ita ejus poteſtatem diſſectam in ter quatuor Comitatus.* Quod ipſum memini mea libi annotaſſe fuſiùs.

Lib. IIII. *cap.* 61. *Lib.* V. *cap.* 11. *Adverſar. lib.* 1. *cap.* 8.

Ducibus igitur ſub ſe habentibus aliquam provinciam aut complures Comitatus, ſive quatuor, ſive duodecim, aut quotcunque numero; Comites ipſi ſæpe territorium nonniſi unius civitatis ſua gubernatione tenebant, quæ vocabatur *Comitatus*, & ipſi Comites ejus loci: habebantque locumtenentes ſuos ſpeciales, quos appellabant Vicarios, *Viguiers* Gallicè; Leges Lombardæ & uſus Feudorum hoſce *Præpoſitos* appellare videntur: & Centenarios pro conſiliariis vel aſſeſſoribus (quorum nomen à numero illo apud Tacitum relato deſcendere videtur) nec non Denarios, Collectores, & Quartarios, ad convocandum populum cum res exigeret. Aliqui ipſorum habuerunt etiam locumtenentes generales, qui dicebantur *Miſſi Comitum*, ad differentiam Regiorum, ut diſcere eſt ex libello VValafridi Strabonis Abbatis Anguienſis, ubi comparationem facit dignitatum ſecularium cum Eccleſiaſticis ſui temporis. Erant enim etiam Miſſi Dominici ſive Regales: quorum munus erat, viſitando provincias ſibi attributas, inquirere diligentiſſimè in ſtatum totius Reipublicæ; quomodo agerent Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, itemque Comites & Judices locorum: curare ut Eccleſiæ & monaſteria commendata Vicedominis & Advocatis idoneis; & ut jurisdictiones tam Regales quàm Eccleſiaſticæ bono & debito modo adminiſtrentur; ſatisfacere deſideriis & querelis ſingulorum provincialium, præſertim verò viduarum & pupillorum: denique procurare & expedire omnia quæ poſſent: & reliqua, quæ ipſi componere non poſſent, remittere ad ipſum Regem, & coram de ſingulis ex fide referre. Conventus & juridicina eorum in principalibus locis ſuæ provinciæ, dicebantur *Miſſatica*,

De divinis offic. cap. ult.

tica, quæ etiamnum Germanica voce ejusdem ſignificationis
vulgò vocamus *Eſchiquiers*. Et huic quidem muneri plerun- Schickung
que adhibebantur clerici, veluti Abbates, cum quibusdam pri-
moribus Aulæ; ut ſub Carolo M. VVulfarius, qui poſtea ſuc-
ceſſit Turpino in Archiepiſcopatu Remenſi: ſub Ludovico
Pio Hknothadius, & Hknotfridus, &c.

Comitis certè nomen, ſi quis per ſe conſideret, inveniet
potius titulum quendam honoris eſſe quàm officii aut muneris
certi. Ideoque ſub Imperatoribus Romanis mediæ ætatis,
communis ferè fuit omnibus dignitatibus & militiis: quod hæ
plerunque darentur illis qui Principem ſectarentur (unde ſine
dubio primam originem Comitum nomen accepit: quamvis
Otho Friſingenſis de Comitibus Burgundiæ loquens, Comita- *Lib. 1. geſt.*
tuum aliud etymon prodat ſatis abſurdum, dicens apud Ligu- *Frider. Imp*
res *ſingulos ſingulis territoria ex comminandi poteſtate Comitatus ſu-* *cap. 13.*
os appellare: non abſimile tamen ei quod Juriſconſulti noſtri de *L. 239. §.*
Territorio notarunt) ſed magis tamen ordinis civilis quàm mi- *pen. D. de*
litaris hominibus. Quæ cauſa eſt quod apud Suidam * vox *verb. ſignif* *& Heſych.*
Κόμης expoſita legitur, τῶ ὄχλου ἡγεμών, pro uſu illius tem- Κόμης,
poris. Poſtea ſub poſterioribus Orientis Imperatoribus, ea vox ἄρχων,
ita propria facta eſt officiis militiæ bellicæ, ut Comitis nomine
ſimpliciter veniat Tribunus ſive Capitaneus imperans turmæ ἡγεμών.
equitum ſive peditum, ut clarè videmus in Rei bellicæ præce-
ptis Leonis V. Imp. Quo etiam modo interpretari convenit
vocem Κόντος in hiſtoria Græca Nicetæ, de geſtis Andronici
Comneni. E contrario inter veteres noſtros Germanos & Gal-
los, id nominis aut ſimile in ipſorũ lingua olim proprium his qui
Principem in expeditione & caſtris ſectarentur & comitarentur
(Tacitus auctor eſt, mores illorum gentium deſcribens) tan-
dem ita ad civilem ordinem redactum eſt, ut Comes diceretur
& acciperetur pro Judice aut Præfecto alicujus territorii aut re-
gionis, à Principe iſthuc conſtituto: quemadmodum in anti-
quis legibus omnium iſtorum populorum Septentrionalium

Graſſ. nomen *Graſio* nil ſignificat aliud. In quo ut omnis dubitandi occaſio amoveatur, viſum eſt inſerere hoc loco formulam conceſſionis ejuſmodi Comitivæ, ex libro formularum Marculſi, qui eandem communem facit Ducibus & Patriciis: prout certè (ſi verum amamus) excepta diverſitate territoriorum, parum videtur fuiſſe differentiæ inter has dignitates, quantum ad poteſtatem ordinariam, etiam ſub poſteris Chlodovei Magni, ſub quo vixiſſe Monachum illum exiſtimo in regno Burgundiæ non procul Turono, & forte circa Gregorii Epiſcopi ſæculum, aut paullo ante. Igitur tenor Regiarum litterarum, pro ejus ævi

Formula Marculſi. Latinitate eſt talis: PRÆCIPUE *regalis in hoc perfecta conclaudatur clementia, ut inter cunctum populum bonitas & vigilantia requiratur perſonarum: nec facile cuilibet judiciariam convenit committere dignitatem, niſi prius fides ſeu ſtrenuitas videatur eſſe probata. Ergo dum & fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus, in pago illo quem anteceſſor tuus ille.. uſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi in agendum regendumque commiſimus: ita ut ſemper erga regimen noſtrum fidem inlibatam cuſtodias, & omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, quàm reliquæ nationes, ſub tuo regimine & gubernatione degant & moderentur: & eós recto tramite ſecundum legem & conſuetudines eorum regas: viduis & pupillis maximus defenſor appareas: latronum & malefactorum ſcelera à te ſeveriſſime puniantur, ut populi bene viventes ſub tuo regimine gaudentes debeant conſiſtere quieti: & quidquid de ipſa actione in fiſci dicationibus ſperatur, per temetipſum annis ſingulis noſtris ærariis inferatur.*

Hinc colligi poteſt, quæ eo tempore fuerit Comitivæ dignitatis conditio: quæ quidem in iiſdem terminis, aut ſaltem citra mutationem aliquam inſigniorem, permanſiſſe videtur ad regnum uſque Caroli Simplicis, & proximorum ejus ſucceſſorum. Quo tempore regno Francorum in tantam confuſionem & perturbationem prolapſo, quanta præſumi mente facilius quàm cognoſci ex Hiſtoriis poteſt, quilibet aliqua poteſtate ſubnixus

nixus

nixus (nimirum in turbido piſcandi oportunitate data) uſurpare & retinere ſibi cœpit, quod potuit. Cui licentiæ magno adjumento fuit illa honorum à patribus in filios continuatio: res nunquam temerè admittenda in ſublimibus. Tunc igitur Duces & Comites illi, qui in pluribus civitatibus ſoli erant, tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares, ſibi non defuerunt, quin munera ſuæ fidei & perſonæ commiſſa, ſibi propria & hæreditaria ſuis facerent, imò & nova occuparent & invaderent. Quod eadem audacia continuarunt ſub Hugone Capeto, qui non auſus eſt neque etiam valuit eos inde exturbare, alibi occupatus in retinenda & firmanda ſibi nova potentia; & abundè contentus, ſi ab eis ſaltem ut Princeps & ſupremus ſuorum Parium & Baronum recognoſceretur. In quam rem valde notandus eſt locus Regionis, qui circa hoc tempus Abbas fuit in monaſterio Prumiæ in regno Lotharingiæ: ad quod quamvis ipſius ſermo propriè pertineat, referri tamen æquè poterit ad VVeſtraſiam: ANNO DCCCLXXXVIII. *Carolus Imp. III. obiit pridie Idus Ianuarii, ſepultusque eſt in Augea monaſterio, &c. Poſt cujus mortem regna quæ ejus ditioni paruerant, veluti legitimo deſtituta herede, in partes à ſua compage reſolvuntur, & jam non naturalem dominum præſtolantur, ſed unumquodque de ſuis viſceribus Regem ſibi creari diſponit. Quæ cauſa magnos bellorum motus excitavit: non quia principes Francorum deeſſent, qui nobilitate, fortitudine, & ſapientia regnis imperare poſſent; ſed quia inter ipſos æqualitas generoſitatis, dignitatis ac potentiæ, diſcordiam augebat, nemine tantum cæteros præcellente, ut ejus dominio reliqui ſe ſubmittere dignarentur.* &c.

Nunc dicamus de titulo Palatini, quem aliqui noſtrorum Comitum Campaniæ etiam uſurparunt. In quo ut ii qui exteriori ſpecie rerum ducuntur, facile capiuntur levi ſpecie aut colore veriſimilitudinis: ita qui rem exquirunt penitius, non poſſunt acquieſcere niſi rationes videant vulgatis firmiores. Primò quisquis eos deducere volet à Palatinis illis aut Comitibus Palatii in Jure Romano, magnopere aberrabit. non tan-

tum quod altius eorum originem repetere videatur quàm conveniat, ſed etiam quod voces illas aliter interpretari quàm ſint intelligendæ. Palatini enim appellatio generalis eſt, & communis omnibus qui officium aut munus aliquod gerunt in palatio Imperatoris: & ſpecialiter aliquando attribuitur miniſtris & apparitoribus eorum qui dicebantur *Comites rerum privatarum*, *Comites ſacrarum largitionum*, & *Comites ſacri patrimonii.* Imo apud Suidam Palatini dicuntur etiam genus panum ab Imperatoribus in Conſulatu publicitus diſtributum, ita dictum quod ex Palatio præberetur. Et Comes Palatinus aut Comes Palatii non eſt officium aliquod ſingulare, ſed titulus modò honoris & dignitatis, qui adquirebatur ſervitio Principi in alio aliquo officio Palatino aut domeſtico multis annis cum fide præſtito, per quod perveniebant ad gradum illum Comitis primi aut ſecundi ordinis: quod contingebat vel Medicis Principis ordinariis, hac dignitate ab illo inſignitis. Ille verò qui etiam gerebat titulum Palatini, cujus functio multum accedit ad noſtrum Magnum Magiſtrum, non dicebatur *Comes Palatii* ſimpliciter, ſed *Caſtrenſis* aut *Comes & Caſtrenſis Sacri Palatii:* & qui ſub ejus diſpoſitione erant, veluti pædagogiani & alii quidam, dicebantur *Caſtrenſes* & *Caſtrenſiani.* Quod nihil attinet pluribus hoc loco probare: quamvis novum forte videri poſſit iis qui non bene cognitum habent ſtatum declinantis Imperii Romani. Tum verò ab ipſis Comitibus noſtris ſatis apparet, eam dignitatem Magni Magiſtri diverſam eſſe à Palatina. Videmus enim eodem tempore Theobaldum Comitem Bleſenſem, Seneſchalcum Franciæ (quem antiquiſſimi hiſtoricorum noſtrorum Francorum interpretantur *Grand-maiſtre*) & Henricum fratrem ejus majorem, Comitem Palatinum; qui tamen nullam ejusmodi functionem habuiſſe reperitur in aula Regis. Præterea invenimus in Hiſtoriis noſtris, idemque Robertus Abbas de monte S. Michaelis in continuatione Chronicæ Sigeberti teſtatur, Seneſchalciam ſive Majoratum domus Franciæ quodammodo unitum fuiſſe cum Ducatu Andegavenſi, beneficio

Παλατῖνοι.

Grand-maiſtre.

Roberti

Roberti Regis collato Galfredo Griſogonnellæ, propter adjutorium quod ei impendiſſet contra Imp. Ottonem: quod poſtea tranſlatum ad alios, renovatum & confirmatum fuit per Regem Ludovicum juniorem circa Annum MCLXX. in favorem Henrici filii Regis Angliæ, qui facto homagio de Andegavenſi Comitatu & de Cenomanenſi, quodammodo in poſſeſſionem miſſus fuit ejus dignitatis, ſerviendo Regi ad menſam publicè. Interea tamen nuſquam legimus Comitem Andegavenſem eo tempore geſſiſſe titulum Palatini. Ne tamen hoc loco quidquam diſſimulemus, quamvis plerique Hiſtoricorum Francorum nomen Magni Seneſchalli accipiant pro Magno Magiſtro, Guilielmus certè Epiſcopus Tyrius in hiſtoria Belli Sacri ultramarini, id refert ad Græcorum *Medagomeſticon:* quem Liutprandus Diaconus Papienſis militibus præeſſe dicit, Vincentius Beluacenſis Principem equitatus interpretatur. Et quidem in veteri Conſtitutione *De conſecratione & coronatione Regis*, is cui Rex ſpatham è manibus Archiepiſcopi Rhemenſis acceptam tradit, ſibi præferendam, vocatur *Seneſchalcus Franciæ:* à quo id officii translatum poſtea videtur ad magnum Conneſtabilem, nomen verè Francicum, utut aliunde id deducere conati ſint, ſed multas vices & mutationes expertum, ſi quod aliud è ſublimioribus officiis Franciæ. Non abs re igitur eſt, quod Magni Magiſtri partes longè diverſas à Palatino eſſe ſtatuo. Neque paulo veriſimilius fuerit, hujus dignitatem ad Majorem illum Palatii accommodare: quem tamen vix credere poſſum nomen *Pfaltzgrafii* unquam geſſiſſe, cujus officium mihi plane aliud ab illo videtur, ut cognoſci etiam poteſt ex diſtinctione Electorum Imperii. Accedit quod titulus ille *Majoris* (quem tamen Robertus Abbas accommodaſſe etiam Seneſchalco videtur, confundens tres illas voces, Majoris Domus, Seneſchalci, & Conneſtabilis Franciæ, & pro uno accipiens) non in uſu amplius erat inter Francos tempore noſtrorum Comitum, neque dudum antea: tempore Caroli M. alio vocabulo interpolatus quàm Palatini, aut potius (ut mihi quidem videtur)

Libro VI. *cap.* 5.

Conneſtable.

detur) planè abolitus. Neque etiam oſtendi poteſt, hoſce Comites ejusmodi dignitatem apud Principes noſtros habuiſſe, adeoque nec Comites Palatii Regii dictos, quemadmodum alii omnes ejus gradus, ſed cum hac adjectione, *Palatinos Troiæ, aut Meldenſes, Campaniæ aut Briæ*, aut utrumque. Præterea nunquam reperitur plures uno Majores Domus aut Palatii una vice in ſingulis Regnis (nam & Burgundiæ regnum quandoque ſuum habuit) extitiſſe: cum è contrario facile ſit plures & diverſos Palatinos ſimplices uno tempore numerare, qui ſuæ tantum regionis & territorii gubernationem tractabant, non ſtatum Regni univerſalem, quod antiquitus pertinebat ad Majorem Palatii. Quod facile cognitu eſt ex hiſtoria Eginhardi, in Carolo M. qui illum appellat *Palatii & Aulæ Præfectum:* ut appendix Aimoini *Gubernatorem & Ducem* non Comitem *Palatii*.. Sed totum hoc expediri poteſt unico loco Gregorii Epi-

Lib. IX. cap. 30. ſcopi Turonenſis: ubi dicit ſub Childeberto Florentianum fuiſſe Majorem Domus Regiæ Romulfum Comitem Palatii, eosque ſimul miſſos deſcriptores in Pictavos ad cenſum à populo exigendum. Interea non diſſimulabo, ab Aimoino ſubinde has dignitates confundi, tam ante quàm poſt Caroli M. tempora: quæ res jam pridem nonnullis errandi occaſionem præbuit. Verum hujusmodi in rebus ſolius Gregorii auctoritas (quem dicere poſſum ſolum & verum archetypum nobis ſuperſtitem è priſca noſtrorum Regum hiſtoria) nimio apud me prævalet Aimoino; cui aliunde didici non adeò tutò niti nos poſſe etiam in talibus rebus formulariis, in quibus probare poſſem incontinenti plus æquo ſibi permiſiſſe, accommodantem ſuo ævo (quod non tam eſt remotum quàm multis videtur) verba maximè genuina & ſimplicia veterum ſcriptorum, quibus ipſe abuſus eſt dum Latinitatem ſuam oſtentare ſtuduit. Qua in parte, qui illum continuarunt, magis religioſos ſe probarunt, ut alibi fortè fuſiùs demonſtrandi locus dabitur.

Ut igitur ad rem propius accedamus, & de Palatinis dicamus, quæ vero maximè proxima diſcere licuit; certum eſt ſub

antiquis

antiquis noſtris Regibus & Imperatoribus Francis & Alemanis Comitem Palatinum (quem negare equidem nolim nomen ſuum à Palatio duxiſſe) eum fuiſſe, qui conſtitutus & delegatus erat à Principe vel Imperatore ad dijudicandas controverſias in aliqua regione aut provincia. Ita Abbas VValafridus, auctor propter vetuſtatem octo prope ſæculorum inprimis fide dignus, libro ſupra allegato, poſt comparationem Ducum cum Metropolitanis, & Comitum cum Epiſcopis; addit eos quos Franci Magnos Capellanos vocant, idem eſſe inter Eccleſiaſticos, quod ſunt Comites Palatini (quos & *Prætores* vocat) inter dignitates ſæculares: *Quemadmodum*, inquit, *ſunt in Palatiis Prætores vel Comites Palatii, qui ſæcularium cauſas ventilant, ita & illi, quos ſummos Capellanos Franci vocant, clericorum cauſas Prælati.* Poſtea ſubjicit, Capellanos minores ita eſſe, ut hos quos *Vaſſos Dominicos* Gallica conſuetudine nominamus: dictosque eſſe primitus *Capellanos* à cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis ſolebant ſecum habere: Quemadmodum poſtea armare ſe ſoliti ſunt Oriflammeo (quoad vocabatur) qui erat gladius deauratus aut framea, habens in apice vexillum purpureum, quem ſolebant accipere ab altari S. Dioniſii per manus Abbatis ibidem magna cum ſolemnitate, eumque tradere viro equeſtri ſpectatæ virtutis, juranti ipſum cuſtodire ad honorem Regis & Regni: ut didici ex Oratione quadam antiqua habita ad Regem in ſuſceptione iſtius Oriflammei, & Annalib. Rigordi. Et huic loco Walafridi convenit, quod Eginhardus de Carolo M. ſcribit: *Cum calciaretur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam ſi Comes Palatinus litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introducere juſſit, & veluti pro tribunali ſedens lite cognita ſententiam dixit.* Unde apparet eo tempore, quamvis auctoritas Majorum Palatii veluti ſepulta eſſet, fuiſſe tamen non minus quàm ſub Regibus præcedentibus Comitem quendam titulum habentem à Palatio Regis, non Palatini ſimpliciter: qualis erat

De divin. offic. cap. ult.

Oriflamme.

ſub Childeberto Romulfus, & ſub illo ipſo Carolo Imp. Anſelmus, qui occubuit in ſtrage illa ad Roncivallem, cui poſtea ſucceſſit Woradus: ſub Ludovico Pio Reginarius, Adhalardus, Bertricus, Morhardus, & alii. Item legimus ſub Carolo Calvo, aut paulo poſt, Fulconem quendam Comitem Palatii, ad quem extat Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis epiſtola, * rogantis ut ſuperſedeat cognitioni ſuper accuſatione quadam coram ipſo inſtituta contra presbyterum quendam Diœceſeos Sueſſionenſis, quod hoc judicium ad Synodum Epiſcoporum non judicem Laicum pertineret.

*inter editas Moguntiæ 7. & 8.

Et hæc quæ de Palatino diximus, adhuc melius declarantur tam ex antiquo jure Suevorum quam Saxonum, quod Speculum Saxonicum vocant: in quo Articulo LII. libri tertii dicitur, quod *Palantzgravius judex exiſtat Imperatoris, ſicut Burggravius Marchionis.* Et titulo LXIIII. dicitur, *Palantzgravium ſub banno judicare Imperiali, & ideo ei ſexaginta ſolidos pro mulcta dari: cum aliorum judicum inferiorum, qui non ſunt Imperiales, mulcta ſit minor, puta triginta aut decem ſolidorum, ſecundum gradum ſuæ Jurisdictionis.* Deinde adjicitur Artic. LIII. *Quælibet provincia Teutonicæ terræ ſuum habebat Palantzgravionatum, Saxonia, Bavaria, Franconia, & Suevia: quæ antequam à Romanis ſuperabantur, Regna fuerunt, à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata.* Imò Articulo LXII. enumerat in Saxonia ſeptem feuda vexillorum (quemadmodum enim Regna conferebantur per ſpatham ſive gladium, ita nobiliora feuda ſecularia ut provinciæ per vexillum, Eccleſiaſtica feuda per ſceptrum, cætera feuda per baculum ſive ſcipionem) nimirum unum Ducem, unum Comitem Palatinum, qui in Palatinatu ſuo habebat quinque civitates, quæ *Palantia* dicuntur, in quibus Rex legitimis debeat curiis præſidere, unum Landgravium, tres Marchiones, & unum Comitem. Ita invenimus in Bavaria antiquitus fuiſſe Palatinos de Scheyrn & Witelſpach, qui aliquando dicti ſunt *Palatini Bavariæ*, à quibus dicuntur deſcendiſſe Principes illi qui hodie ſunt Palatini Rhe-

Pfaltzen.

ni Rheni: qui & ipſi mihi videntur initio ex hoc genere Pfaltzgraviorum fuiſſe: cùm ipſa Bulla Caroli IV. Imper. illos dicat ex conſuetudine antiqua Judices eſſe in cauſis quæ Imperatori moventur; id quod Jus Saxonicum (ut modo audivimus) attribuit Palatinis omnibus ſine diſtinctione. Interea non dubito, deinceps Palatinum Rheni magna incrementa feciſſe potentiæ & auctoritatis, maximè ab eo tempore quo Ludovicus Bavarus Palatinatum illum Rheni impetraſſet à Friderico Imp. in Comitiis Ratiſponæ circa Annum MCCXV. & jam ante factus eſſet primarius Elector Imperii, & in hac qualitate Palatini Electoris multas prærogativas ſupra reliquos haberet, ut eſſet proviſor & ſuperintendens Imperii vacantis, cum poteſtate inter alia judicandi vice Imperatoris non tantum in Palatinatu ſuo Rhenenſi, ſed etiam in Suevia & Franconia; in quo tamen Gloſſa Speculi Saxonici ait Archiepiſcopos Treverenſem & Moguntinum eſſe Palatinos reſpectivè. Et ſimiliter per eandem Bullam permittitur Duci Saxoniæ, par officium exercere in terris, quæ reguntur Jure Saxonico: ratione (ut veriſimile videtur) veteris illius Palatinatus, poſtea redacti & uniti ad dignitatem illam ſuam Ducis eminentiorem, una cum cæteris officiis inferioribus, de quibus ſupra diximus. Neque vel hoc negavero, bonam partem hodierni Palatinatus Rheni, antiquitus habuiſſe nomen PALLAS: ſed perſuaderi ſeriò non poſſum, Palatinum Rheni ab ea regione nomen ſuum accepiſſe & retinuiſſe. Ne enim diſputationem illam ingrediamur, an quo tempore primò dignitatem illam Palatini ad Rhenum nactus eſt, dominus fuerit in ſolidum aut pro parte illius regionis quæ *Capellatium ſive Pallas* apud Ammianum Marcellinum legitur, & an ea regio nomen illud priſcum inter Germanos retinuerit (quod profecto probatu difficillimum fuerit, cum maxima veriſimilitudo ſit in contrarium) ſanè ſi inde à Pallante illa nomen duceret, nonniſi ineptiſſimè diceretur & ſcriberetur Comes *Palatinus* (ut ab omni *Lib.* XVIII. *in Iuliano.*

antiquitate obtinuit, & hodieque uſurpatur) ſed neceſſariò di- ci deberet *Pallantinus:* & præterea nihil opus eſſet adjectione *Rheni*, quæ nil aliud vult quàm ut diſtinguatur ab aliis Palatinis, cum quibus alias (ut eſt ſupra expoſitum) videtur illam appellationem habere communem, quippe titulum officii pluribus competentem, & per nomen provinciæ propriæ demum diſtinguendum. Scio ad hoc replicari poſſe, quamvis Germani dicunt *Pfaltzgraff*, & Latinè *Palatinus*, tamen vicinos eorum, ſcilicet Lotharingos & Burgundiones (quorum majores aliquando collimitia ſua habuerunt ad eam regionem cui

Palantin. nomen erat Pallas) efferre idiomate ſuo ſolent *Palantinos*. Sed viciſſim dico, veterem interpretem legum Saxonicarum ſemper vertere ſolere *Palantzgravium:* unde cognoſcere licet, vetus & populare idioma pronunciationemque eam fuiſſe, nullo reſpectu ad regionem illam Pallantiam: quandoquidem indifferenter illo utitur, etiam ubi agitur de aliis Palatini titulum habentibus, non ſolum illo Rhenano. Poſſet etiam objici,

Pfaltzgraff bey Rhein. Germanos non dicere *Palatinum Rheni, ſed Palatinum ad Rhenum, juxta Rhenum*, ſignificantes ſitum regionis. Ut Guntherus lib. VI. Ligurini tali deſcriptione utatur:

- - Hermannus ſacræ Comes additus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

Verum is ipſe utique auctor eos deducit (non hoc tantum loco ſed & aliis) à Palatio Imperatoris, non à regione aliqua; quam nec credibile eſt per tot ſæcula nomen illud vetuſtum Pallas retinuiſſe. Interea tamen de tota hac re judicium illibatum relinquam illis, quibus facultas erit hæc talia penitius ex veteribus literarum monumentis inveſtigandi: quibus equidem manus potius dabo, quam argumentis à me hactenus adductis, utut in utramque partem ſatis ponderis habere videantur, & plus forte habeant in illam, in quam ego nunc quidem minus inclinem. Quidquid ſit, Otho Friſingenſis Epiſcopus loquens de Conrado Palatino Rheni appellat ſimpliciter Comitem Palatii: idemque mentionem facit alterius Palatini Italiæ, ſedem habentis

bentis in Lunello caſtello Imperiali, de quo loquens Guntherus lib. III. Friderici ita ſcribit:

Et nunc ille Comes conſors & Regius aulæ,
Ille potens princeps, ſub quo Romana ſecuris
Italiæ punire reos de more vetuſto
Debuit; injuſtè victrici cogitur urbi
Ut modicus ſervire cliens, nulloque relicto
Jure ſibi, Dominæ metuit mandata ſuperbæ.

Et de hoc Palatino Italiæ intelligo locum Liutprandi lib. II. ubi dicit, Odalricum Comitem Palatii & plures alios proceres Italiæ conjuraſſe contra Berengarium Regem. Quantum ad Palatinos Poloniæ, cum ex graviſſimis ſcriptoribus didicerim, eam provinciam quondam ex pertinentiis Imperii fuiſſe, idque munus apud illos non aliud quam Ballinatum aut præfecturam aliquam contineat, quamvis ſit hæreditarium, * non dubitabo eos ad eandem claſſem Palatinorum referre, de quibus ſupra egimus: judicium tamen ſalvum relinquens ſuper illorum origine, atque etiam aliorum Palatinorum qui ſuperſunt in Anglia & alibi, his quibus illarum regionum rationes melius ſunt cognitæ: cum noſtri inſtituti minimè ſit de iſtis amplius diſquirere hoc loco.

* *imò minimè.*

Unum addam, Imperatorem hodieque retinere jus illud creandi Comites Palatinos: in quo nec Papa illi concedere quidquam voluit. Uterque igitur concedit Bullas, quibus Comitum illorum factitiorum poteſtas plerunque reſtricta eſt ad tria principalia, quorum ultimum retinere videtur primæ inſtitutionis partem potiſſimam; nimirum creandi Notarios & Tabelliones, legitimandi ſpurios, conſtituendi Judices ordinarios. Quemadmodum expreſſa iſta leguntur inter alia in privilegio Foreſtariorum de Bergamo conceſſo per Ludovicum Bavarum Imp. Anno MCCCCXXX. in quo creantur Comites Palatini cum exemptione & immunitate omnium onerum. Sed hæc poteſtas nunquam recepta fuit in noſtra Gallia, imò à majoribus noſtris palam rejecta pro erronea, tam in

creatis ab Imperatore, etiam in provinciis quæ adhuc inter nos retinent Imperii nomen, quam in creatis à Papa, quos ipſi Canoniſtæ tenent non eſſe propriè Comites. Et nuſquam equidem exiſtimo reperiri aliquem Comitem Palatinum factum à noſtris Regibus jam inde à Carolo Calvo. Nam quod ad Comites Burgundiæ & Duces Lotharingiæ, qui ſe etiam dixerunt *Palatinos*, non poſſum aliter in animum inducere, quam ex creatione Imperatoris tales factos: quod quidem ex antiquioribus hiſtoriis Germanorum melius quam ex noſtris cognoſci poteſt. Idemque adducor ut ſtatuam de Comitibus noſtris Campaniæ, non habere illos eam dignitatem à Rege Franciæ: qui quidem quo tempore primum id tituli uſurparunt, *Palatini* vel *Palazini* (ita enim frequentius ſcriptum in antiquis chartis reperitur) Rege minime favente utebantur, ſeque hoſtes ejus & inimicos declaraverant. Primus enim quem eo titulo palam nomen ſuum proſcripſiſſe inveniam, eſt Theobaldus Magnus, qui continuis bellis infeſtavit Ludovicum Craſſum ejusque patrem: quem Sugerius Abbas S. Dionyſii hoc titulo nominat antequam eſſet Comes Trojæ aut Campaniæ, quos Comitatus demum ſenex nactus eſt per adquiſitionem Hugonis avunculi ſui, cum prius Comitatus tantum Chartres, Bleſenſem & Meldenſem haberet, ſeparatos utique à Comitatu Trojæ, ut infra dicetur. Neque verò uſquam memini eis à Regibus noſtris in veteribus inſtrumentis id tituli tribui. Unde igitur eum adeptos dicemus? Quod ſi in ejuſmodi dubiis uti fas eſt conjecturis, donec tempus rei veritatem forte aperiat, auſim dicere; Quemadmodum legimus Philippum Flandriæ Comitem irritatum tranſactione quadam, ad quam velut invitus petractus erat, excuſſa obœdientia Regis Philippi Auguſti homagium feciſſe Henrico Imper. Friderici Barbaroſſæ F. eodem modo Comites illos noſtros habentes infenſum ſibi Regem Franciæ, firmandis rebus ſuis ab Imperatore Germaniæ accepiſſe Palatini titulum pro terris ſuis, vel ſaltem propria ſponte uſur-

Palatin, vel Palazin.

patum

patum connivente illo retinuiſſe. Quod ut pro certo affirmare nolim, non habens unde ad liquidum probari poſſit: ita maxima ſpecie veri ſubnixum puto, etiam apud illos qui ſtatum regni hujus ſub poſteris Capeti usque ad Ludovicum Craſſum ejusque ſucceſſorem probe perſpectum habuerint. Maximè verò ad hanc opinionem me perduxit locus Chronicæ Hermanni Comitis Veringenſis loquentis de Theobaldo Ottonis II. F. ſub Anno MLIV. *Henricus Imp. Maguntiæ Paſchale feſtum celebravit, ubi Theobaldus Ottonis ad eum de Galliis veniens, & miles ejus effectus, auxilium ſuum illi pollicitus eſt.* &c. Porro inter jura Palatinatus quæ ſupra expoſuimus, Theobaldus ille ejusque ſucceſſores hoc eximio gaviſi videntur, quod habuerunt Parlamenta ſua & magnas (quas vocamus) dietas, quas tenebant in ſuis Palatiis, ſtipati Comitibus & Vaſallis veluti Paribus ſuis. Unde auctor quidam juris Gallici ſatis vetuſtus etymologiam Palatini deducere conatur; quem titulum tribuit non ſolum Duci Burgundiæ, ſed etiam Normanniæ & Britanniæ, & Comiti Flandriæ, quos ſolos dicit habere Palatia. Idemque hoc jus continuarunt Reges Franciæ longo tempore, ex quo Comitatus illi lege feudi ad ipſos redierunt, conſervantes (ut veriſimile eſt) jus illud Palatinatus in pari propemodum auctoritate cum ſuis Parlamentis, ut cerni poteſt ex Conſtitutionibus Philippi Pulchri, qui *Jours de Troyes* illa vocat, & bis jubet teneri annis ſingulis. In quo ipſo tamen auſim dicere vix ſatis ſuperioritati Regiæ fuiſſe conſultum: quam ob cauſſam deinceps omnes tituli Palatinatus & alii tales, quos Comites ſimplices ſibi uſurpaverant, evanuerunt.

Grands jours.

HISTO-

HISTORIOLA DE EXORDIO CAPELLÆ FRAWENKIRCHEN.

Hujus mentio ſupra fol. 39.

TEmporibus beati Hyldolfi Archiepiſcopi Treverenſis, qui Pallatio Offtendinck reſidebat, factum eſt paſſagium contra paganos. Erat autem in pallatio Treverenſi nobiliſſimus Palatinus nomine Syffridus Chriſtianiſſimus, qui ſumpſit ſibi uxorem de ſtirpe regia filiam Ducis Brabantiæ, nomine Genoſeva, pulchram nimis, quæ die noctuque quando tempus ſibi arriſit & vacare potuit, Beatæ Mariæ Dei genitrici fideliter ſervivit, & in tantum eam dilexit ut quidquid de rebus temporalibus habere potuit, pro ejus amore pauperibus erogavit. Propter nimiam ejus pulchritudinem precepit Palatinus tempore quo eum abeſſe contingeret, ipſam in pago Meiſeldenſi in caſtro Symern morari propter illicita evitanda, quia timebat propter nimiam ejus pulchritudinem ipſam transgredi, nullamque habens prolem adhuc cum ea. Ut decuit, Palatinus eundi cum aliis ſe diſpoſuit quanto citius potuit: convocans Barones militesque omnes quos habere potuit ad dictum paſſagium perpetrandum, inter quos erat Golo miles, Princeps militiæ, Palatino propter ejus ſtrenuitatem multum charus. Convenientes omnes in caſtro predicto & in locis vicinis, Palatinus verò conſilium poſtulans dixit: Date nobis conſilium, cui noſtra committere & noſtrum facere officiatum generalem poſſimus. Omnes quotquot erant concordarunt in Golonem, quo audito addito juramento factus eſt officiatus generalis. Nocte verò ſequenti Palatinus condormivit cum uxore ſua; ex ordinatione divina (ut piè creditur) uxor concepit. Mane autem facto Palatinus Golonem militem ad ſe vocari precepit dicens: Golo, Ecce uxorem uoſtram dilectiſſimam & totam terram noſtram tibi ad cuſtodiendum fideliter committimus. Interim Palatiniſſa trinies in terram cadens ſemiviva jacens. Quod Palatinus videns, territus eam elevat dicens: O domina Maria, tibi & nemini

mini

mini alteri conjugem meam dilectiſſimam ad cuſtodiendam, flendo amplexando, oſculando, cæteraque amicabilia ſigna oſtendendo, nam ſe invicem mirabiliter diligebant, & ſic finaliter recedendo, valedicens ſibi abivit. Quid plura? non poſt multum tempore Golo miles perfidus exarſit in amore Palatiniſſe, cupiens cum ea adulterare. Blandiſſimis & luxurioſis verbis ſæpius eam impetendo, ſic ait: O domina, novit Deus quod præ nimio amore quem ad vos habeo, longoque tempore habui, neſcio quicquam facere: rogo igitur ut vobis condormire valeam. Ad bona domina ac chriſtianiſſima mulier reſpuens, dicens ſe potius velle mori quam transgredi thorum dilectiſſimi viri ac domini ſui. Interim venter ejus tumeſcebat, de quo multum perfidus miles gaviſus. Quadam autem die idem Golo acceſſit ad dominam ſuam Palatiniſſam, habens literas propriis manibus conſcriptas, dicens eam decipere cupiens: O domina dilectiſſima, ecce literæ iſtæ mihi deſtinatæ ſunt, ſi placet enodabo. Quæ ait, legatis. Quibus auditis, Ingemiſcens domina Palatiniſſa, percipiens dominum ſuum & maritum dilectiſſimum periiſſe in mari cum omni exercitu ſuo, flevit amarè, & Beatam Mariam Virginem deprecabatur dicens: O domina mea Virgo Maria, unicum refugium meum, reſpice, reſpice in me totaliter deſolatam. Et ſic præ nimio dolore obdormivit paululum. Interim virgo Maria ei apparens cum magna claritate, dixit: Conſtans eſto, filia mea: Palatinus vivit, ſed aliqui ex ſuis mortui ſunt in pace. E vigilans itaque domina Palatiniſſa, à virgine glorioſa confortata, cibum petiit. Golo perfidiſſimus cibaria aptiſſima aſportare fecit ad comedendum. Tum prius ad Palatiniſſam accedens, volensque eam cohortare ad transgrediendum, dicens: O domina, ut audiſti ex literis, dominus noſter mortuus eſt, & uxor mea ſimiliter: & cum totum palatium ſub ditione mea ſit, poteſtis me recipere in virum veſtrum, incipiensque amplexare eam, & cum oſculum ei dare vellet, ipſa Palatiniſſa confiſa de adjutorio virginis Mariæ, pugno eum quantum potuit in faciem percuſſit. Et ut vidit Golo ſe fraudatum ab intentione ſua, deſperans ſtatimque omnes camerarios abſtraxit ei, ſimiliter & pediſſequas.

diſſiquas. Venit tempus pariendi, peperitque filium decorum nimis & dilectum; ad quam nulla mulier accedere aut conſolari eam audebat, præter ſola nutrix vetula, lotrix, omniaque mala quæ facere poterat attemptavit. Et cum ſic miſerrimè viveret, venit nunctius domini ſui ad Palatiniſſam, dicens: Dominus noſter Palatinus vivit, ſed aliqui ex ſuis mortui ſunt; & interrogavit eum Palatiniſſa dicens: Ubi eſt dominus meus Palatinus? edicito mihi ſtatim. Qui reſpondit, in civitate Argentinenſi. Gaviſa eſt gaudio magno, plus quam enarrari poteſt, credens liberari à nequiſſimo milite. Tunc venit perfidiſſimus Golo. Ea quæ Palatiniſſa percepit, ei retulit. Quo audito obſtupuit perfidus miles, expaveſcens timuit, flens cum ejulatu magno dicens: Heu me miſerum! quid faciam ignoro. Statimque hoc percipiens quædam antiqua vetula, commorans ſub monte caſtri antedicti, venit ad Golonem dicens; O domine, quid eſt aut quid obeſt tibi? dicito mihi: Et ſi acquieveris conſilio meo, citò liberaberis à mœrore & periculo. Et reſpondit miles: Scis ne tu, quomodo vel qualiter egerim cum domina noſtra Palatiniſſa & male? Scio cum dominus venerit, mortis ſupplicium non evadam: ſi verò tu dederis mihi ſanum conſilium evadendi, tu & tota domus tua bene habebit. Et dixit vetula: Eſt conſilii mei: domina noſtra peperit, & quis ſcit an coquus vel alius eam cognoverit? Et ſedens computans receſſum & diem, qua enixa eſt puerpera, & comperit quod ultimo die in receſſu domini concepit. Et dixit, quis poteſt hæc veraciter ſcire, cum nullus interfuit? Ite igitur ad dominum Palatinum dicatis ei, quod uxor Palatiniſſa de coco concepit & peperit. Scio quod morte tradet eam, & ſic liberaberis. Reſpondit miles: ſanum eſt conſilium tuum. & acquievit. Veniensque ad dominum ſuum Palatinum, ei retulit ſicut edoctus fuerat à vetula. Cum verò Palatinus à perfido milite hæc audivit, mœrore concuſſus, magnis ſuſpiriis & querimoniis dixit: O domina virgo Maria, tibi dilectiſſimam conjugem meam commendavi: & quare eam cadere permiſiſti? quid faciam, ignoro: O Deus conditor cœli & terræ, dimitte ut terra ſe aperiat, meque deglutiat, melius enim eſt mihi, ut moriar, quam cum transgreſſoribus habitem.

Et

Et accedens perfidus miles ſecundum conſilium velulæ, ait: O domine, per juramentum non licet nec decet habere dignitatem veſtram talem mulierem. Et Palatinus; quid ergo facturus ſum? Golo perfidus dixit: Vadam, & eam cum infantulo ad lacum ducere faciam, & utrimque in aqua demergantur. Palentinus dixit: placet. Statimque habita properavit ad partes diabolo inſtigante perfidus miles, puerperium accedens: manum mittens in dominam ſuam Palentiniſſam & filium ejus. Circumſtantibus clicntibus ait ad eos: Arripite hanc & prolem ejus, & implete juſſionem domini noſtri. Qui reſponderunt: quid præcepit dominus noſter? At ille: Ut morti tradantur iſti. Qui dixerunt: Quid enim mali fecerunt? Perfidus ille dixit: Ite & facite præceptum domini, aut moriemini. Servi verò triſtes acceperunt dominam & infantem de puerperio ad damnandum eos, abduxerunt eos in ſilvam, unus ſervorum dixit: quid enim malefecerunt iſti innocentes? Et altercatio oriebatur inter eos. Tunc unus eorum dixit: ô fratres & amici mei dilectiſſimi, neſcimus quomodo & qualiter actum ſit cum domina noſtra & filio ejus, qui nobis ad damnandum commiſſi ſunt. Et reſponderunt unanimiter, ſcimus: Et dixit unus ſervorum fidelis, quid enim mali fecit? Addito juramento reſponderunt omnes, nihil, innocens eſt ab omni crimine. Et dixit fidelis ſervus: Quare ergò damnabimus eam cum filio? Inter quos unus: Poteritne quis nobis vias dare dimittendi? Et dixit fidelis; Aſſignabimus eis manendi. Melius eſt enim ubi beſtiæ eos devorent, quam quod manus noſtræ coinquinentur. Et dixerunt alii, quid ſi receſſerint hinc? Et dixit: Domina noſtra dabit fidem manendi, & abſque dubio manebit, quod & factum eſt. Inierunt conſilio pro interſigno habendo. Fidelis dixit: Canis ſequebatur nos: credo nobis à DEO miſſum. Abſcindamus linguam ejus, ut demus pro interſignio, quod mortui ſint. Quod itaque factum eſt, & receſſerunt. Statim ut vidit perfidus Golo eos venientes, dixit: ubi relinquiſtis eos? Et dixerunt: Interfecti ſunt. Et hæc damus pro interſignio, monſtrantes linguam dominæ. Dixit quoque perfidus miles: Vos eritis domino noſtro

& nobis chari, quod impleviſtis juſſum domini, credens ſic eſſe. Palentiniſſà itaque relicta cum puero in horribili loco, flendo dixit: Heu me miſeram, quæ in abundantia nimia enutrita & educata, modo pœnitus nihil habens deſolata. Puer verò nondum erat triginta dierum. Dum autem lac non haberet ut puero præſtaret, flevit bona mater, omni ſolacio privata humano, confiſa de adjutorio virginis Mariæ, ſicque eam allocuta eſt: Domina virgo Maria exaudi me peccatricem damnatam, cum innocens ſim ut noſti à crimine hujus, ne derelinquas me. Scio quod nemo niſi tu & filius tuus unigenitus me liberare & nutrire poteſt. Erue me domina & Virgo inclita Maria à feris crudeliſſimis. Statim audivit vocem dulciſſimam dicentem ſibi; amica mea dulciſſima te nunquam derelinquam. Poſtmodum non eſt audita vox illa, ſed per diſpoſitionem omnipotentis Dei cerva veniens, & ſe ad pedes infantuli proſtravit. Mater ut vidit factum, ſtatim mammas cervæ infantulo appoſuit, & ſuxit puer. Manſit Palentiniſſà cum puero in eodem loco annis ſex & menſibus tribus. Ipſa verò enutriebatur herbis quæ inveniebantur in nemore: habitaculum ejus erat ſtrues lignorum extenſum & circumligatio rubetarum quantum bona mater potuit. Evolutis verò ſex annis & tribus menſibus prædictus Palentinus omnes milites & faſallos ſuos convocari juſſit, volensque facere convivium magnum die Epiphaniæ domini. Cumque aliqui ex eis quaſi major pars in vigilia vel citra adveniſſent: Palentinus pro ſolacio advenientium præcepit ut omes venatum cum eo non diſtulerent ire. Cumque Venatores canes incitarent, ſubitò cerva quæ puerum nutrierat, apparuit. Canes verò latrando venatoresque clamandò proſequebantur. Palentinus cum ſuis prout poterant ſequebantur. Golo verò perfidus miles dereliquit ſonum canium, ſequebatur tamen à longè. Cumque cerva evadere non poſſet, currit ad ſtratum ubi ſolebat alere puerum: Et dum venerat ad locum, proſternebat ſe ad pedes infantuli, ut ſolebat. Canes latrando proſequebantur, cupientes cervam capere. Et dum vidit bona mater animal ſibi cœlitus miſſum à canibus privari, per baculum quem tenebat manu quantum potuit canes fugabat.

bat. Interim Palentinus cum ſuis veniebat, & cum vidit hoc miraculum, dixit: Fugate canes. Quod fecerunt, placuitque Palentino loqui cum ea, & non cognovit eam: Et ait, es ne homo Chriſtianus? Et dixit mulier; Chriſtiana ſum, omni tegmine corporis nudata, ut ipſe cernis nam & corporis turpitudinem habeo intectam, præbe mihi pallium quo circundatus es, ut corporis turturpitudinem valeam cooperire. At Palentinus: præſto ſum. Cumque eſſet circundata pallio, dixit Palentinus: ô mulier, non exhibuiſti tibi cibum aut veſtimentum? At illa: Panem quidem non habeo, ſed nutriebar herbis quæ inveniebantur in hoc nemore: indumentum verò præ nimia vetuſtate ſciſſa ſunt & conſumpta. Indica obſecro quot anni ſunt quod huc veniſti? At illa; Sex annos & menſes tres hic habitavi. Palentinus dixit; cujus eſt filius ille? Quæ reſpondit, meus eſt filius iſte. Delectabatur verò multum in aſpectu pueri, & dixit. Quis eſt pater pueri? At illa: Deus hoc novit. Palentinus dixit: quomodo huc veniſti & quomodo appellaris? edicito mihi. At illa, nomen meum Genofeva eſt. Statimque ut audivit nomen Genofevæ, cogitavit an ipſa eſſet uxor ſua. Et accedens unus camerarius quondam Palentiniſſæ dixit: Per Deum mihi videtur quod domina noſtra longo tempore mortua, iſta ſit, nam & cicatricem in facie habuit. Videamus an ne ipſa habeat. Intuentes omnes in eam, invenerunt, ſicut camerarius dixit. Ait quoque Palentinus, annulum ſubarrationis habuit. Et accedentes duo milites ad perſcrutandum, invenerunt annulum ſubarrationis. Statimque amplexabatur eam Palentinus oſculando. Tum puero dixit flendo: verè tu uxor mea es; ad filium verò; verè tu filius meus es. Quid plura? Bona mulier, qualiter ſibi acciderit, totum de verbo ad verbum coram omnibus qui aderant enarravit. Flevit quoque Palentinus cum omnibus ſuis. Et cum omnes præ gaudio flerent, venit & ipſe perfidus miles: ſtatimque omnes irruerunt in eum, volentes eum occidere. Dixit autem Palentinus: tenete eum, donec cogitemus, qua pœna ſit plectendus. Et factum eſt. Poſt hæc decrevit Palentinus recipi quatuor boves nondum ad aratrum

trum applicatos, & quemlibet bovem ad quatuor partes corporis ligari, videlicet duos ad pedes & duos ad manus, & eorum voluntati committere: Et cum ſic alligati eſſent, quilibet cum parte ſua receſſit, & ſic in quatuor partes corpus ipſius perfidi Golonis diviſum eſt. Poſt hæc Palentinus voluit dilectiſſimam cum filio ſuo ſecum abducere. Ipſa quoque negante dixit: Beata Maria Virgo me & filium meum cuſtodivit in hoc exilio à feris crudeliſſimis & à feris puerum meum nutrivit; Non recedam niſi locus iſte in ejus honore ſit dedicatus & conſecratus. Statim Palentinus ambaſiaſſum miſit ad Hyldulfum Epiſcopum Treverenſem pro conſecratione illius loci. Et cum omnia narrata fuiſſent ſancto Hyldolpho Archiepiſcopo, gaviſus eſt gaudio magno, & venit die Epiphaniæ, conſecravit locum illum, In honore ſanctæ & individuæ Trinitatis & Beatæ Mariæ Virginis. Poſt conſecrationem loci adduxit Palentinus Palentiniſſam uxorem ſuam, cum filio ſuo. Grande quoque convivium fecit cunctis advenientibus. Palatiniſſa verò rogabat dominum ſuum dicens: ô domine rogo te ut eccleſiam in loco conſecrato erigi facias, & redditibus bonis dotare velis, quod Palentinus conſenſit. Palentinus itaq; cuncta cibaria uxori ſuæ Palentiniſſæ & ejus naturæ convenientia procurare, ut commederet, diſpoſuit: Ipſa verò Palentiniſſa cibaria ferre non potuit, ſed tamen herbis crudis, quibus conſueta erat in ſex annis & tribus menſibus, utebatur & colligi fecit. Vixit quoq; Palentiniſſa à die quo erat inventa, videlicet à Vigilia Epiphaniæ uſque ad quarto Nonas Aprilis, qua die migravit ad dominum, Palentinus autem ut promiſit, Capellam in eodem loco in honorem Mariæ virginis erexit, & ibidem ſuam dilectam ſepilire fecit magnis clamoribus fletibusq;, quam Capellam Sanctus Hyldulphus conſecravit, & indulgentias videlicet quadraginta dierum eidem contulit. Ipſa die conſecrationis duo miracula contigerunt, & etiam poſtea multa fiebant quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Affuerunt eodem tempore duo ibidem, videlicet unus cæcus & alter mutus: cæcus lumen recepit & mutus loquelam, qui gratias Deo agentes Virginiq; Mariæ, quæ talia dignati ſunt facere miracula ſeu operari.

operari. Palentinus talia videns & audiens, ad Apoſtolicam deſtinavit ſedem pro indulgentiis impetrandis. Sanctiſſimus verò Papa tunc temporis annum pœnitentialem omnibus in honore Beatæ Mariæ Virginis Capellam erectam à Palentino viſitantibus omnibus feſtis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Epiphaniæ, & dedicationis ejusdem, ac per octavas eorundem feſtorum, Miſericordiam de injunctis pœnitentiis relaxavit.

ORIGINUM PALATINARUM COMMENTARIUS.

MARQUARDO FREHERO AUCTORE.

COMITIS PALATII DIGNITAS antiquitus quæ fuerit apud Romanos & Francos: item de Curo palate, & Majore Domus.

CAPUT I.

NE vel de Palatio, vel de Comitiva dignitate rem ſatis notam altius repetam, hoc tantum dicam, Romanos Principes varii generis adminiſtros, cum equeſtris ordinis & militares, tum togatos & juriſperitos à conſiliis ſecum habuiſſe: omnes initio *Comites* dictos, & *in Comitatu Principis verſari.* Eosque tanto plerunque numero, ut ipſa Principis aula & reſidentia *Comitatus* dici cœperit, & *ſacer Comitatus*, qui in Codice paſſim occurrit, & apud Lampridium, Marcellinum, aliosque. A quo deinceps *Comitiaci Comitatenſes* & *Pſeudocomitatenſes* dicti.

Alciat. ad tit. C. de excuſ. artific. Cujacius 1. Obſer. c. 25.

Et illi quidem Comites fuerunt: de quorum variis generibus

ribus conſulat, qui volet, Lazium.* At Palatinorum nomen latius etiam patebat, quo veniebant omnes non tantùm Comites, ſed etiam inferiorum ordinum miniſtri, quotquot non tantùm Principi in conſilio vel aula operam navabant, ſed etiam Præfectis & Comitibus ipſis apparebant & ſerviebant; uſque ad illos adeo etiam, quos *tineas & ſorices Palatii* Imperator quidam vocare ſolebat. Conjunctim autem *Comites ſacri Palatii* inter cæteras aulicas dignitates habitos, argumento eſt titulus XXXIV. Cod. lib. I. *De officio Comitis ſacri Palatii* (quem tamen Cujacius legit, *De officio Comitis ſacri patrimonii*) & tit. XIII. lib. XII. Cod. *De Comitibus & archiatris ſacri Palatii.* Et in vetuſtis etiam inſcriptionibus non ſemel legimus, COMITI ORDINIS PRIMI INTRA PALATIUM. Erant enim in claſſe Illuſtrium, & Comitiva eorum *Primi Ordinis* dicebatur, πρώτου τάγματος, *ſummi gradus* ait Rutilius, de Victorino Toloſate loquens:

*Lib. II. de Rep. Roma. cap. II.

Lipſ. III. Polit. cap. 10.

Illuſtris nuper ſacræ Comes additus Aulæ,
Contempſit ſummos ruris amore gradus.

Et Palatii etiam *Decurionatum* legimus apud Ammianum lib. XX. & *Palatii magiſterium*, in oratione Eumenii pro Scholis.

Porrò Germanæ gentes Latinis provinciis potitæ, Franci, Gothi, Longobardi, æmulatione Romani ſplendoris, priſcam etiam regiminis formam & aulæ dignitatumque pompam retinere ſtuduerunt. Unde factum eſt, ut non modò aliquâ ex parte Romanæ leges & inſtituta (tantum nimirum quantum & illorum idioma) ſed etiam officiorum & dignitatum illarum florente imperio florentium umbræ apud illos perduraverint. Germani ipſi adhuc hoſtes, nonnunquam honorarias quasdam dignitates à Romanis per amititiam aſſumere non dubitabant. Ipſe olim Arminius, ejusque frater Flavius, Romana ſtipendia meruerant. Clodoveus Francus conſulatum per codicillos, (ut Gregorius, P. Diaconus & Sigebertus ſcribunt) & Theodoricus Gothus patriciatum ab Anaſtaſio Imp. ſibi tri-

Apud Caſſiodor. 8. variar. butum non reſpuit, ut ipſe meminit: *Sic ſe magnorum beneficia ſemper extollunt, ut quibus imperare nequeunt, jura venerationis imponant.* Ita Theodato & Vitigi Gothorum regibus, & aliis quibusdam, patriciatum Juſtinianus contulerat. Et Carolus Magnus Francorum Longobardorumque rex, quaſi tanto faſtigio aliquid accedere poſſet, inſuper *Patricius Romanorum* diu audiit. Ita ergo victores ipſi tandem provinciis occupatis, Romanas dignitates, Præfectos, Patricios, Præſides, Conſules, Cancellarios, Comites denique libenter uſurparunt: quaſi aut majoribus titulis honeſtari, aut illam Reipublicæ formam in melius producere non poſſent. Totumque regnum Francorum, ut olim Romanum in Provincias, Præſidatus, Præfecturas, ita ipſum deinceps in Comitatus & Epiſcopatus diviſum fuiſſe legimus. Et Comitum quidem, nec non Miſſorum regiorum, proprium fuiſſe officium jus dicere, ſive adminiſtrare juſtitiam, ut Epiſcoporum res ſacras fideique diſciplinam curare, Anſegiſus ſubinde inculcat.

Nominatim autem (ut ad rem veniamus) Comitivam Palatii Gothos in Italia rerum potientes retinuiſſe, teſtis eſt apud *Lib. VII. variarum cap. 5.* Caſſiodorum formula *Curæ Palatii* (quam perſimilem dignitatem Comitivæ Palatii fuiſſe probabile faciemus) ubi eximius illi hic honos tribuitur, ut *aurea virga decoratus, inter obſequia numeroſa, ante pedes regios primus videatur incedere, ut vel ipſo teſtimonio vicinitatis ſuæ agnoſcatur Rex illi palatia commiſiſſe.* Ejus mentio eſt in l. 1 C. de comit. & tribun. ſchola. lib. XII. *Inter quos Comites etiam ſacri ſtabuli, & Cura Palatii numerantur.* Corippus in Juſtino II.

Par extans curis, ſolo diademate diſpar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura Palati.

Cujac. XIII. Obſer. 1. Eadem nempe formâ, qua *Cura Prætorii*, genus ſervi apud Trebell. Pollionem; *Cura epiſtolarum* inter officia Præfecti urbis, ** Lib. VI. Cap. 127.* in Notitia Imperii; *Cura domus*, in legibus Carolinis. * Neque hæc adeo novè, cum & *Curam haræ*, pro ſubulco, dixerit apud Ovidium Penelope Ulyſſi:

Hoc

Hoc faciunt cuſtosque boum, longævaque nutrix:
Tertius immundæ cura fidelis haræ.

Ita *Viocurus* Varroni, curator viarum publicarum. *Curopalatem* corruptè Aula Græca dixit, ut apud Liutprandum legimus, & Georgium Codinum in Notitia officiorum Conſtantinop. Longobardi ſuum quendam non Comitem, ſed *Rectorem Palatii* habuerunt, cujus meminit Paul. Warnefridus: *Hic cum (ut ſuperius diximus) ſub Juſtino adhuc Cæſare palatium regeret.* Franci in ſua Curia, qui hoc officium gereret, *Domeſticum* primitus dicebant, ut didici ex Venantio Fortunato, ita ſcribente ad Condam Domeſticum: *III. Hiſt. Longobard. c. 1[illegible]*

Inſtituit cupiens ut deinde Domeſticus eſſes.
Creviſti ſubito, crevit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda Palatia tecum:
Plaudebant vigili diſpoſitore domus.

Quem magiſtratum altera etiam illa & æmula Byzantii Aula habebat: Μέγαν δομεστικόν: & omnino pleraque officiorum nomina communia Græcis & Francis, ut & Comitem-ſtabuli hi ſuum, cujus mentio in d. l. 1. illi Κοντοσαυλὸν, quem Notitia Græca officiorum definit, κεφαλὴν τῶν ῥογατόρων Φράγγων. Hic ergo Domeſticus idem cum Palatino: & ut hic à Palatio, ita ille à Domo regia, à qua & *Major domus*, & *Comes domus regiæ* dictus eſt. Quin magna varietate, & *Major Palatii*, & *Comes domus Regis*, & *Comes Palatii Principis*, & *Præfectus* aut *Præpoſitus* aut *Rector Palatii regii*, & *Gubernator Palatii*, & *Princeps regiminis aut Palatii* ſubinde nominatur apud Aimoinum Monachum, Eginhardum, & alios. Sed & *Ædilem Palatii* lego apud Wandelbertum: *Ubi verò ſurrexit, ad Abbatem & clariſſimum virum Gerungum, olim Palatii ædilem, nunc Monachum converſus.* Maire du Palais. Gal. *In mirac. S. Goaris, cap. 30.*

Hujus igitur ampliſſimam in aula jurisdictionem, ingentem auctoritatem, ſummam poteſtatem, & ab ipſo Rege proximam

 fuiſſe

fuiſſe, idem Aimoinus & alii Franci ſcriptores indicant: ut Præfecto prætorio apud veteres Romanos propemodum comparari potuerit. Certè non tantùm inter officiales & palatinos cæteros cognitionem ejus propriam fuiſſe, ſed & ſubditorum quorumvis deſideria audiviſſe, cauſasque quaſi ſacra vice examinaſſe illum conſtat. Walafridus Strabo: *Quemadmodum ſunt in Palatiis Prætores vel Comites Palatii, qui ſecularium cauſas ventilant, ita & illi, quos ſummos Capellanos Franci vocant.* Eginhardus de Carolo M. ita ſcribit: *Si Comes Palatii litem aliquã eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introducere juſſit, & veluti pro tribunali ſedens lite cognita ſententiam dixit.* In ipſius Caroli M. capitulari ita legimus: *Neque ullus Comes Palatii noſtri potentiores cauſas ſine noſtra juſſione finire præſumat: ſed tantùm ad pauperum, & minus potentium juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Quinimo apud primos Francorum reges, cum ipſi ignaviores eſſent, & curam regni propemodum totam negligerent, ſummam imperii univerſam penes Palatii Præfectos (qui Majores domus dicebantur) fuiſſe; & regni adminiſtrationem, omniaque, quæ vel domi vel foris agenda ac diſponenda erant, Præfectum aulæ procuraſſe, Eginhardus & Paul. Warnefridus meminerunt, quod & Cedrenus ſcriptor Græcus retulit, Majorem Domus πρόοικον vertens: ἔχειν δὲ πρόοικον γνώμην τοῦτε βασιλέως, καὶ τοῦ ἔθνους εἰς τὸ διοικεῖν πάντα τὰ πράγματα. Addit Eginhardus: *Hunc honorem non aliis à populo dari conſueviſſe, quàm iis, qui claritate generis & opum amplitudine cæteris eminerent.* Ut non fallatur, qui apud diverſos populos in eodem dignationis gradu, Latinos Præfectum prætorio, Græcos Curopalatem, Longobardos Rectorem Palatii, Francos Majorem domus (quem & *Comitem Palatinum* Hunibaldus promiſcuè vocat) fuiſſe exiſtimet. Et omnes hi ut à Rege proximi, ita in tam facili & lubrico tranſitu, ut non ſemel, inſtantibus regnorum fatis & vicibus,

De reb. Eccleſ. cap. ult.

Lib. III. cap. 77.

VI. Longobard. cap. 5. Cedren. pag. 373. 40.

bus, à Regibus ad hos ſceptra translata fuerint: uno pro multis Pipini exemplo.

Hic honoris gradus cum apud Francos eſſet tantus, per *κατάχρησιν* quandam *Palatini* etiam abſolutè dicti ſunt procerum ſummi & à Rege proximi: ut Rolandum illum & Rinaldum Oliveriumque expeditionis ſacræ in Saracenos apud Carolum Comites, Palatinos non tantum ſcriptores vernaculi, & Arioſtus poëta Italus, ſed etiam Græcus homo Laonicus *Hiſt. Tur.* Chalcocandeles nominat. Cujus verba Græca, quod vulgò *lib. 2. fol.* non extent, juvat adſcribere: *Τὸ δὲ γένος τοῦτο Κελτῶν λέ- 314.* *γεται παλαιόν τε, καὶ ἔργα πρὸς τοὺς ἀπὸ Λιβύης βαρβάρους* Ex MSS. *ἀποδεδειγμένον λαμπρὰ, καθ᾽ ὃν δῆτα χρόνον βασιλεῖς Ῥωμαίων* *Pal.* *καὶ αὐτοκράτορες ἀπεδείκνυόντο, οἱ τῶν Κελτῶν βασιλεῖς Κάρουλον δὲ μάλιστα δὴ τῶν βασιλέων τούτων, τὸν πρὸς τοὺς Λίβυας πόλεμον ἀνελόμενον, συνεπιλαβομένου τοῦτε ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Ορλανδίου ἀνδρὸς τόλμητε καὶ ἀρετῇ τὰ εἰς στρατὸν ἐπισήμου γενομένου, καὶ Ῥινάλδου, καὶ Ολιβερίου, καὶ ἄλλων τῶν ταύτῃ ἡγεμόνων, παλατίνων καλουμένων, συνδιαφερόντως αὐτοῦ τὸν πόλεμον καὶ πολλαχῇ κατὰ τὴν Γαλατίαν μὲν πρῶτα, μετὰ δὲ ταῦτα, κατ᾽ Ιβηρίαν τρεψάμενον τοὺς ἐναντίους, νίκας ἀνελέσθαι περιφανεῖς καὶ κλέος αὐτῷ ἀνὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ Ιβηρίαν, καὶ δὴ καὶ Γαλατίαν μέγα ἐς τόδε εὐφημούμενον ᾄδεται ὑπὸ πάντων. Λίβυές τε γὰρ διαβάντες τὸν πρὸς Ἡρακλέους στήλας πορθμὸν, κατέχον τε κατὰ βραχὺ προϊόντες τὴν Ιβηρίαν, μετὰ δὲ ταῦτα Ναβάρην τε*

χειρωσάμενοι καὶ Πορτυγαλίαν, χώραν, ἔς τε ἐπὶ Ταρρακῶνα ἐλαυνόντες τὰ ἐς τήνδε αὐτὴν χώραν καταστρεψάμενοι, ἐσέβαλον ἐς τὴν Κελτικήν. Κάρουλος μὲν οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πόλεμον ἐξενεγκόντες πρὸς τούς δε τοὺς Λίβυας, μεγάλα ἀπεδείκνυντο ἔργα, ἄνδρες γενόμενοι ἀγαθοὶ, καὶ τῆς τε Κελτιβήρων καὶ Κελτικῶν χώρας ἐξελάσαντες ἐς τὴν Γρανάτην, πόλιν ὀχυρωτάτην ἐπὶ τοῦ ὄρους τοῦ ἐς Ὠκεανὸν καθήκοντος. παρ᾽ αὐτὸν δὲ τὸν πορθμὸν κατὰ βραχὺ προϊόντες, τήν τε Ἰβηρίας χώραν πολλὴν κατασχόντες ᾤκουν, καὶ συνελαύνοντες ἐπολιόρκουν, καὶ τήν τε χώραν ἀπέδοσαν τοῖς ἑαυτοῦ προσήκουσι, τὴν Ἰβηρίαν, καὶ Ναβάρρην, καὶ Ταρακῶνα, καὶ τοὺς σφῶν αὐτῶν προσήκοντας ὑπὸ βαρβάρων πολιορκουμένους, ἀπέλυόν τε τῆς πολιορκίας, καὶ τὴν χώραν ἐπιδιελόμενοι σφίσιν ᾤκουν, ἀπολαβόντες ἕκαστος τὸ ἀνῆκον αὐτῷ μέρος, καὶ οὕτως μὲν πάντῃ κάλλιστα θέμενοι τὸν πόλεμον, ἐς τόδε ἀεὶ ὑμνοῦνται ὡς ἄνδρες γενόμενοι ἀγαθοί. καὶ Ορλάνδιον * μὲν τόν γε στρατηγὸν ὑπὸ δίψους ἐκπολιορκηθέντα ἀποθανεῖν, Ρίναλδον * δὲ διαδεξάμενον τὸν πόλεμον καταλιπεῖν τοῖς Ἰβηρίας βασιλεῦσιν, οἱ δεξάμενοι τὸν πόλεμον, ἐς ἔτι καὶ νῦν τοὺς Λίβυας τούτους ἄγειν καὶ φέρειν νομίζουσι.

Al. ὀρμᾶνδον.

Al. ῥιμαῖον.

Utrumque æquale.

Quæ ita ſonant è nova verſione Joh. Balthaſaris Baumbachii: *Gens verò iſta Gallorum antiqua eſſe dicitur, & res adverſus barbaros è Lybia progreſſos maximas geſſiſſe; quo ſcilicet tem-*

pore

pore Gallorum Reges, in Romanorum Imperatores eligebantur: Inprimis verò Carolum ex illorum regum numero, bello adverſus Lybias ſuſcepto; qui ſecum in expeditionem duxit ſororis ſuæ filium Orlandium, virum & audacia & virtute pariter, in re militari clarum, & Rinaldum & Oliverium, & alios, qui ibidem erant, Duces, PALATINOS *nuncupatos, & conjunctis viribus una cum eo, bellum gerentes: ac paſſim primùm quidem in Gallia, poſthæc in Iberia profligatis hoſtibus, ſplendidam victoriam adeptum eſſe. Cujus viri gloria per Italiam, Iberiam & Galliam quoque magnopere ad hoc uſque tempus celebratur & publicè decantatur. Nam Lybies transmiſſo freto ad columnas Herculis, ſenſim progredientes Iberiam occuparunt: poſthæc Navarram quoque ſibi ſubjecerunt, & Portugalliæ regionem, uſque ad Tarraconam incurſione facta; qua itidem in poteſtatem redacta, Galliam invaſerunt. Carolus igitur, & quos ſecum habuit belli ſocii, educto exercitu in expeditionem contra Pœnos, maximas res geſſerunt, & ut viros fortes decet, multa egregia facinora ediderunt, atque illos ex Celtiberia & Celtica ejectos, ad Granatam (urbem munitiſſimam, monti in Oceanum excurrenti impoſitam) fuga ſe recipere coëgerunt. Ab iſto freto paulatim progreſſi, maximamque Iberiæ partem debellatam obtinentes, eam incoluerunt, ex qua in hoſtes impreſſione facta, ipſos oppugnarunt. Ac regionem quidem Iberiam ſcilicet, & Navarram & Tarraconam, arcto ſanguinis vinculo junctis tradiderunt, ſuosque conſanguineos, quos Barbari obſederant, obſidione liberarunt: & diviſa inter ſe regione, càm inhabitarunt, cum quilibet portionem ad ſe pertinentem accepiſſet. Atque ita bello omni ex parte optimè confecto, ad hoc uſque tempus, quod viri fortes extiterint, ſemper celebrantur. Orlandium quidem Ducem ſiti enectum, diem ſuum obiiſſe conſtat: Rinaldum verò, qui ei in belli munere ſucceſſerat, Regibus Iberiæ illud reliquiſſe: à quibus bello continuato, adhuc Pœnorum res hoſtiliter agi & ferri exiſtimant. Cu-* jus quidem Rolandi etiam apud Colchos memoriam

Busbeq. epiſt. 3. pag. 164.

riam extare legimus. Sed & apud Hincmarum Remenſem Epiſcopum Palatinos pro proceribus dictos invenio: *Oſtendens quod de ordinando Epiſcopo non Regis vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deinde terreni principis conſenſio.*

Apud Maſſon. 2. annal. p. 165.

Francis igitur, potiſſimis Romanorum ſucceſſoribus, dignitatis Palatinæ origo maximè debetur: poſt quorum imperium cæteræ etiam gentes, Suevi & Saxones id nominis retinuerunt, ut apud Luitprandum, Witichindum, Friſingenſem aliosque ſubinde occurrit. Guntherus Poëta in eo exprimendo diverſis modis ludit, ut lib. V.

Hermannusque ſacra Comes inclytus aula.

Et poſtea: *Ille Palatinæ cuſtos celeberrimus aulæ*

Non potuit vitare Comes - - Et lib. VIII. alibique ſæpius: - - *Comes aulicus ille.* Quomodo & in epitaphio Henrici Palatini Schœnaugiæ olim ſcriptum fuit:

Princeps magnificus, Comes aulæ, gloria Rheni,
Junior Henricus - -

Et ex his apparet, verum eſſe, quod doctus vir ſcripſit, Palatinos Comites non modò Comites cæteros dignitate antecelluiſſe, ſed ab iis, quorum Palatio præfuerunt, proximum locum obtinuiſſe: Palatini verò Rheni inter Palatinos ſupremum gradum fuiſſe. Quæ res quomodo proceſſerit, deinceps exponemus.

Ciſterus de Othone III. Imp. p. 22.

DE DIVINIS GENERIBUS PAlatinorum: & unde dictos putent Palatinos hodiernos. Ubi de Palatio Trevirenſi, & Capellatio, aliisque locis.

CAPUT II.

Mirabiliter ſurgere, procedere, & variare ſolent dignitatum & nomina & munera. Comites principio dicebantur apud Germanos veteres & Romanos Principes, qui Principem ſuum ſectarentur, & ad latus ejus verſarentur:

Vel

Vel etiam, qui legatos Principis, magiſtratus, & Judices provinciales ſectarentur, eiſque aſſiderent, ut Papinianus auctor eſt. Ex horum ordine cum plerunque ſumerentur ii qui ad provincias regendas mittebantur (unde *Miſſos* Franci dicebant) factum eſt ut rectores illi deinceps *Comites* nominarentur: & comites, non jam Principis à quo aberant, ſed provinciæ, quam ipſi cum Comitiva dignitate gubernarent, ut *Comitem Africæ, Tingitaniæ, Comitem littoris Saxonici per Britanniam, Comitem Britanniæ, Italiæ, Argentoratenſem*, in Notitia jam tum ſub Honorii & Arcadii imperio legimus. Apud Francos ſanè, Comites erant judices ordinarii, qui jus per pagos dicebant: qui & *Graphiones* dicti; quæ vox in noſtro idiomate permanſit. Gregorius Turonicus in vitis Patrum, de S. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem urbem his diebus poteſtate judiciaria gubernabat.* Idem de B. Gregorio epiſcopo: *In Comitatu poſitus regionem illam per* XL. *annos juſtitia comitante correxit.* Tandem creſcente ambitione, Comites etiam honorarii facti, qui neque Principi adeſſent, neque regionem aut Comitatum haberent; ſed tantum meritis ſuis, aut Principis gratia umbratilem eam dignitatem titulotenus conſecuti. Ita etiam cum Comites Palatini initio eſſent, qui (ut diximus) aulæ & palatio præeſſent; ex eorum ordine cœperunt in primarias provincias rectores mitti: eadem prorſus ratione, qua Præfecti prætorio ex aula & palatio in provincias mitti cœperunt, & Oriens etiam, Illyricum, Africa, quin & Galliæ, ipſaque Italia, ſuos præfectos prætorio accepere, ut ex Notitia & Codice diſcimus. Ita enim & à priſcis Francorum regibus Clothario, Sigeberto, aliis, aliquando Majorem domus ſive Palatii Comitem provinciis regniſque particularibus, Auſtraſiæ, Burgundiæ, Neuſtriæ, tanquam proregem quendam, præfectum fuiſſe legimus. Atque ita diverſi Comites Palatini nati, diverſarum familiarum & nominis, qui extra aulam diverſis provinciis præeſſent, & cæteros Comites, id eſt,

L. 4. D. de offic. aſſeſfor. l. 1. §. ſed & ſ. D. de var. & extraord. cognit.

Graffen.

Cod. lib. 1. Tit. 26. & ſeq.

 Judices

judices illa dignitatis Palatinæ prærogativa præcederent. Donec tandem eo perventum, ut honorarios etiam quoſdam Comites Palatinos Romani Principes, & horum æmulatione Pontifices ſibi alligent & crearent. *

* Vid. Lancelot. Temp. Judic. lib. 1. cap. 1. § 4. fol. 76. Chaſſan. de glor. mundi Par. v. conſid. 50. Fol. 103.

Hæc origo dignitatis Palatinæ ſuperioris ſæculi ſcriptoribus, & noſtris etiam hominibus bona ex parte ignota, in miros errores illos impulit, dum Palatinorum noſtrorum Rheni principum originem inveſtigant. Fuerunt enim qui putarent, & increbuit error, eos à palatio Treverenſi (in qua urbe, dum florebat, & Romani & Franci principes non rarò aulam habebant) deſcendere. Kyriander in Treveri: *Palatium civitatis Trevirorum (unde quoque Comitum Palatinorum Rheni nomen & originem ſcriptores aliqui deducunt, ut hoc obiter in medio ſaltem relinquam) anno Chriſti* MVIII. *Adelbero Epiſcopus* LXXIV. *violenter occupavit.* Sed vetuſtior eſt error. Nam & Jordanus Paderbornenſis ita ſcribit: *Hi Archiepiſcopi debent Imperatorem eligere, adjuncto ſibi Comite Palatino, ſic dicto à Palatio quod eſt in civitate Treverenſi: quod olim fuit domus regni, à quo dicebantur Majores Domus, qui modò dicuntur Comites Palatini.* Idem tamen alibi Pipinum Majorem domus principale domicilium in Colonia Agrippina loco, ubi nunc eſt monaſterium S. Mariæ in Capitolio, habuiſſe memorat. Petrus de Andlo (auctor non contemnendus, & per nos in lucem meritò emiſſus) & ipſe ſcribit; *Pipini Majoris domus regiæ palatium fuiſſe in Treveris: à quo Palatio* (inquit) *Comites proceſſerunt Palatini, indeque nomen traxerunt.* Et alibi: *Sunt primo quatuor generoſi Principes inclytæ proſapiæ ab ævo longe producto, & apud Auguſtos principaliſſimi, ſuper quibus Romanum fundatur Imperium. Primus princeps eſt Comes Palatinus Rheni de magno Palatio Treverenſi.* Quin & Catalogus Archiepiſcoporum Treverenſium M. S. antiquus, Imperatores è regione ſingulis oppoſitos habens, in Anaſtaſio Imp.: *Pipinis ſenior, major domus, id eſt Palatii Treverici obiit. Succeſſit Karolus filius ejus.* Et in Clodolpho LVIII. Archiepiſcopo: *Karolus Martellus Pipini filius, major domus, à Palatio Treve-*

In Chronic. cap. Qui Germ. elec.

Lib. 1. de Imp. Rom. cap. 13. & 16.

Treverico ſic dictus, obiit, relinquens filios tres, Pipinum, Karolum, & Grifonem. Qui Pipinus, Dux Alemanus, Agrippinenſis & Trevirenſis, regnum Francorum eſt adeptus iſto modo &c. Ita & in veteri hiſtoriola legimus, de fundatione ædis Fravvenkirchen in diœceſi Treverenſi: *Temporibus B. Hildolfi Treverenſis Archiepiſcopi, qui palatio Oſtendinck reſidebat, factum eſt paſſagium contra paganos. Erat autem in Palatio Treverenſi nobiliſſimus Palatinus nomine Sifridus Chriſtianiſſimus, qui ſumpſit ſibi uxorem de ſtirpe regia, filiam Ducis Brabantiæ, nomine Genofeva, pulcram nimis.* Et ſanè domus illa olim Auguſta, nunc Epiſcopalis, nomen Palatii adhuc retinet. Quod ita deſcribit F. Johan. Scheckmanus in Medulla geſtor. Trever. cap. 2. *Eſt & alia vetuſtiſſima habitatio intra Urbis mœnia, quod Palatium appellatur, altis muris, magnis perſpicuis feneſtris, ex duris lapidibus quos lateres nominant ædificatum: in quo locus eſt habitationis & reſidentiæ domini Archiepiſcopi Trevirenſis. Inibi horribiles lacus & carceres, quibus mancipantur cuſtodiæ qui ob facinora ſua interimendi veniunt. Conjuncta eſt & illi antiquiſſimæ fabricæ alia nova, digna principe habitatio, præclaris aulis, perlucidis ſtubis. Idem Palatium, ut priſca edocent ſcripta, regalis ſedes fuit & habitatio: quod maximè ex epiſtola quadam D. Ambroſii elicitur, ubi refert ſe Maximum Imper. inquiſivisse in palatio ubi manebat.* In iſto magno Palatio ſub Francorum Regibus, & diu poſtea, Palatini Comites ſedem habebant: qui & perpetuam Urbis illius præfecturam ſive advocatiam gerebant; à qua regio illa urbis circa Palatium Die Graffſchafft etiamnum vulgo vocatur. A quo magno Palatio diverſum adhuc eſt Palatium minus, ſuburbanum oppidulum & caſtrum, ad ſiniſtram Moſellæ ripam, paullo infra Treverin urbem, quod *Palatiolum* vocatur, de quo Kyriander, loquens de Adelberone epiſcopo: *Palatiolum Julii Cæſaris, caſtrum juxta Treverim, tunc temporis ſitu & vetuſtate collapſum & inhabitabile, multis ſumptibus reſtruxit.* Et infra in Johanne III. *Palatiolum, quod eſt Auguſtæ Treverorum ſuburbanum oppidum ad Moſellam, cum arce & aula Pontificali magnis operibus munire inſtituit.*

Der Palaſt.

Paltzel hodieque. pag. 82. 182.

ſtituit. De eo loco ita ſcribunt Ortelius & Vivianus in Itinerario: *A Treveris ſecundo flumine Moſellæ navigantibus ad medium fere m..li tre, oppidulum eſt & arx, vulgò Pfaltz, quaſi Palatium dicas, in ſiniſtra ripa: in dextra duobus circiter miliaribus pagus Reol, veteribus Rigodulum erat.*

Itiner. per Gall. Belg. pag. 65.

Quinimò præter dictum illud Palatium, & Palatiolum, eſt adhuc ditio integra in diœceſi Treverica, continens aliquot caſtra, oppida, villas, præfecturas, cum clientelis & vaſallagiis ſuis, inter Confluentes & Andernacum juxta Rhenum, & ad Moſellæ ripam quà monaſterium Meiefeld ſitum, nec non ex altera Rheni ripa quædam complectens: quæ ditio ab antiquiſſimis uſque temporibus Palatinorum propria fuit, Pallentiæ majoris & minoris titulo nuncupata (à qua & ipſa *Palatinos* dictos non nulli autumant) deinceps circa annum Domini MCCCL. ſub Archiepiſcopo Baldvino Lutzelburgenſe Henrici VII. Imp. fratre, à Palatinis Eccleſiæ Treverenſi donata, & ab eadem feudali titulo recepta, poſtmodumque generoſis Comitibus à Virnenburg ſub feudi nomine conceſſa. De qua & infra aliquid dicemus. Sed (ut eleganter Munſterus ait) hic potius eſſet Palatinatus Moſellæ, quàm Rheni.

Groß und klein Pellenß.

Alii verò à loco quodam & caſtello ſito in ipſo Rheni alveo, è regione Cubæ, quod hodie ſpeculæ vice eſt, & etiamnum *die Pfaltz* vocatur (olim tamen & ſuo nomine *Pfaltzgrevenſtein* dictam reperio) Palatinos noſtros dictos autumant: quos quidem olim ea parte, in caſtro vicino Stalecke ſupra Bacharacum habitaſſe non ignoro, ut infra ſuo loco dicemus. Meminiſſe loci ejus videri poſſit Guntherus IV. Ligurini:

.. Hermannusque ſacræ Comes inclytus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

Quem in locum Spiegelius ſcholiaſtes ita annotat: *Non ignoro Irenicum tradere, Palatinis nomen inditum eſſe à Palatio, loco Rheno circumdato, quem nos Pfaltz appellamus, ejusque proximo verſu poëtam meminiſſe. Ego autem Cubam oppidum intelligo, quod ea tempeſtate ſedes Comitum Palatinorum Rheni fuerit. Nam quorum*

Lib. 3. Exegeſ. cap. 49.

rum hodie regia Heidelbergum eſt, nulla eis prorſus parebat ditio earum regionum, quas nunc poſſident. Hæc ille.

* Qui altiſſimè ad antiquitatem aſcenderunt, ſedem & originem Palatinorum referunt ad veterem locum *Capellatium ſive Palas* Ammiano Macellino nominatum, in Juliano: *Cum ventum fuiſſet ad regionem, cui Capellatii, vel Palas nomen eſt, ubi terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita: ea propter ut Macrianus & Hariobaudus germani fratres & reges ſuſciperentur impavidi.* Cujus loci indicinam primo debemus vel Aventino, * vel Beato Rhenano, qui & hoc ſuum inventum pluries inculcat: & adſtipulatores deinceps invenit Heroldum, & alios magni nominis viros. in quibus etiam Leunclavium noſtrum, qui ad Ducem quondam Chriſtophorum Friderici F. Palantinum (ut ipſe eum indigetat) ſcribens: *Sic veſtra Palas*, inquit, *unde glorioſum Palantinæ familiæ nomen, nota jam hac appellatione de Romanis quoque hiſtoriis amplius duodecim ſeculis, nimirum ab Juliani uſque Auguſti imperio: hæc igitur aliquando te principem ſuum florentem inſigni ſapientia, virtute, poteſtate, ſubjectiſſimo ſtudio colet.* Quod & Ortelius, ſummus Geographorum, qui Capellatium iſtud in hoc puncto terræ, quod inhabitamus, collocavit, in Theſauro Geographico ſecutus eſt. Non nos, qui & ſitum Capellatii iſtius nulli præterea auctorum nominati, obſcurum incognitumque habemus, certè huic regioni minus convenire judicamus (quæ enim hîc loci vicinitas confinitasque cum Burgundionibus fingi poteſt?) & vetera illa ſub Rom. imperio locorum noſtratium nomina pleraque dudum exoleviſſe, nec ſub Francorum regno duraviſſe ſcimus: nec quemquam ſub illis Comitem Capellatii, aut Palantidos terræ vel pagi (quomodo eum appellaturi erant) legimus. Et verò (ut eleganter Munſterus ait) ſi à Palante regione ortus eſt Palatinatus Rheni, & veteris nominis fontem retinet; unde ergo nati ſunt Palatinatus à Scheirn, Wittelſpach, Dachauu; item ab Andechs, Vallay, & à Tubingen: addo & Palatinatus Saxoniæ,

Lib. XVIII. vide ibi not. Lindebrog.

Lib. VII. fol. 529. Rer. Germ. 1. fol. 52. & 60. & 130.

In dedicat. Nyſſeni De opif. hom. 8.

Typo veteris Germaniæ.

Cappellatium Palas.

Lib. III. Coſmogra. cap. 350.

niæ, Burgundiæ: & alii? Deinde etiam (ut idem ſubjicit) compertiſſimum eſt, nedum illis temporibus antiquis, ſed vel ante quadringentos annos principes Palatinos neque caſtra neque oppida, aut præſidia ulla, in hac regione ubi hodie habitant tenuiſſe: ſed intra hos annos quidquid locorum juxta Rhenum habent, vel emiſſe, vel per connubia, vel armis aut aliis rationibus adquiſiiſſe. Nam (ut Spiegelius ſuperiori loco, & Munſterus verè notat) poſt Rhenum tum ærario Cæſaris vectigalem, municipiaque Imperii, locaque Cœnobiarcharum & Antiſtitum, præſertim Moguntinenſis, Spirenſis, Wormatienſis, in illis partim dominabantur Sueviæ principes (ut & in Francia Orientali, & Comitatu Alſatienſi,) partim Comites Liningenſes, Eberſtenianique, tum alii quidam reguli ſua tenebant loca, velut Imperatoris beneficiarii. Ut jam certo certius ſit, neque ab illo Capellatio, neque ſpecula Rhenenſi, neque Treverenſi aut Palatio aut Palatiolo, Palatinos noſtros nomen ſuum ſortitos; non denique ab alio Palatio, quàm cui ſerviebant & cæteri Palatini, nimirum regali & imperiali.

Lib. III. *cap.* 351.

Eſt ergo Palatinatus merum nomen officii & dinitatis, quod Imperatores Germani inſtituerunt, ut alia ei conſimilia. Et ut à Burgo ſive caſtro præſidioque factus eſt Burggravius, à Marcha vel limite Marggravius, à Landa vel provincia Landgravius, à Centena Centgravius, (ne & Gogravios, & Dychgravios, aliosque id genus addam) ita & à Palatio vel curia Pfaltzgravius, *Pfalntzgreve*, ut olim ſcribere ſolebant. Gloſſæ veteres: *Palatinus*, *Palensgreve*. Ita Palatium vertit Otfridus *Palinza*: & Pilati curiam atque tribunal *Palinzhus*. Tales etiam Pfaltzgravii & Palatini diverſis in regnis diverſi fuerunt & ſunt, & deinceps demum à ſpeciali ditione nomen & differentias ſuas, quibus internoſcerentur, acceperunt. Ita habuit Francia Occidentalis ſeu Gallia ſuum *Comte Palatin de Troyes*, *de Blois*, *de Champaigne*: & Hungariæ regnum atque Poloniæ habet adhuc ſuos: & Germania ſuos Palatinos Habſpurgenſes, Tubingenſes, Wittelſpachenſes (ex quibus fuit

cap. 38. & 415.

P. Pith. lib. ſing.

ille Otto cæſor Philippi Regis, non è noſtris) Schirenſes: addo & Palatinos Burgundiæ. Imo ſola Saxonia habuit quinque Palatinatus, vel (ut illa vocabat) Palantias, de quibus ita auctor Speculi: *Quinque civitates quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitimis debeat curiis præſidere. Prima dicitur Grona: Werliz ſecunda, quæ modo in Goslariam translata eſt: Walhauſen tertia: Alſtede quarta: quinta Merſeburg nuncupatur. In ea ſeptem feuda vexillorum ſunt definita, Ducatus Saxoniæ, & Palentiæ, &c.* Quinimo plus eſt, quod idem auctor ſcribit paulò ſuperius: *Qualibet provincia Teutonica terræ ſuum habebat Palantzgravionatum, Saxonia, Bavaria, Franconia, & Suevia: quæ antequam à Romanis ſuperabantur, regna fuerunt, à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata. Attamen Illuſtres in vaſallos, & vexillorum feuda obtinuerunt, quæ ipſis per Imperium jam ſunt ſubtracta.* Nec plura addo de Palatinis Saxoniæ, videnda apud R. Reineccium.

Vide Laz. in Auſtria. *Lib. III, artic. 62.* Die Pfaltz zu Sachſen auf Alſtat. *Lib. III. artic. 53.* *Appendice Witichin.*

Denique cum tot genera Palatinorum fuerint, familiis & ditionibus diſtincta (qui tamen omnes præter noſtros exoleverunt, aut nominibus mutatis, aut etiam familiis intermortuis) noſtri Palatini inter cæteros eo emicuerunt, quod non ab una aliqua arce aut ditione, ſed ampliſſima voce ab ingenti illo tractu principis fluvii, Palatini Rheni vel ad Rhenum (ut Germanicè verterunt) dicebantur. Ut non tam à Palatio ullo, quàm ab ipſo Rheno ſignanter dicti videantur: quorum nec proprium nomen aut eximia dignitas hæc fuit, quod Palatini, ſed quod ad Rheni utramque ripam Palatini fuerint. Cujus rei quæ ratio & origo ſit, jam exponemus.

Pfaltzg. bey Rhein.

DE RHENO FLUVIO, LIMITE

Romano. Comes Rheni olim. Palatini Rheni unde ſignanter dicti. Pagi Rhenenſis Comes. Rheno illabentia flumina præcipua.

CAPUT

CAPUT III.

RHenus fluvius antiquiſſimis ſcriptorum incognitus, nec Heſiodo inter Oceani Thetidosque filios nominatus, etiam cum innoteſcere cœpit, tanquam remotiſſimus, & Solis occaſui vicinus apud Græcos habitus eſt. Unde eum *Iberum* vocat Nonnus, duobus locis: *Lib. XXIII. & XLIII.*

Ῥῆνος Ἴβηρ βρεφέεσσι κορύσσεται ἄλλα δικάζων

Καὶ κρυφίλῳ ὠδῖνα διαχεύζων τοκετοῖο

Κτεάνῳ ξεῖνα γένεθλα - - Et iterum:

Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος - - Quia Iberi remotiſſimi omnium & extremi. Lucanus:

Cappadoces, Galliquе, extremique orbis Iberi.

Eadem formâ (ut obiter elegantem locum illuſtrem, Goropii conjecturâ procul exploſâ) qua Ovidius eundem Rhenum *Heſperium* vocat:

II. Metam. *Heſperiosque amnes Rhenum, Rhodanumque, Padumque.*

Et alibi:

IIII. Faſtor *Nunc adit Heſperios Rhenum, Rhodanumque, Padumque.*

Et Lucanus Bætin:

- - Heſperius poſt omnia flumina Batis.

Et Virgilius ipſum Tiberin:

VIII. Æn. *Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.*

Sed deinceps Græcis Romanisque fines ſuos proferentibus, à bellacibus Germaniæ populis jam tum Alexandro formidatis nimium notus, Germaniæ proprius amnis, & cum fratre ſuo Danubio limes Romani imperii ad Septentrionem, terminusque fatalis victoriarum Romanis fuit, quem excedere non magis quàm Parthicum Perſicumve poſſent. Appianus in prælogquio operis: Ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ποταμοὶ δύο, Ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος, μάλιστα τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ὁρίζουσι, καὶ Ῥῆνος μὲν

ἐς τὸν

ἐς τὸν Βόρειον Ὠκεανὸν, Ἴστρος δὲ ἐς τὸν Εὔξεινον πόντον καταδιδοῖ. Claudianus de bello Getico:

Prominet Hercinia confinis Rhætia ſilva:
Quæ ſe Danubii jactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.

Et in nummis veteribus, Germaniæ exprimendæ pictus Rhenus Danubiusque pater viſitur, eadem forma qua Tiberis, Nilus, Euphrates. * Ad hunc ergo limitem perpetua Romanorum cum noſtris bella, excurſiones quotidianæ, variæque Martis τοῦ ἀλλοπροσάλλου vices, quarum vel Pauli J. C. locus teſtis eſſe poteſt: *L. Titius prædia in Germania trans Rhenum emit, & partem pretii intulit. Cum in reſiduam quantitatem heres emtoris conveniretur, quæſtionem retulit dicens; Has poſſeſſiones ex præcepto principali partim diſtractas, partim veteranis in præmia adſignatas.* Eam ob cauſam Romani perpetua ad eam ripam legionum præſidia diſpoſita habebant, caſtella etiam & ſpeculas locis oportunis impoſitas, & his magiſtratus præfectos. Lucanus lib. I.

Apud Ant. Auguſtin. dial. III. delle medagl. n. 20. & ſeqq.

Leg. XI. D. de evictiōn.

Lipſ. Admirand. lib. I. c. 5.

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppoſiti petitis Romam; Rhenique feroces
Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Hinc Julium Tutorem Trevirum, ripæ Rheni præfectum ſub Veſpaſiano, apud Tacitum & alios alibi legimus. Et poſteriore ævo Principum, in Gallica Rheni ripa Dux Mogontiaci reſidens, latiſſimam jurisdictionem habuit (ut ex Noticia Imperii apparet) non tantum in ipſa civitate Mogontiaco, ſed toto illo tractu, ſub quo & hæc loca erant: Saletio, Tabernæ, Vicus Julius, Nemetes, Alta ripa, Vangiones, Bingium, Bodobrica, Confluentes, Antonacum. Quin & Comitem quendam Rheni (ita dictum) fuiſſe, colligunt aliqui ex conſtitutione Valentiniani ad Iovinum magiſtrum equitum: *Tam Duces quam etiam Comites, & quibus Rheni eſt mandata cuſtodia,*

L. 9. C. Th. de re militari.

 ſinceri-

ſinceritas tua protinus admovebit, ut neque regalibus neque legatis ſua milites jumenta ſuppeditent, &c. Ut & Danubius ſuum Comitem habuiſſe videri poſſit, ex Sidonii Apollinaris panegyrico Anthemiano: - - *Comitis ſed jure recepto*

Danubii ripas & tractum limitis ampli
Circuit, hortatur, diſponit, diſcutit, armat.

Vix abſtineo dicere, talem aliquam dignitatem apud Francos permanſiſſe probabile eſſe; quippe qui ex Sicambrorum gente primulùm progreſſi, Rheni indigenæ & accolæ fuerint, eoque pervaſo præſidia Romana profligarint, ripam Gallicam invaſerint, & ipſam Galliam Belgicam Celticamque latiſſimè occuparint. Hi enim vel Agathia teſte ἀμφὶ Ῥῆνον ποταμὸν οἰκοῦσι, καὶ τὴν ταύτῃ ἤπειρον ἔχουσι γε καὶ Γαλλίων τὰ πλεῖστα, οὐ πρότερον πρὸς αὐτῶν κατεχόμενα, ἀλλ᾽ ὕστερον ἐπικτηθέντα.

Lib. 1. de Iuſtiniano Imp.

Neque hoc de Rheno omiſero; ut olim inter Romanos & Germanos limes fuit, ita longo poſt tempore Imperio ad Germanos translato, iterumque inter Caroli M. poſteros diviſo, eum ipſum amnem regnum Franciæ ab Imperio, ſive Franciam Occidentalem & Orientalem diſterminaſſe. Itaque Ludovicum juniorem Pii F. Germaniæ Regem, *Trans-Rhenenſem* Hincmarus Rhemenſis epiſcopus in Epiſtolis vocare ſemper ſolet. Et Frodoardus in vita Fulconis: *Fulco litteras dirigit Imperatori Carolo, Regis Ludovici Trans-Rhenenſis filio, pro tutela & defenſione regni Francorum.* Ita & Arnulphum Imp. idem Frodoardus vocat: *Arnolpho Regi Trans-Rhenenſi literas mittens pro cauſa Regis Caroli, quem parvulum adhuc unxerat in Regem.*

Apud Maſſon. in Annal. p. 164. & ſeq.

Ibid. pag. 172. & 179.

His cognitis, videre mihi videor, quibus ex partibus velutique elementis hæc dignitas Palatinorum ad Rhenum ſit conflata. Nam ut Palatinos ipſos ex veteri & legitima Pipinorum proſapia, qui apud Francorum primos reges Merovingos præfecturam palatii ſeu prætorii Comitivam geſſerunt, perpetua ſe-

tua ſerie deſcendere conſtans eſt opinio, & hiſtoricorum fide aſtruitur: ita eosdem jam tum ad Rheni ripas cultiſſimas, ab ipſis ejus oſtiis in infima Germania, quà ſe in mare Germanicum effundit, ad fontes usque propemodum, longè latéque imperaſſe, argumento ſunt quæ Palatinæ veteris familiæ propria & patrimonialia (ut ſic dicam) hæredia ditionesque fuerunt, & adhuc bona ex parte juris Palatini manent, partim ab ipſis adhuc poſſeſſa, & per præfectos adminiſtrata, partim aliis Principibus, Comitibus, regulisque beneficiario jure conceſſa. de quibus à Cl. V. Hub. Thoma Leodio (qui ex illa regione oriundus me melius de his differere potuit) eruditè dicta non repetam. Et hanc illorum ditionem, Rheni mæandris ambitam & irrigatam, forte potius reſpexit Ligurini auctor illo verſu: *Vide Trithem. in genealog.* *Infra Appendice.*

- - Hermannusque ſacræ Comes inclytus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

In Ubiis quoque & Sicambris illos fuiſſe, Chronica illorum docent: quin & Sigeburgum monaſterium famoſum ab illis fundatum. Multa quoque alia Epiſcopis & Abbatibus ad Rhenum ab illis tributa. Bacharacum oppidum, cum impoſito caſtello Staleck, jam tum annò Domini MCXC. Conradi Palatini Comitis, fratris Friderici Barbaroſſæ, ſedem fuiſſe, è variis monimentis didici. Et ſequentibus temporibus, ut ſunt familiarum ſua incrementa, altius fines ſuos protulerunt: adeò ut circa annum Domini MCCXX. (quo tempore per matrimonium Ottonis Ludovici F. Bavariæ Ducis, cum Agnete Henrici Palatini F. Ducatus Bavariæ cum Palatinatu Rheni coaluit) Palatinos Heidelbergæ ad Nicrum reſediſſe inveniamus.

Illud negare non poſſum, quod verè eſt ab Irenico & Munſtero notatum, *Palatinatus Rheni* appellationem (nam de re ipſa, id eſt, familia pariter & ditione Palatinorum, nihil conceſſero) non ita eſſe veterem, nec apud ullum ſcriptorem de temporibus Carolorum inveniri: ſed poſt Imperium demum ad Germanos translatum & confirmatum (id eſt, Ottonum *Exegeſ. lib. III. cap. 50. Coſmogr. lib. III. cap. 350.*

 tempo-

tempora, & Electores poſtea inſtitutos) Palatinos ad Rhenum, prius ferè inauditos, inclaruiſſe; utpote tum munere Electorio auctos. Quod cum perpendo, in eam ſententiam venio, nulli quidem hactenus obſervatam, ſed mihi valde arridentem; Palatinum Rheni ad differentiam quidem cæterorum, ſed maximè Palatini Saxoniæ dictum fuiſſe. Cum enim Imperium Romanum in duo regna, Lombardicum & Teutonicum eſſet diviſum; & hoc rurſus duplici jure regeretur, Francico & Saxonico, quorum hoc tractum Saxonicum uſque ad mare Balthicum, illud tractum Rheni cum Belgio, Sueviam, Franconiam Orientalem, Bavariam & Auſtriam ad alpes uſque Italicas (omnia à veteribus Francis ſubacta) complectebatur: hinc factum eſt, ut duo etiam principales Palatini haberentur, Saxonicus & Rhenenſis. Ita enim placuit hunc à tractu Rheni, tanquam antiquiſſima, optima & nobiliſſima Germaniæ parte, potius quàm cæteris, denominare. Unde etiam eſt, quod hi duo Palatini, velut proximi à Rege Teutoniæ, eo abſente, diviſis inter ſe ad modum prædictum limitibus, vice ſacra Imperium totum gubernant. Quod à majoribus ſine dubio ita receptum, Carolus quartus Imp. confirmavit: *Quoties ſacrum vacare continget Imperium, illuſtris Comes Palatinus Rheni, ſacri Imperii archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni, & Sueviæ, & in jure Franconico, ratione Principatus ſeu Comitatus Palatini privilegio, eſſe debet proviſor ipſius Imperii.* Et poſtea mox: *Et eodem jure proviſionis illuſtrem Ducem Saxoniæ ſacri Imperii Archimarſchallum frui volumus, in illis locis, ubi Saxonica jura ſervantur* (hæc enim paſſim Sueviæ & Rheno opponi, in illorum Speculo obſervamus) *ſub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum.*

Bulla Aurea cap. 5.

Et hinc nimirum Palatinorum Rheni origo nobis deducenda eſt, non à pago illo Rhenenſi. Qui blandiens error viro erudito, & cui certè primam illuſtrationis ſuæ gratiam familia Palatina debet, Huberto Thomæ impoſuit: ut cum in antiquis memoriis legeret, Cancorem Rhenenſis pagi Comitem

Infra Appendice.

cœno-

cœnobium Laurisham fundaſſe, deque ſuo dotaſſe; putaret hunc inter primos auctores Palatinorum Rheni habendum. Atqui longè diverſa ſunt pagus Rheni, qui vernaculè *Rinachovve* dicebatur (de quo infra ſuo loco dicam) & Palatinatus Rheni. Comites pagi Rhenenſis, Cancor ille, ejusque ſucceſſores, nonniſi Comites erant: at noſtri illi ſupra Comitivam ſimplicem, Palatina inſuper dignitate, quæ jura Principis continet, ſuperilluſtres. Et ut ab illis pagi Rhenenſis Comitibus forte illi aut illorum majores fuerint, qui Rheingravii nominantur (hodie commixta proſapia cum Sylveſtribus Comitibus) noſtri certè Palatini celſiorem originem & ampliorem ditionem ab omni antiquitate habuerunt; qui & initio alibi quàm in illo pago ſederunt & regnarunt, & deinceps præter pagum Rhenenſem, in cæteros pleroſque vicinos pagos; atque adeo Comitatus & dynaſtias, dominationem ſuam ampliſſimè extenderunt. Reingraven. Wildgraven.

Nam quæ ad Rheni utramque ripam caſtra ſunt & oppida, etſi partim Romanam originem referant; & opima ſint omnia; non tamen ſola Palatinorum fuerunt; ſed etiam illabentes Rheno minores fluvii, Moſella, Navus, Nicer, bona ex parte eos dominos acceperunt. Sanè juxta Moſellam ampliſſimum tractum, quæ *pagus Meinefeld* olim quoque dicta, obtinuerunt, ibique cœnobia fundarunt: & *Pallentiæ* illic ipſe locus nomen adhuc retinet. Imò in ipſa Treverorum Auguſta Palatium illud vetus, Romanis Franciſque principibus habitatoribus nobile, diu inſederunt, cum poteſtate Advocati eccleſiæ Treverenſis, atque etiam Præfecti urbis, ut è fide dignis ſcriptoribus diſcimus. Jam ad Navum (Tacito *Nava* eſt) qui apud Bingium Rheno miſcetur; totum ferè illum tractum, qui *pagus Nachgovve* dictus, cum tempore acceperunt: nonnulla quoque ad Mœnum, & ad Nicrum pleraque, de quo jam dicemus. Menfeld. Pellentz. Die Nahe.

DE NICRO FLUVIO, LIMITE *poſteriore. Præſidia ad eum Romana, in montibus Abrinsberg & Heidelberg. Lupodunum Auſonii, poſtea Lobdeburg dictum. Manheim.*

CAPUT IV.

UT Rhenus limitis inſtar habens, & quaſi intermedius, hoſtes populos Romanos Germanosque diſcrevit, per vices pro belli fortuna modò ab his, modò illis poſſeſſus: ita Nicer fluvius in ſilva Martianâ non procul à Danubii fontibus exortus, & anfractuoſo decurſu auctus rivis pluribus (præſertim Enzio, Cochero, & Jaxta) & Septentrionem verſus delatus, donec inter Nemetes & Vangiones Rheno abſorbetur, penitiſſimæ Barbariæ (ita Germaniam Romanis quàm provinciam vocatam malumus) proprius amnis, & Romanorum armis diu intactus manſit. *Barbarum* vocat Panegyriſtes ad Conſtantinum Magnum, de ponte ejus Agrippinenſi loquens; *Sed pulchrum tibi videtur, & revera pulcherrimum eſt, ut Rhenus ille non ſolum ſuperioribus locis, ubi aut latitudine vadoſus, aut vicinia fontis exiguus; ſed & ibi novo ponte calcetur, ubi totus eſt, ubi jam plurimos hauſit amnes, quos hic noſter ingens fluvius, * & barbarus Nicer, & Mænus invexit.* Primus Romanorum Valerius Probus Imp. (Vopiſco auctore) devictis Alemannis in Germania prima, limite priori ſuperato, reliquiis Germanorum ultra Nicrum fluvium & Albim ſubmotis, limitem Romanum novum eò protulit, & quicquid inter Rhenum eſt & Nicrum, paulatim in provinciæ modum redegit; exædificatis in ejus amnis ripa variis munimentis, in quibus præſidia locarentur: æmulatus eâ in re Druſum, qui in tutelam novæ provinciæ per Viſurgim & Albim ſtationibus diſpoſitis, ad Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella erexerat. Proinde in ripa Nicri paſſim, imo intermediis etiam quibusdam in locis, mira adhuc antiquitatis illius veſtigia cerni, ut apud Wimpinam, Rotenburgum, Durlacum, Ettelingen, & alibi obſervavit Rhenanus.

Munſterus III. Coſm. cap. 312. Cruſ. par. II. Suevic. fol. 413.

* *Moſellam dicit.*

Lib. I. German. pag. 5. & pag. 113.

nanus. Inter poſteriores autem Cæſares, Gratianus qui in Occidente imperabat, tum ferro tum incendio Alemannos trans Rhenum perſecutus, ultra Nicrum propulit, cæſis illorum amplius quam xxx. millibus apud Argentuariam. Quam victoriam, & ſuper ea triumphum in Auguſta Treveri ductum, Auſonius in Moſella his verſibus celebravit:

Sola ſub Auguſtæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos natique patriſque triumphos,
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Iſtri.

Eo igitur tempore, quo limite prolato Germaniæ hæc pars Romanis paruit, caſtellum etiam præſidiumque Romanum in monte dextro ad Nicrum (quem media ætate Abrinsberg dictum, hodie *Sanctum* vocant) extitiſſe certum eſt: quod quidem ad antiquitatem loci cognoſcendam inprimis eſt obſervandum. Idque vel ſcriptoribus tacentibus, opportunitas ipſa loci, verticis nimirum angularis, & altiſſimi & in ſummo lati, & duo latera ſubjectamque planiciem cum fluvio ipſo circumquaque latiſſimè deſpectantis, & viciſſim longiſſimè ſpectandi, & monti Tauno trans Rhenum rectâ reſpondentis, ſatis evidenter oſtendit. Nec memoriam omnem ita aut temporis vetuſtas, aut hominum manus abolere potuerunt, quin veſtigia ſuperſint in ciſternis & cameris ſubterraneis (quæ etiamnum *Gentilium foveas* vulgus vocat) lapidibus cæſis in vineis vicinis disjectis, numiſmatis varii generis & materiæ in agro circum vicino pullulantibus, & aliis ejusmodi reliquiis: quæ quibus in locis reperiuntur, iisdem olim ſtationes Romanorum militum fuiſſe loquuntur. Ante omnia verò digni notatu ſunt lapides duo inſcripti, ibi patrum memoria reperti: quorum alter olim parieti eccleſiæ S. Stephani in monte Abrinsberg inſertus (ut Appianus teſtis eſt) hodie in Curia villæ Hendſcuchshem adhuc viſitur. Quem quia & ille perperam deſcriptum habet, & Heroldus totum interpolavit, miraque ſomnia inde confinxit, ab ipſo ſaxo ſincerè tibi dabo:

Heyligeberg.

Dohrſperg

Heydenlöcher.

Inſcript. German. fol. 465.
De ſtat. legion. in vet. Germ. cap. 12.

MERCU-

MERCURIO . . :
BASEM. CUM . : :
L. CANDIDU . : :
CATO. R. D. C. . .
V. S. L. L. M. . . :

Alterum eſt quadrus integer, & quantivis pretii, artificis manu ſculptas quatuor imagines habens. Qui cum olim in eadem Eccleſia, intus paulum excavatus, aquæ Juſtrali ſervandæ fuiſſet; deinde ut profanus inde exturbatus, & à Principibus noſtris in Arcem translatus fuit, inque conſpicuo loco omnium oculis expoſitus: dignus hercle qui viſendi gratia vel trans mare adeatur.

Antequam autem hunc exhibeam (qui quidem publicatus hactenus à nemine, quem ſciam, tanto plus gratiæ habere debet) præfandum mihi paucis, plures ejusmodi lapides quadrilateres in Germania reperiri, & mihi ipſi viſos, in Nemetibus, Vangionibus, prope Bipontum, & alibi. Romani enim in Germanicis præcipuè victoriis oſtentandis ſupra modum ambitioſi, variis & compluribus ſimul Diis eas dedicare ſolebant. Ita debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitus Tiberii Cæſ. Marti & Jovi & Auguſto monimenta ſacravit, auctore Tacito. *Annal. 11.* In iſto autem noſtro Victoriam, inſcribentem neſcio quid ſcuto ſtipiti appenſo, valde notandam ſemper cenſui: ut quæ memorabile de Teutonibus partum trophæum, & annalibus dignum, poſteritati inſinuare videatur. Quomodo in Veſpaſiani arcu, & nummis, Victoria Idumæa:

Et quis ſcit an non illud ipſum de

Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum?

de quo mox plura. Hoſtes enim Romanis κατ' ἐξοχὴν Germani & Parthi, vel Ulpiano teſte. *L. XXIIII. D. de captivis.* Themiſtius Euphrades ad Valentem Imp. *Oratione X.* ἀντικαθήμενα γένη τῷ λογισμῷ, καθάπερ

Ῥωμαίοις

Ῥωμαίοις Σκύθαι ϗ Γερμανοί. Atque ita in Divorum Fratrum

MERCURIO . . :

BASEM . . CUM

Ῥωμαίοις Σκύθαι καὶ Γερμανοί. Atque ita in Divorum Fratrum nummis triumphalibus, conſimilis figura eſt Victoriæ palmam gerentis,& ſcutum palmæ appendentis,modò inſcriptum vic. ger. modò vic. par. Sed ipſum tandem videamus.

Fratres quidem hos Julios, Secundum & Januarium, æquè cum Candidio illo Catone cognitos habeo: & quia cum Germanis bella geſſerunt, in amiſſis Plinii Secundi *De bellis Germanicis*, aut Aſinii Quadrati commentariis requirendi fuerint. Cæterum Aquila & Laurea auſpiciis Imperatoris (de quo æquè incerti ſumus) rem geſtam denotat. Vel potius Jovis ales Deum ſuum, litteris I. O. M. deſignatum: Laurea votum illorum fratrum, è veteri formula *libenter meritò* perſolutum, quod litteræ illæ volunt: V. S. L. L. M. Quæ omnia rectiſſimè & compendio exponam verbis Ovidii, quæ & ipſe de triumpho Germanico jactat, ad Cæſarem:

Inde petes arcem, & delubra faventia votis: Triſt. IV.
Et dabitur meritò Laurea vota Jovi. Eleg. 2.

Victoriam porrò, pubetenus nudam, alatam, pede globo innixam, quid trophæo ſuo inſcribere putamus, niſi quod paullo ante dixi, vic. ger. quod in Traiani Antoninorum & aliorum Impp. nummis crebrò videmus, ut & vic. dac. & vic. brit. & vic. ſar. id eſt Dacicam, Britannicam, Sarmaticam victoriam: veteri inſtituto jam inde à conditore Romanæ gentis repetendo:

Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis, IV. Æn.
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno:
Æneas hæc de danais victoribus arma.

Mulciber autem, qui inſtrumenta victoriæ ferro armiſque partæ ſuppeditavit, enſes, galeas, ſcuta, loricas; quid ni & ipſe in partem voti & gratiæ veniat? Quem & in nummo quodam Valerianus Imp. eo honore dignatus eſt, ut in ædicula ſeu ſacello ſtaret, malleum dextra prætendens, ſiniſtra forcipem, incudem (quam hîc pictor noſter omiſit) juxta habens, cum elo-

gio: Deo Volkano. Apud Vangiones geminum huic lapidem vidiſſe recordor, in quo ſimilis Mulciber cum forcipe & marculo, Hercules pharetratus & clavâ armatus, Mercurius caducifer & crumenam tenens; in quarto latere ſcripturâ, quæ indubiè ibi extitit, funditus eraſâ. Quartám ſanè figuram mulieris ſtolatæ, cui ſimilem nec in nummis nec ſtatuis hactenus vidi, cognoſcere adhuc laboro. Nec omnia noſcimus omnes. Et hæc de caſtello, quod in monte dextro olim ſive ſub Probo, ſive Gratiano, aut Valentiniano, aut alio Principe fuiſſe certo certius eſt.

Nec dubito equidem, in adverſo etiam monte, ſupra Jethæ collem (quas fabulas non attingam) quem à myrtillorum copia *Heidelbergum* ab omni memoria dictum, clariſſimo vati Meliſſo non aſſentiri nequeo, ejusmodi etiam ſive caſtellum, ſive ſpeculam aliquam eodem illo ævo fuiſſe; cujus deinceps fundamentis & reliquiis ſequentes arces (ut fieri ſolet) inhæſerint. Extant certè in apice & cacumine ejus montis (qui hodie *Caprarius* vocatur, & non nemo à Capellatio illó veteri eſſe putat) ruinæ veteris caſtri, quod ab omni atiquitate ibi extitiſſe putant, donec ſuperioribus annis igne cœleſti tactum deflagravit. Et magnopere placet Leodii conjectura & deſignatio; duas in illo exitu ſilvæ & anguſtiarum in duobus juxta Nicrum montibus à Romanis arces poſitas; tum murum ad flumen uſque deductum; in ripa ſiniſtra turrim excelſam; ultra flumen ad pedem dextri montis (pingere cuperem) pontem clauſilem fuiſſe. Quod illum, qui patrum memoria vixit, à majoribus per manus acceptum audiſſe credibile eſt, & chartis conſignaſſe valde gaudeo.

Geißberg.

Vide Munſter lib. III. c. 152.

Sed excedamus his montium anguſtiis, & in ſubjectam patulamque planiciem Nicri anfractibus irriguam deſcendamus: quo loco memorabile occurrit oppidum *Ladenburg* hodie dictum: quod quidem Romanis non incognitum fuiſſe, & eruditi plerique exiſtimant, & loci ipſe genius antiquitatem neſcio quam referens, ſitumque oportuniſſimum habens, loqui videtur.

Cruſius 1. Suev. lib. VII. c. 3.

videtur. Sed & lapis antiquus Romanorum Principum mentionem habens, qui iſthic olim effoſſus, in arce ibi Epiſcopali etiamnum viſitur, ſuffragatur.

JUNONI: *Reginæ*
MINERVÆ *Deæ* . ,
BUSQUE MI : : : *pro*
SALUTE. ET. IN*columitate*
DD. NOSTRO*rum Diocletiani &*
MAXIMIANI. *feliciß.*
AUGUSTOR*um Conſtant I*
ET. MAXIMIA*ni. nobb. caſ.*
CIVITAS. MOC . .
: VER IN : EAV : :

Opinio non nova, ſed jam à majoribus veluti per manus tradita, originem Romanam loco aſſerit, quem nomen ſuum à Latinis habere, & *Latinoburgum* dictum fuiſſe autumant. Quibus conjecturis ſi indulgere velimus, fortaſſis oppidum illud præſidiarium à conditore ſuo Valentiniano nomen ſortitum, quaſi Valentiniani burgum (id enim eſt burgum) & deinceps facili detorſione ex *Valentinburg*, *Vlatinburg* in ore barbarorum natum, tandem in *Latinburg* defeciſſe (eadem fortuna, qua ex Uratislavia miro ſyllabarum compendio *Preslavu* factum, & talia ſexcenta) non nimis ineptè conjicere poſſimus. Dummodo & hoc ſciamus, quod ex antiquiſſimis quæ hujus loci mentionem habent, monimentis liquidò mihi conſtat, primitùs ſub Francorum imperio & Carolinis temporibus, non *Ladeburg*, ſed *Lobdeburg* nomen civitati fuiſſe: quod & in ſigillo ſuo (quicquid vulgariter ſcribæ peccent) fideliter ipſa retinet, in quo utroque ita legitur: S. Paruum. Oppidi. Lobdenburg. Et: S. Burgenſium. in Lopdemburg. Et ipſa in pago Lobodunenſe ſita eſt, de quo mox dicturi ſumus. Pagus autem ille à metropoli illa ſua, Loboduna civitate publica, vel Lobodone caſtro, aut caſtro Lobodonenſe nomen accepit. Unde verius exiſtimo, imò neceſſarium, eſſe ipſiſſimum Lupodunum, Nicrinum Germanorum oppidum, Auſonii verſibus nobilitatum, qui Valentiniani

Leodius in Appendice. Mekerch. de pronunt Ling. Grae pag. 75.

Ita & Herold. d. lib. cap. 14.

Cap. VII.

Lupodunum.

tiniani Imp. & Gratiani ejus F. victoriam Germanicam inſignem eo loco, - - *qua Francia mixta Suevis*, obtentam, bellum planè confectum & profligatum, triumphum denique eo nomine apud Treverim ductum, ipſe αὐτόπτης non uno loco ſatis jactare non potuit. Qua de re, quia & ad illud de Moſella Auſonii carmen plura commentati ſumus, & de hoc ipſo Lupoduno ſingularem libellum ſcripſimus, plura jam non addemus.

Eſt etiam paullo inferius ad confluentes Rheni & Nicri caſtrum eximium, & natura loci egregiè munitum, ſed magis improbo militum labore ſub Valentiniano Imp. abſolutum: poſtea *Manheim* dictum, nomine verè Germano. De quo
Lib. 28. propriè capiendus eſt locus ille Ammiani Macellini, antehac non æquè bene mihi intellectus: *At Valentinianus magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio ad uſque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, caſtra extollens altius & caſtella turresque adſiduas per habiles locos & opportunos, quà Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis poſitis ſubradens barbaros fines. Denique quum reputaret munimentum celſum & tutum, quod ipſe à primis fundarat auſpiciis, præterlabente Nicro nomine fluvio, paulatim ſubverti poſſe undarum pulſu immani, meatum ipſum aliorſum vertere cogitavit: & quæſitis artificibus peritis aquariæ rei, copioſaque militis manu arduum eſt opus adgreſſus. Per multos enim dies compaginatæ formæ è roboribus, conjectæque in alveum, fixis refixisque aliquoties prope ingentibus ſtilis, fluctibus erectis confundebantur, avulſæque vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus dum operaretur, ſæpe demerſi. Tandemque non ſine quorundam diſcrimine, caſtra præſidiaria inquietudine errantis ingentis amnis exempta, nunc valida ſunt.* Loquitur enim de communita Rheni ripa, & quidem ad utrumque latus: & poſtquam dixiſſet, *etiam ultra flumen ædificiis poſitis ſubraſiſſe barbaros fines*, ſtatim exemplum

ſubjicit munimenti celſi & tuti, *quod Valentinianus ipſe à primis fundarat auſpiciis, præterlabente Nicro fluvio:* ergo ad confluentes Nicri & Rheni. Et ubi potius? fecerat id antea Traianus ad confluentes Mogani & Rheni, alii alibi: & nota eſt confluentium oportunitas, ſemper ſtudioſè captata Romanis. Id ergo eſt Manhemium hodiernum, quocunque tunc nomine fuerit: quod & ad Rheni ripam dextram poſitum, & Nicro ibidem in Rhenum ſe exonerante alluitur. Nicro igitur eo loci præterlabente (& quidem Rhenum illabente, ſupra ipſum caſtellum) ipſe veritus caſtellum illud ſuum *paulatim ſubverti poſſe undarum pulſu immani* (nota enim etiam hodie vehementia Nicri fluvii, præſertim pluviis & glacie exaucti, qui & pontem Heidelbergenſem non ſemel abruperit & avexerit, & villam Seckenheim ex parte ſubruerit, & aliis inſuper vaſtitatem minetur) *meatum ipſum* (ſcilicet Nicri, Rhenum enim quis ab alveo ſuo divertere præſumat?) *alſorſum vertere cogitavit:* & vertit, improbo militum labore omnes difficultates pervincente, ut jam infra caſtellum ſubintrans Rhenum, ſecurum & intactum illud relinquat. Quod & hodie facit, licet non ſibi temperet, quin veterem alveum (ut ad pontem arcis videre eſt) & Rheni viam ſubinde tentans, noxias paludes & inundationes immittat, quæ infixis palis magno opere & ſumptu ſunt arcendæ. Et hæc ut in oculos hoc tempore incurrunt, ita & verba quædam noſtræ obſervationi ſuffragantur; cum & locum quendam angularem periculo damnoque inprimis expoſitum, & inſulas duas à Cæſare nomen habentes audimus. Sed ante omnia loci antiquitatem Romanam abundè tuetur inſigne, quod ibi extat puteo publico prope curiam applicatum, Paganæ ſuperſtitionis monumentum, Taurobolii (quod vocabant) figuram cum multis parergis habens; quale alicubi & in Italia vel Sicilia inventum, & typis æneis inſculptum, eruditorum ingenia hactenus fruſtra fatigavit. Nos forte alibi cum noſtra explicatione edemus. Jam ad loca prius dicta, quibus præcipua hujus regionis antiquitas continetur, Pagos nimirum Rhe-

Manheim.

Paliſſades.

Das ſchädlich Eck.

Käyſers werde.

nenſem & Lobadunenſem redeamus; & prout quidque vetuſtius erit, ita primo loco expediamus.

DE VETERI GERMANIÆ IN Pagos diviſione, & Centenas. Pagorum eorum Notitia ſub regno Francorum.

CAPUT V.

UT Romani ſuum orbem in Provincias, & has in præfecturas, præſidatus, colonias, municipia diſtributas habebant: ita Germaniam veterem pro ſimplicitate gentis in pagos fuiſſe diviſam, Julius Cæſar & Tacitus prodiderunt. Longè alio ſignificatu voce uſurpata, quàm qua Ulpianus ſcribit, *in qua civitate, & in quo pago ſit, & quos duos vicinos habeat*, & qua hodie pro vico ſive villa muris portiſque carente accipimus: ſed ut vaſta ipſa & porrecta (quam Auſonius vocat) regio in pagos, ita pagi demum in villas, oppida, burgos tributi erant. Et ut pagi plerumque fluviis aut rivis (unde nomen manſit *Revier*, pro confinio, collimitio) inter ſe diſtincti; ita villæ limitibus & (ut tum loquebantur) marcis, diſterminatæ erant. Qua de re placet obſervationem Henrici Bebelii (docti mehercule quondam viri) adſcribere: *Pagus*, inquit, * *videtur à nobis dici vulgò* Pach, *id eſt rivus, vel villa multa juxta rivos poſita. πηγὴ enim latinè fons dicitur: & (ut dicit Servius* II. *Georg.) Pagi ἀπὸ τῶν πηγῶν, id eſt à fontibus dicuntur, circa quos villæ conſueverunt condi. Unde non eſt credendum, quod centum tantum fuerint pagi Suevorum, id eſt villæ, qui (ut Cæſar & multi alii teſtes ſunt) quotannis centena millia hominum in bellum mittebant: ſed Pagum intelligo tractum alicujus totius fontis & fluvii, ex quo illi pagani communiter bibebant, mille homines educebantur. Quis enim crederet Sueviam latiſſimam Germaniæ partem centum tantum pagis, etiamſi pro ampliſſimis urbibus accipias, contentam fuiſſe? tametſi urbibus Germania caruit,*

Lib. 4. D. de cenſib.

* in Spicileg. pag. 126.

nec etiam pagos & villas habuit, quales hodie, ſed longè à ſe invicem diſtantes juxta aliquem fontem, quales ferè pagos dixi. Hoc teſtatur Cornel. Tacitus de Germania dicens: nullas Germanorum populis urbes habitari ſatis notum eſt: nec pati quidem inter ſe junctas ſedes, colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut nemus, ut campus placuit, vicos locant, non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: ſuam quisque domum ſpacio circumdat. Non eſt igitur credibile, mille homines ex uno pago, hoc eſt villa, potuiſſe exire quotannis, manentibus aliis; qui ut hoc anno agricultura & aliis laboribus militantes alebant, ita ipſi altero anno in locum jam militantium ſuccedebant. Quare cum omnia quadrent, poſſumus jure dicere, Pagum dici Græca ſignificatione pro tractu alicujus fontis & fluminis ejus. Gall. Pays. Quod poſtea & aliis eruditis, Althamero, Stumpſio, Tſchudo, Guilimano, obſervatum video.

Atque ita in veteribus inſtrumentis rerum geſtarum, & omnis generis contractuum negotiorumque, tam publicorum quàm privatorum; & in Francorum hiſtoriis perpetuò obſervare licet, quoties loci alicujus ſitum exprimere volebant, deſcribere ſolitos; in quo Pago, & ad quem fluvium is ſitus eſſet, & pagus ipſe quo in Comitatu: cum quidem tunc Francorum omne regnum in Comitatus diviſum eſſet, qui Comites regio nomine jus per pagos dicebant; ipſi in Burgo aliquo, id eſt, oppido arcem impoſitam habente reſidentes, in quo Mallus publicus, id eſt, auditorium & tribunal eſſet. Unde *Comes* & *Pagenſes* * ſui ſunt relativa, ut ſubinde in Francorum legibus Carolinis * videmus: & *Pagenſes* inter ſe, ejusdem pagi homines. Quod totum ſi in ulla alia Germaniæ parte, in hac noſtra animadvertere licet: quam olim Alemanniæ accenſitam, poſtea in Francorum jus ceſſiſſe, & ab illis totum hunc tractum ſub nomine Orientalis Franciæ poſſeſſum, & per Comites gubernatum fuiſſe, quo tempore illi inde ab Aquitania ad Pannoniam

* *Gall.* Payſans.

* *Lib.* III. *cap.* 73. & IV. *cap.* 9.

uſque (ut Friſingenſis ſcribit) regnum ſuum extendebant, liquidò nobis conſtat.

Die Centē.

Unde & *Centenæ* nomen alibi ferè incognitum aut exoletum, in hac regione integrum notumque manſit, ab antiquiſſimo illo Alemanorum inſtituto, cujus Tacitus in Germania meminit: & in legibus Alemanorum Francorumque & cæterorum, *Centenæ* & *Centenariorum*, id eſt Centenæ judicum, frequens mentio.

Centgericht. Centgraven.

*Germanicar. rer. lib. 11. fol. 88.

Et hoc B. Rhenanus: * obſervavit *Regiones ipſa*, inquit, *per Centenas diſtinctæ erant, unde Centenarii nomen. Is magiſtratus Centenæ præſidebat, Comiti ſubjectus. Proximè Heidelbergam adhuc apparet Centenæ veſtigium in aliquot pagis, & manſit vocabulum. Nam Franci in gubernanda plebe* (hoc minus placet: nam originem rei vernaculam eſſe credo) *Romanorum conſuetudinem in Gallis repertam, etiam ad alios populos una cum ipſis vocabulis tranſtulerunt.* Quibus Centenis non abſimiles exiſtimo, quæ apud Anglo-Britannos ab eadem origine *Hundreda* dicuntur.

Empter: ut Ampt Alzey/ etc.

*Pith. 1. adverſ. c. 8.

*Vogteyen/ Fautheyen/ ut illa de Heydelberg/ Bretheim/ etc.

Apud eoſdem genus hoc Pagorum ſua lingua *Schyre* dictum eruditiſſimus Cambdenus annotavit, & G. Lambardus in Lexico legum veterum. Quod & in antiquiſſimis Gloſſis lego: *Provincia vel Pagus, Scyr.* Idem obſervandum eſt de hodierna diſtributione regionis in Ambactias, voce & inſtituto verè veteri Germanico, & Francico. * Unde pro, *In Comitatu Engelberti*, aliquando in diplomatis legimus, *In Engelbrechtes ambachte*, vel *ambechte*. Harum aliquæ etiam Advocatiæ * dicuntur.

Horum Germaniæ pagorum, qui ſub Pipino, Caroloque Magno, & Ludovico regibus noti fuerint, quotquot quidem horum hactenus ipſe ex antiquiſſimis & incorruptis ejus ævi litterarum monumentis improbo labore eruere & colligere potuerim, indicem quendam velutique Notitiam ſi aſcriberem, credidi me Lectori rem non ingratam inutilemque, nec ab inſtituto alienam facturum. Sed tantum indicem dico, eumque per litterarum ordinem: donec forte aliquando (quod ξὺν θεῷ paramus) ipſam Pagorum horum, atque etiam longè plurium,

per

per Provincias diſpoſitionem tabulâ chorographicâ exhibeamus. Sed & hoc monitu dignum, horum ipſorum, quamvis omnes peræquè *Pagos* dictos invenerim, alios tamen latiores & generaliores, alios ſpecialiores & anguſtiores quique ſub illis contineantur, videri. Nimirum quia & aliquibus horum pagorum Comites, aliis Duces, aliis etiam Patricii, pro eorum qualitate præficiebantur, ut apparet ex veteri formula apud Marculphum: *Ergò dum fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in Pago illo, quem anteceſſor tuus ille uſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum regendumque commiſimus.* &c. Imo & Regibus aliqui horum olim parebant. ut *Suomarii Regis*, *Vadomarii Regis Pagus* occurrit apud Am. Marcellinum. Sed qui Reges (vix Reguli) ſub Francis non ſupra Comites fuiſſent. Nos promiſcuè eos dabimus, ut obvenerint: Lib. 1. c. 8.

PAGUS Alemannorum, qui & Ducatus Alemannorum aliquando dicitur: Franciſcè *Altgovve*, & *Algovve*. Bebelius d. loco: *Algea quaſi Alpiumgea, terra arabilis juxta Alpes, vel ab algore dicta gea. Inde Algeani, qui quondam Vindelici ſunt dicti, & Algoios vel Algeanos dicere poſſemus.* Sed rectius Vadianus ab Alemanis dictam initio Almangoiam, poſtea ita contractam vocem: quod & Tſchudus proqat in deſcript. Rhæt. Alp. cap. 24. In hoc ſitum Tigurum. Diplomate Hludovici: *Curtim noſtram Turegum, in Ducatu Alamanico.*

Pagus *Amphinga.*

Pagus *Angelachgovve, Engelagovve.*

Pagus *Angerisgovve*, quod & *Enngersgovve.*

Pagus *Arachgovve, Arahafelt, Arragovve.* apud Stumpf. XII. cap. 14.

Pagus *Ardingovve.*

Pagus *Battavve, Batua* Aimonio, hod. Die Betau / id eſt Batavia. Dion de Batavis: οἱ τὸ τῶν Βαταύων ἀπὸ τῆς Βα-

ταϐας (ſcribe Βατ]όυας) τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. vide Cornel. Aurel. de Batau. lib. I. cap. 2. & lib. II. cap. I. & Hadrian. Jun. cap. I.

Pagus *Bochovia*, in quo Fulda. Aimon.

Pagus *Bretachgovve*, hodie Das Brettigäu. Agnoſcit Auſtriacos, ſed eſt in fœdere Rhætico. In eo *Tabos*, domicilium Advocati provincialis; *Caſtels* arx. Vide Munſter. lib. III. c. 233.

Pagus *Burichinga*.

Pagus *Cochengovve*, tractus Cocheri fluvii in Suevia, qui non procul ab Alen ortus, & per Hallam, Ingelfingen, Forchenberg, Sinderingen, Neuſtat delatus, apud villam Kochendorf Nicrum ſubintrat. Iren. lib. VIII. cap. 34.

Pagus *Creichgovve*, vel *Creickgovve*: habuit olim Comites inde nominatos, de quibus Cruſius in Suevicis, & Chytræus in orat. De Greichgæa: cui Noticiam villarum ſubjecimus.

Pagus *Churvvalacha*, id eſt Rhætia Curienſis. Ejus mentio in litteris Henrici Regis, apud Tſchudum cap. 7.

Pagus *Darnavv*. Cujus mentio in Donatione Ansfridi Palatini, infra in Append. pag. 32.

Pagus *Durgovve*, *Turgovve*. Bebelius d. loco: *Durgea, quaſi terra arabilis juxta Duram fluvium.* Ludovicus Rex Pii F. Magni N. *Curtim noſtram Turegum in Ducatu Alemannico, in pago Durgaugenſi, cum omnibus adiacentiis.* apud Simlerum in Helvetia lib. I. pag. 4.

Pagus *Eliſaza, Heliſaze*; hodie Alſatia, *Elſas*, ab Ello fluvio. Pagus Alſatiæ in diplomate Regis Theoderici, apud Bruſchium de Monaſter. fol. 93.

Pagus *Elſenzgovve, Eliſanzgovve, Helinzgovve.*

Pagus *Erdehe*.

Ducatus FRANCORUM, quæ hodie Franconia, eſt Francia Orientalis, de qua videſis Trithemium in originibus Francorum. De hac intellige can. 101. & ſeq. XI. q. III. ubi ad illa verba:

verba: *Principem Francorum*, Molyneus rectè annotat, *ſcilicet Franciæ Orientalis.*

Pagus *Flandrenſis*, hod. Flandria.

Pagus *Freſia.* Willibald. in vita S. Bonifacii.

Pagus *Fungavv*, Vangiones dictum quaſi *Wungavv* putat Herold. in lib. de ſtation. legion. in veteri German. cap. 21. & Irenic. lib. ult. in verbo, *Wormatia.*

Pagus *Gardachgovve.*

Pagus *Glemisgovve.*

Pagus *Gozfelden.*

Pagus *Graphelden.* de quo plura notavimus in Weteravia.

Pagus *Hanigauu*, Hannonia quomodo hodie dicta, vide Hubert. Leod. in Eburonib. circa fin. & P. Divæum cap. ult.

Pagus *Hartzgavv*, pars ſilvæ Herciniæ, des Hartzwaldes. Nariſcorum regio, de qua Herold. d. lib. cap. 1.

Pagus Hasbanicus (qui & *Moſeland*) in Annalib. Francor. Pithoeanis ſub Anno 881. *Haſpengoune*, apud P. Divæum cap. ult.

Pagus Hattuaria, voce (ut videtur) ſuperſtite à veteri ævo. Marcellinus lib. xx. *Rheno deinde tranſmiſſo regionem ſubito pervaſit Francorum, quos Atthuarios vocant, inquietorum hominum licentius etiam tum percurſantium extima Galliarum.* In hoc collocatur villa Geizefurt, de qua litteras Ansfridi Palatini edidimus infra in Appendice pag. 31.

Pagus *Hegovve.* Bebelius Hegoios & Heganos vocat.

Pagus *Heſſen.* Haſſia, Catti olim. Poëta vetus in Carolo Magno: *Francorum pagum, qui dicitur Haſſi.*

Pagus *Hundesrucb*, hodie *Hundsruck*, Hunnorum præſidium vulgò vertunt: Trithemius populos illos, *Hundsrucker*, Cynonotos vertit, paſſim in Epiſtolis, ineptè ſatis.

Pagus *Hugovve.*

Pagus *Iagesgovve*, tractus ad Jaxtam fluvium, vel Jaguſtam, ut alii vocant, *die Iagſt.* qui non longè à Zebingen exortus,

per Lanchen, Elvvangen, Creylsheim, Landenburg, Krauten, Scheuteren, Widern præterfluens, juxta Jaxfeldium Necharo immergitur. Irenic. d. cap. 34.

Pagus *Lare.*

Pagus *Linzgovve*, *Liencingen.* Hic eſt Pagus ille Lentienſis Alemanorum, cujus mentio apud Ammian. Marcellinum, lib. xv. & xxxi. in quo *Linzburg* caput pagi, de quo vide plura apud Stumpfium.

Pagus Lobodunenſis, Lobodonenſis, Lobodenenſis, Lobodenſis, Lobdinenſis: tot modis ſcriptum invenio. Et Franciċè: *Lobetengovve*, *Lobotingovve*, *Lobodengovve*, *Lobodunovva.* de quo mox plura.

Pagus Loganenſis, *Logengovve*, *Logenehe*, ad Loganam vel Logonum fl. qui vulgo male Lona, & Lanus, die Lohne.

Pagus *Meineveldé*, *Meinfelt.* Pagus Meginenſis Reginoni. De hoc tetigimus paſſim in hoc libro.

Pagus *Moynecgovve*, *Monachgovve*, tractus ad ripam Mœni fluminis. *Meningavv* ſcribit Trithemius.

Pagus *Murachgovve.*

Pagus *Muſelengovve*, ad Moſellam fl. quem & *Muſellam* & *Muſalam* veteres ſcribebant, ut apparet in Fortunato, & tabula Peutingeriana. Vide & Scalig. in lect. Auſon. 1. c. 1. *Duces Moſellaniæ* legimus apud Sangallens. lib. II. c. 21.

Pagus *Nachgovve*, ad Navum vel Navam fluvium, hodie die Nahe / qui apud Bingium Rhenó illabitur. De quo in vita S. Ruperti multa mentio. Vide & Scaliger. d. loco.

Pagus *Naglagovve*, *Nageldacgovve.*

Pagus *Neccergovve*, tractus noſter ad Nicrum, cujus ortum, proceſſum, & loca utrique ripæ adjacentia, donec apud Manheim Rheno abſorbetur, deſcribit Münſter. lib. III. Coſmograph. cap. 312. Irenic. lib. VIII. cap. 34. Cruſius parte II. Suevic. cap. 11. fol. 413.

Pagus Nitenſis, *Nitachgovve*, *Nitgovve.* Cujus mentio Francor. Annali 875. & 880.

Pagus

Pagus *Nordogovve.* Noricum, in quo & Burgum, reſidentia Comitis: unde Noricus mons, Noricum caſtrum, & Noriberga dicta, Burggravii olim ſedes.

Pagus *Oſninge.*

Pagus Pedenſis.

Pagus *Pernaſſa.*

Pagus *Plumgovve*, vel *Phlumgovve*, in quo ſita eſt ſilva Ottonevvaldt. De quo Munſterus lib. III. cap. 359.

Pagus *Phunzingovve.*

Pagus *Rangovve.*

Pagus *Regomago.*

Pagus Rhenenſis, *Rhinechgovve*, *Riniegovve.* De quo mox plura.

Pagus *Rhingovve*, in Rhætia, diverſus à priore. de quo vide Tſchud. cap. 12.

Pagus *Rinckgovve*, diverſus ab utroque priore, ex adverſo Moguntiaci & Bingii, ad dextram Rheni ripam. Quem pagum *Obrincum*, quaſi Oberrinkaw / veteribus dictum fuiſſe, contra Ptolemæum oſtendere nititur Baſil. Herold. in lib. De ſtation. Legion. in veteri German. cap. 25. & noviſſimè Serar. in Moguntiacis lib. 1. c. 12.

Pagus Rigorenſis.

Pagus Ripuarius, ſitus in regno Auſtraſiæ, cujus mentio apud Frodoardum in Chronico ſub Anno 881. & 923. Ad hunc pertinebant leges illæ RIPUARIORUM. Qui & Riparioli dicti, Gall. *Ribaroles.* Vid. Hermannum Com. Neuenaruede Gall. Belg. pag. 19.

Pagus *Rode.*

Pagus *Salzgovve.*

Pagus *Schaflenzgovve.*

Pagus *Smegovve, Smecgovve.*

Pagus Spirenſis, *Spircgovve, Spirchgovve, Spirgovve.* Habuit ſuum peculiarem Comitem provincialem, de quo alibi plura. Landvogtey im Spirkgaw

Pagus *Sualefeldun.*

Pagus *Sulmanachgovve.*

Pagus *Suntgovve.* Bebelius Sungaudos vocat.

Pagus Taxandria, *Dechſendron,* & *Teſtarbanto.* de hoc Leodius inf. Append. pag. 13. & in Eburonib. & P. Divæus in antiquit. Belgic. cap. 15.

Pagus *Tornegovve.*

Pagus *Trichoria, Trichere, Treckere, Tracheri, Trachgovve.* Wandelbertus in vita S. Goaris: *Veniens ergo in provinciam, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trichoria nuncupatur, atque ad diæceſim pertinet Trevirorum, infra terminos Waſalienſes, ibi in quodam loco ſuper rivulum qui nunc Wochara dicitur, cum permiſſu Epiſcopi &c.*

Pagus *Tuzicgovve.*

Pagus *Vſgovve.*

Pagus *Viorotun.*

Pagus *Walgovve.* De quo Tſchud. cap. 24.

Pagus *Waltſazi.*

Pagus *Weſtergovve,* in quo ſilva Weſtervvald.

Pagus *Wetdereiba,* hodie *Wetteravv.*

Pagus W*ingarteiba,* olim in ditione Guelforum.

Pagus Wormatienſis, qui & Comitatus Wormatienſis, vel Warmacienſis, *Wormazfelden, Wormazfeld, Wormesfeld.* Hodie Wormßergaw/ & Altzeyergaw/ atque etiam κατ' ἐξοχὼ, das Gaw. In quo pago (quod ſummè notandum) antiquitus ponitur etiam *Megunzer marca,* atque adeò Moguntia civitas. Nec ullum pagum ampliorem & villis inſtructiorem hoc invenio. Et ſanè fuit olim ſub regno Francorum Wormatienſis Archiepiſcopatus totius Germaniæ maximus & ampliſſimus; cui XVI. epiſcopatus ſubordinati erant: donec circa annum DCCXIX. is ad Moguntinos translatus fuit. Vide Bruſchium in Geruilione Epiſc. & Cratepol. in Catalogo Epiſcopor. pag. 303.

MOGUNTIA.

Pagus

Pagus *Zabernachgovve*, hodie *Zabergeu*. Zabergea terra arabilis juxta Zaberam fluvium, in Ducatu Wirtenbergenſi, ait Bebelius. Et hos hactenus Pagos obſervare licuit: ſi quos præterea deinceps, Lectori non invidebimus.

DE PAGO RHENENSI ET IN eo Cœnobio Laurishamenſi. Sepulchra ibi Regum & Principum veterum. Notitia villarum ejusdem Pagi, cum quibusdam earum antiquis terminationibus.

CAPUT VI.

BOnum factum à nobis præſtitum, bonamque gratiam almæ patriæ Germaniæ relatam exiſtimo, dum ei pagos ſuos (quod à nullo ante equidem tentatum ſcio) quatenus licuit, reſtituere conati ſumus. Nunc lectoris gratiæ hoc etiam amplius dabimus, ut Pagorum aliquot Villas, ab eodem illo Francico ævo repetitas, veteribus ſuis nominibus deſcriptas, & ordine literario diſpoſitas exhibeamus: ſed trium tantum pagorum, qui loco huic in quo ſcribimus, proximi & contigui ſunt, nimirum pagi Rhenenſis, Neccarenſis, & Lobodunenſis. Et Rhenenſem quidem primum dabimus, cum ut error ſupra perſtrictus, de Comite hujus pagi cum Palatinis Rheni confuſo, quanto ocyus animis eximatur; tum ob Rheni patris honorem, ad quem uſque, à ſtrata montana hic Pagus extenditur; tum denique ob loci vetuſtatem & religionem, cœnobio præſertim illo tota Germania famoſiſſimo & antiquiſſimo, quod *Laurisham* vocabatur, memorabilem. Hoc enim eſt illud, quod tempore Pipini Regis, CANCOR illuſtris Rhenenſis pagi Comes, Ruperti F. Adelhelmi N. (ut Annales ejus Cœnobii teſtantur) cum matre ſua Williſvvinda Ruperti Comitis vidua, in inſula Aldenmunſter nominata, primus fundavit & magnificè dotavit: poſteaque Rutgangus Metenſis

Vid. Leod. infra Append. p. 8.

tenſis

Paul.Diac. in Epiſcop. Metenſib. tenſis archiepiſcopus Beato Nazario, allatis Roma iſthuc ejus leipſanis, conſecravit: Carolus denique Magnus, qui & præſens conſecrationi adfuit, multis prædiis, privilegiis & donariis exornavit: aliique Principes, Comites, proceres, ingenui, omniumque ordinum homines per totum Rheni tractum ad infimam uſque Germaniam habitantes, admirabili ſtudio quaſi certatim locupletarunt, ut cum magno Epiſcopatu vel Principatu conferri potuerit. **Vita Car. M. edita à P.Pith.* Eò Taſſilonem Bojariæ Ducem iterato rebellantem, & graviora meritum, Carolus Magnus Imp. detruſit, ut varii Annales * referunt. *Friſingenſ. v. Chron. capite 25. & aliis.* & ipſius ibi monumentum adhuc viſitur, cum hac inſcriptione:

CONDITUR. HAC. FOVEA. QUEM. PIE. CHRISTE. BEA.
TESSILO. DUX. PRIMUM. POST. REX. MONACHUS. SED. AD. IMUM.
IDIBUS. IN. TERNIS. DECESSERAT: ISTE. DECEMBRIS.

Sed & Ludovicus II. Pii F. Franciæ Orientalis & Bojariæ Germaniæque Rex, & hujus filius Ludovicus III. Germaniæ Rex, in eodem monaſterio tumulari voluerunt, (tantus fuit olim loci ſplendor, qui veluti in meditullio regni Francorum poſitus) ut Chronica ipſius Cœnobii fidem faciunt, & præter Aimoinum, Reginonem, etiam antiqui annales Anonymi ſub *Edit. Pith. pag. 105.* Anno DCCCLXXXII. Ne de recentioribus, Trithemio, Aventino, ſubſidium quæramus. Omnium quidem inſtar eſſe poteſt diploma Caroli Craſſi Imp. quod fidei plenè faciendæ ergo ex Archivis Palatinis hoc loco inſerere placuit:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si locis Deo dicatis ex noſtris rebus pro Dei amore, & remedio animæ noſtræ & parentum noſtrorum aliquid conferimus, & neceſſitates ſervorum Dei aſſiduè ſibi famulantium noſtro ſublevamus juvamine, id procul dubio & nobis ad æternam vitam feliciter obtinendam, & parentum

tum noſtrorum animabus ad veniam conſequendam profuturum liquidò credimus. Qua de cauſa omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum, comperiat manſuetudo, qualiter nos ob amorem Dei, & remiſſionem peccatorum noſtrorum, atque pro remedio animarum piæ recordationis genitoris noſtri HLudovvici, necnon & kariſſimi fratris noſtri HLudovvici, glorioſiſſimorum Regum, ad monaſterium quod vocatur Laureſham, ubi S. Nazarius corpore requieſcit, & præfati Reges N. 1. *humati habentur, exſpectantes diem reſurrectionis, ubi Gerhardus Abba & rector ejuſdem monaſterii eſſe videtur, quaſdam res juris noſtri, in jus & proprietatem perpetuò poſſidendum conceſſimus, videlicet in Comitatu Wormatienſi, ad villam quæ dicitur Alesheim, curtem indominicatam, ſicut ad Imperatorem pertinet, cum manſis, ædificiis, utriusque ſexus mancipiis, terris, pratis, vineis, ſylvis, cultis & incultis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, viis & inviis, & adjacentiis, finibus, & omnia ad ſe jure legitimo pertinentia. Eo ſcilicet rationis tenore, ut perpetuo monachis ibidem Deo famulantibus in uſibus deputentur, atque indeficiens luminaria exinde in Eccleſia ubi præfati viri requieſcunt, habeatur; & nulli præfatæ res in beneficium tradantur, ſed ita auxiliante Deo permaneant, ad uſus fratrum & luminariam inextinctam, veluti prælibando ſtatuimus. Unde & hoc noſtræ auctoritatis præceptum fieri juſſimus, per quod decernimus atque jubemus; ut nec noſtri, nec ſucceſſorum noſtrorum temporibus ullus habeat poteſtatem, ex ſupra ſcriptis rebus aliquid minuere, ſubtrahere, vel immutare: ſed ita inviolabiliter permaneant, veluti prælibavimus. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, & per futura tempora verius à cunctis credatur, & diligentius obſervetur, manu propria ſubter eam firmavimus, & annulo noſtræ impreſſionis juſſimus ſigillari. Karolus Imperator Auguſtus, Segoinus notarius ad vicem Luitvvardi archicancellarii recognovi, & ſubſcripſi. Data* III. *Id Junii, Anno ab incarnatione Domini,* DCCCLXXXIV. *Indictione* II. *anno verò regni domini Karoli Auguſtt* VIII. *Imperii autem* IV. *Actum Wormatiæ, in Dei nomine feliciter, Amen.*

Et extant omnino ibidem in hanc diem ea Regum monumenta; licet anepigrapha: unum retrò altare majus, cui applicatum & contiguum eſt, habens deſcenſum in cryptam, in qua marmor ingens prophyreticum pulcherrimum, minimè vulgare ſepulcrum abundè comprobet: alterum in media navi (quæ vocatur) templi columellis ſuis impoſitum, nec ineleganti fabricâ antiquitatem ſuam referens. Quæ quidem duo Ludovicorum illorum Regum eſſe non dubito. Eſt ibidem etiam tumulatus Hugo Dux, Ludovici illius III. filius naturalis, à Nortmanis in prælio cæſus anno DCCCLXXIX. Regione teſte: ſed & aliæ illuſtres perſonæ ſine dubio complures: quorum memorias curioſo ſpectatori per ſe luſtrare licet.

NOTITIA VILLARUM PAGI

Rhenenſis, qui Francicè Rinechgovve, *&* Rinicgovve *dicebatur.*

Aldenmunſter, inſula, ubi monaſterium Lauresham poſtea poſitum eſt, ſuper fl. Wisgoz. De hoc capiendus eſt locus veteris ſcriptoris de vita Caroli Magni: *Et interrogavit Taſſilonem, quid agere vellet? Ille verò poſtulavit licentiam ſibi tonſurandi, & in monaſterium introeundi. Similiter filius ejus Theodo judicatus eſt: & ambo facti ſunt monachi in Olto Monaſterio * ubi S. Bonifacius* (Legendum credo *Nazarius*) *requieſcit.*

Edit. Pith. pag. 253.

* Alden-münſter.

Altdolfesbach.

Baſinesheim, *Buoſinesheim*, ſuper fl. Liutra. [hod. Beneheim.

Betthenheim.

Babeſtat.

Birſtat.

Bibinfloz. ſuper fl. Wisgoz. [hod. Biblet.

Birkenovva.

Biccham-

Bicchunbach, Bikenbach. Fuit aliquando Baronia, hodie in jure Landgravii Haſſiæ reſidentis Darmeſtadii Comitum Erpacenſium.

Camben, villa.

Dornheim.

Eccandorph.

Elimaresbach.

Eriſeldon. *Ehrſelden.*

Eberſtat. *Heberſtat.*

Frenkenvelt. vicus. [ſ. hodie Franckenſtein / arx equeſtris familiæ ejus nominis.

Frigbodesdorphe.

Gaulago, villa.

Gunnenbach.

Gernesheim, *Kerenesheim*, *Gernicheshcim*, [hodie Gernsheim.

Geravv, villa prope Triburiam, à qua tota illa regiuncula, pars Comitatus Catzenelenbogenſis anterioris, [hodie das Gerawer Ländlin] nomen habet.

Hemingesbach, villa. [hodie Hemſpach.

Hephenheim, villa. [Heppenheim an der Bergſtraß. Cujus terminationem ex antiquiſſimis monumentis apponam:

HÆC EST DESCRIPTIO MARCHÆ, SIVE terminus ſilvæ, quæ pertinet ad Hephenheim, in pago Rhenenſi: ſicut ſemper ex tempore antiquo Ducibus & Regibus ad eandem villam tenebatur; usque dum eam Carolus Imperator tradidit ad ſanctum Nazarium pro remedio animæ ſuæ.

INPRIMIS *incipit à loco qui dicitur Steinvortovva, ubi Gernesheim marca adjungitur ad Hephenheim marcam. Inde ad Langvvata. Inde in Ginnesloch. Inde in Woladam. Inde ad Adolvesbach. Inde in Felisberk. De Felisberk in Reonga. Inde in Wintercaſten. Inde in mediam Arezgreſte. Inde in Welinchune.*

Deinde in ſummitatem Hildegeresbrunno. Inde in Burgunthart. De Burgunthart in Eicheshart, ubi Rado domini Regis miſſus fecit ſ. tumulū. nam ſcriptura erat ambigna. Germaniſmus. Lang den Necker. **tumulum in confinio ſilvæ quæ ad Michlinſtat pertinet. De illo tumulo in Ulisbrunnen. Inde in Moſchart, ubi alius tumulus eſt factus. Deinde in Lintbrunnen, ubi eſt tertius tumulns. Inde in Albvvineſſneida, usque in Moresberck in fluvium Neker, ubi Lutra rivulus intrat in Neker. Deinde tendit per longum Necker,* & pervenit ad locum ubi Ulvena fluvius intrat in Necker. Deinde juxta Ulvenam usque in Franconodal ſummitatem, ubi Steinbaha rivulus incipit manare. Deinde ad pendentem Rocham. Inde in Gunnesbach ſummitatem. Et ſic per totam ſilvam in longum usque in medium Katesberk. Inde in ſtratam publicam quæ ducit de pago Lobodonenſe. Et ſic pervenit in Wisgoz: & ſic* Langs der Weſchnitz. *per longum Wisgoz,* usque ad Lauresham. Inde iterum in Steinfortovva. Hanc villam cum ſilva habuerunt in beneficio Wegenlenzo pater Warini, & poſt eum Warinus Comes filius ejus in miniſterium habuit ad opus Regis, & poſt eum Bongolfus Comes, quousque eam Carolus Rex ſancto Nazario tradidit. Iſte Warinus ex præcepto Caroli regis anno* XXVII. *regni ejus mediante menſe Auguſto placitum in eadem ſilva ad tumulum qui dicitur Walineboug habuit, & cum illuſtrium virorum judicio & teſtimonio terminum & diviſionem ejus faciens, eam à ſilva quæ pertinet ad Moynecgovve, & ab omuibus circumpoſitis marchis ſub certis & deſignatis limitibus diſterminavit, quorum limitum hæc ſunt vocabula: Steinfurt, Ginnesloch, Walodam, Adolfesbach, Felisberk, Winterchaſto, Gelicheberga, Aresgreſte, Walehinhoug, Burgunthart, Eicheneshart, Heldigeresbrunno, Moſahart, Lintbrunno, Cravvinberk, Albvvineſſneita, Mauresberk, Gamenesbach, Igilesbuch, Rennolfeſſól, usque in Ulvena quæ influit in Necchar. Ab Ulvena usque in Franconodal. Ad petram in Kaſenovva. Ad petram ad Hirſelanden. Loubvviſa, Marlacha, Muſa, Aganrod.*

Infra hos limites juxta decurſum fluvii Wisgoz, qui ex duobus fontibus ſcatet, ſecus duos viculos videlicet Manoldeſcella &

*Richgiſesbura, ſitæ ſunt hæ villæ: Furte, Rintbach, Morlenbach, Birkenovva, Winenheim, Hemmingisbach, Lutenbach, * Hephenheim, Beſinsheim, Urbach, Laureſham, Biſeſtat.* Hod. Läudenbach.

Huic determinationi hi teſtes interfuerunt. DE LOBODENGOVVE, *Dietprecht, Erpolt, Engilbrecht, Leitrad, Iſenbrecht, Reginbrecht, , Hertrinc, Hadebrecht, Bubo, Erkenbrecht, Nauthoch, Helmbrecht.* DE WINGARTEIBA, *Adelbodo, Snelhart, Waldrich, Bodolof, Albrich, Dragebodo, Gebehart, Moor.* DE MOYNICGOVVE & RINECGOVVE, *Rupertus Comes, Gerhart, Wolfhart, Rado, Lambodo, Tieto, Rugger, Wacher, Beinung, Duodo, Hereman, Hercrat, Regenher, German, Wachmunt, Rudolf, Ugo.*

Sed & terminatio Eccleſiæ in Heppenheim facta ſub Carolo M. & ad perennem memoriam ſaxo inciſa, adhuc ibi extat in æde parochiali prædicti oppidi, ad parietem fixa: digna quæ ad teſtandam loci antiquitatem apponatur. Eſt autem talis:

HEC. EST. TERMINATIO. ISTIUS. ECCLESIE. GADERO. RUODHARDERSLOCH. ANZEN. HASAL. HAGENBUOCHA. SUPER. MONTEM: EMMINESBERC. USQ. AD. CILEWARDESDOR. SUL. KECELBERG. RORENSOLUN. A. HURNENECGA. USQ. AD. SCHENBACH. A. SCENBACH: USQ. RAZENHAGAN. A. RAZENHAGAN. USQ. AD. PARUUM. LUDENWISCOZ. A: LUDENWITCOZ. USQ. AD. MITDELECDRUN. RICHMANNESTEN. USQ. ALBENESBACH. UNA. ALBENESBACH. HUC. ALTERA. ILLUC. FRONERUT. STENTENROS. USQ. SCELMENEDAL. MEGENZENRUT. SULZBACH. USQ. AD. MEDIUM. FRETUM. WAGENDENROR. BLUENESBUOHEL. HADELLENBAC. HERDENGESRUNNO. SNELLENGIEZO. USQ. IN. MEDIUM. WISGOZ. ET. IN. MEDIETATE. WISGOZ. USQ. AD. GADEREN. HEC. TERMINATIO. FACTA. EST. ANNO. DOMINICE. INCARNATIONIS. DCCCV. A. MAGNO. CAROLO. ROMANOR. IMPERATORE.

Herulfesheim.

Huſun, villa, in Baſinsheimer marcha.

Hodie Langen. *Langundun*, villa. Cujus terminationem veterem adjiciam:

Notitia hubarum, quæ attinent Langunge. *Incipit enim à loco qui dicitur* Rodesbach, *deinde ſuper medium Stafuleshart, inde* Drey-eich-lacha. *ad Lohhenſouue, inde Ginnesheimer reine, inde ad Driechlahha,* inde ad Bucheivvege, inde ad Spiren Dilinger marca, inde ſuper Roſſeshart, inde ſuper Cubereshart, inde ſuper Ovemda,** Hodie Offenbal. *inde iterum in Rodesbach, &c. Hæc nomina virorum qui juraverunt preſente Ruthardo Comite & miſſo Regis Ludovici junioris, quod ſecundum conſcriptionem iſtorum locorum ſemper eadem ſilva pertineret ad Langunga, & ita habuit eam in beneficium quidam vir nomine Folcrat, & poſt eum Oſther, donec ſub ipſo Oſthero ſervi Regis de Triburin eandem ſilvam per vim intraverunt, & ſibi eam deinceps vendicare cæperunt. Iſti ſunt qui juraverunt: Rudoch, Lintumvvare, Gozalach, Ratger, Liubuart, Beinher, Adelhelm, Godehelm, Berchtunc, Draſemunt. Iſti ſunt qui audierunt: Ruthardus Comes, Cilevvart, Gernant, Rambertus, Herivvic, Hildebalt, Adelhun, Rutart: item Gernant, Adelhelm, Ruotvvic, Altvvin, Willefrit, & alii multi.*

Leheim, villa.

Lieberesbach.

Locheim, ſuperius & inferius.

Liuthershuſon.

LAURESHAM monaſterium, ubi S. Nazarius (cujus natalis in Martyrologiis habetur XII. Junii) in corpore requieſcit, in Comitatu Gebehardi, Burcardi advocati. Ita video ſcriptum in veteribus diplomatis plusquam ſexcentis, jam inde à fundatione prima, & ſequenti ævo Carolino. Et apud Liutprandum, & in annalibus à Pithœo editis, * *Laureshelm.* Scriptores tamen quidam recentiores *Laureacenſe monaſterium* nominant, ut Friſingenſis: alii etiam *Lauriſſam*, ut Trithemius paſſim. Vide etiam Munſter. lib. III. cap. 354.

Lib. IV. cap. 1. 5. **pag. 105.* *v. Chronic cap. 25.*

Oncular.
Piſinheim. Piſinhanno marca.
Phungeſtat, [Funckſtatt.
Raurcheim, *Rorheim.*
Rigimago.
Scarra.
Seheim, villa, hod. in jure Comitum Erpacenſium.
Steine, locus juxta fl. Rhenum ſitus, in Comitatu Cunradi Ducis.
Suainheim, *Sueinheim.* De qua veterem actum ſubjicere operæpretium:

Notitia de inquiſitione Hurfelder marcha, in qua villa quæ dicitur Sueinheim, ſita eſt. *In anno* XIIII. *regni domini noſtri glorioſiſſimi Imperatoris Caroli Magni, publico apud eundem principem habito placito, facta eſt inquiſitio de Sueinheim, ſi per drictum deberet attingere ad villam* Hurfeldo *marcam, quam ipſe dominus & ſemper nominandus Carolus dedit in elemoſyna ad partem ſancti Nazarii. Hæc ſunt nomina teſtium qui in ipſo placito fuerunt. Heimiricus Comes filius dominæ noſtræ Willisvvindæ, Widrat, Franco, Folcrat, Erbivvart, Benno, Friderich, Erunſt, Ireminulf, Waltheri, Heittung. Ibi fuerunt etiam miſſi domini Regis, Guntrammus & Herirardus cancellarius, & ſcabini, & teſtes quorum iſta ſunt nomina; Guntramnus Comes, Albraat, Theodo, Zeizo, Frickio, Geslelin, Sigefrit, Adalman,* Heriraat, *Rado, Rutger,* Riphvvin, *Stahal filius maſſæ, Welafrid, Hucbertus, Willehelm. Iſti omnes atteſtati ſunt quod abſque ulla ambiguitate per drictum in elemoſyna domini regis ad partem ſancti Nazarii villa Sueinheim cum omnibus adiacentiis ſuis attingere deberet, eo quod infra marcum* Hurfeldun *ipſa villa Sueinheim ſita eſt. Igitur in illo die Lunæ (quem nos dicimus ſecundam feriam) proximo, qui fuit* VIII. *Id. Junii, venerunt miſſi domini* Regis, *Richardus & Guntramus Comes, in jam dictam villam Sueinheim cum prefatis Scabinis & teſtibus, & ſimiliter omnes conſona voce ſicut prius in primo placito dixerunt: ac ſic præcepto regali teſtificatio illorum confirmata eſt.* Gall. par droict.

Suer-

Suarzaha, fluvius.
Sulzbach.
Thornheim.
TRIBURIA, villa Regia & publica, de qua alibi plura.
Virnunheim, *Virnheim*, Ejus Terminationem ſaltem hîc apponam.

CONSCRIPTIO MARCHÆ ET SILVÆ, QUÆ pertinet ad Virunheim, in pago Rinicgovve, ſicut eam Chunradus Rex ad manum ſuam habuit; & per Liutfridum ipſius Comitem cæteroſque ſuos fideles limitibus, collibus, vallibus, lapidibus, tumulis, viis, interdiſtinguere juſſit, ſicut infra habetur:

*Ab Oriente incipit à petra quæ ſtat in Aldaha, & ſic vadit ad vallum ubi confinium eſt Liuthereshuſon & Hetenesheim. Deinde ad furnum calcis. Deinde per medium Michilinrieth. Deinde per medium Rincevviſon. Deinde ad Sol, quod eſt in confinio Strazheim & Virnunheim. Deinde ad agrum Regis. Deinde ad Stochvvege. Deinde ad lapidem qui ſtat in vico qui dicitur Gebertl. Deinde ad * tumulum. Deinde ad publicam ſtratam. Deinde ad lapidem qui dividit piceum nemus ab altero. Deinde ad Hohenvvarta. Deinde ad lapidem qui ſtat in via, quæ pergit ad Lorſam. Et ſic iterum in Aldaha, ut ſupra dictum eſt.*

* ſ. *cumulũ*, hodie adhuc, der Kümel.

Wadtinheim, *Watenheim*, in Comitatu Utonis.
Wisgoz, *Wiſchoz*, fluvius [hodie die Weſchnitz.
Zullenſtein, villa, in ripa & portu Rheni fluminis.

Habes, Lector, hujus pagi villas, quas omnes Carolinis temporibus extitiſſe, vetera inſtrumenta fidem faciunt. Et hodie omnes ferè in præfectura ſive Burggraviatu Starckenburgenſi continentur, ita ut ea nil aliud quàm vetus ille Pagus Rhenenſis eſſe videatur. Nunc dabo & reliquorum duorum. Nec eſt quod mireris, eadem aliquandò villarum nomina ſub diverſis Pagis reperiri, ut Scarram, Virnheim, alia: ſive quod plures ejuſdem nominis villæ eſſe potuerint diverſis in pagis, ſive quod

quod eadem villa forte in confinio poſita pluribus pagis annumerari, ut & hodie controverſias videmus de finibus, ſtritt umb die Gemarckung und Empter.

DE PAGO LOBODUNENSI.

Caſtrum Lobodo, quod olim Lobodunum Auſonii. Notitia Villarum ejus Pagi, & Pagi Neccergovve.

CAPUT VII.

VENIO ad pagum noſtrum Lobodunenſem, quem nulli mortalium (quem ſciam) præter me hoc tempore cognitum, meâ operâ innotuiſſe poſteritas, ſi qua futura eſt, candidè probabit. Ejus mentionem quidem nobis ſuppeditant cum plurima vetera inſtrumenta, tum verò optimi illi Francorum Annales Anonymi, à P. Pithœo primùm editi, ſub Anno DCCCXXVII. XV. *Kal. Februar. veſperi terramotus apud S. Nazarium* (id eſt, Laurishaimenſe cœnobium, in pago Rhenenſe) *& in Wormacenſe, & Spirenſe, & Lobodunenſe* (ſcilicet pago) *factus eſt.* At quis is ſit, & ubi gentium poſitus, nulli homini nato jam conſtare arbitror: nec quod in eo Heidelberga ſit requirenda, ipſius habitatorum quiſquam hactenus vel per ſomnium cogitaverat. Ego princeps ceu virgulâ divina è vetuſtatis reliquiis & monachorum quiſquiliis erui, & Villas quotquot in eo poſitæ fuerunt, improbo labore eruderavi: quarum Notitiam Lectori non invidebo. Unde diſcemus, in Lobodunenſi diſtrictu non tantum ipſum caſtrum Lobodonem, aut Lobodunam civitatem, burgumque Lobodunenſe, tanquam caput Pagi ſui, Comitis palatium aulamque & tribunal; ſed etiam Heidelbergæ noſtræ (quæ nulla adhuc tum temporis civitas hoc nomine extabat) fundamina extare: nimirum montem Abrinsbergum ad dextram ripam, & villam Bergeheim ad ſiniſtram: utrumque licet intercurrente Nicro fluvio diviſum, in pago eodem Lobodonenſe ſitum. Unde *Pag. 34.*

K multo

multo poſt tempore, & vix ante tria quatuorve ſæcula, ex hisce duobus tanquam elementis natam illam eſſe oſtendemus. Quo quidem de reperto non paulo juſtius, quàm Rhenanus & Heroldus de indagato Capellatio, & nobis ipſi gratulamur, & ab æquis intelligentibusque æſtimatoribus plauſum ſperamus.

NOTITIA VILLARUM PAGI

Lobodenſis, Lobodunenſis, Lobodonenſis, Lobodenenſis, Lobdinenſis; Francicè *Lobotengovve, Lobotingovve, Lobedengovve, Lobodunovva.*

Aberinesburg, Abrinsberg, Abramesberg, quaſi mons Abrahæ (ſcribitur & *Ebrensperg*, & *Ebernüsperg*) locus jam inde celebris: hodie Heiligenberg: de quo mox plura. Hunc autem in pago Lobodonenſe ſitum fuiſſe, fidem faciant antiqua documenta ſuo loco edenda. Et hoc quoque argumento eſſe poteſt, quod etiamnum vineæ illæ ad radices montis hujus, ex adverſo Heidelbergæ, trans pontem ſitæ, Im Lobenfeld vocantur, & decimas pendunt ad cœnobium ejusdem nominis, Lobefeldum.

Infra in Append. fol. 33. & ſeqq.

Aphapalaha villa, in Comitatu Cunradi Ducis.

Bergeheim, Bercheim. locus vicinus Heidelbergæ, hodie Alt-Bergen: quo loco molendinum tantum ſuperſtes, veteris nominis memoriam tuetur. In hac villa fuit olim Eccleſia parochialis, benè dotata decimis aliisque reditibus; quæ poſtea ſurgente Heidelberga (ut ſuo loco dicemus) eo translata eſt. Vide D. Hartman. Eppingenſ. lib. II. Obſervat. practic. Tit. ult. §. XIII.

Bergeimer mühle.

Blanckenſtat, villa.

Boteresheim, Buteresheim.

Bircke-

Birckenovva.
Clopphenheim, *Clopheim.*
Chiricheim, *Ciricheim*, [hod. Kirchheim.
Cilolvesheim. [hodie Cilvesheim.
Ditzenbach.
Dornheim.
Dochſenheim, *Doſſenheim.*
Dotrisheim.
Divvelenheim, ſuper fluvium Suarzahă.
Edingon, *Eddingun*, *Edingen.*
Eppilenheim, *Ebbelenheim*, *Elbĕlenheim.*
Godenovva.
Govvinberch, locus in Bergeheimero marca. [hod. Göwberg.
Granineshe im, *Granesheim*, *Greneshe im.*
Hantſcuesheim.
Herimunteshe im.
Heidolfesheim. [hodie Heidelsheim.
Hege.
Hillenbach, *Hillinbach.*
Hiltdibrandeshuſun.
Hirtzberg.
Hohemartim. [Hohenart.
Hophovva, villa. *Obſovva.* [hodie Oppaw.
Hoſtat.
Huſa, *Huſen*, villa.

LODODO caſtrum, vel LOBODUNA civitas, LUPODUNUM Auſonii ipſiſſimum, caput & metropolis (ut ſic dicam) pagi Lobodunenſis, Francicè *Lobedenburg*, *Lobotenburc*, & *Lobdeburg* dicta, quaſi burgum & præſidium ipſius pagi. Id enim eſt *Burgum*, oppidum munitum, arcem impoſitam habens. unde Burgundiones dictos Paulus Diaconus & Iſidorus * volunt. Otfridus Monachus in Evangelio illud, *Ite in civitatē*, Theotiſcè ſive Franciſcè vertit; *Farct in thia* *Burg.* *Pith. 1. adverſar. cap. 14.* *Pag. 375.*

Burg. Vocem tandem Romani quoque mutuati ſunt. Juſtinianus in l. 11. C. de offic. præfect. prætor. Africæ: *Et ubi cuſtodes antiqui ſervabant, ſicut ex clauſuris & burgis oſtenditur*. Unde titulus *de Burgariis* Cod. Theod. lib. VII. Quo de genere jam inde à Valentiniani & Gratiani ævo (locupletiſſimo teſte Decio Auſonio Gratiani Imp. præceptore, & poſtea Conſule) oppidum iſtud Francorum fuiſſe, ſupra expoſuimus: & ſpecies ipſa loci antiquitatem majeſtatemque ſuam ſatis adhuc tuetur. Quapropter abſque dubio & Comes ſeu Graphio pagi Lobodunenſis ibi ſedem & palatium, aulamque, & (quæ à Francis tradita vox permanſit) *Salam* ſuam habuit: tribunalque & auditorium, ubi more majorum jus diceret (quod Franci *Mallum* vocabant) ibidem fuit. Quæ omnia didici ex aliquam multis diplomatis Carolorum, Ludovicorum, Ottonum, Henricorum, ita ſubſcriptis: *Dat. apud Lobodunam civitatem publicam*, Item: *in mallo publico apud Lobeddenburg*. Item: *in Lobodone caſtro*, aut *caſtro Lobodonenſi*. tot & pluribus modis variatur. Additum etiam aliquando: *In præſidatu Cunradi Comitis*. Et, *in Comitatu Henrici Comitis*. Sed & ipſa adhuc civitas (quæ hodie Palatinum Electorem, & antiſtitem Wormatienſem, communiter dominos agnoſcit) in ſigillis ſuis, quibus pro inſigni Burgum ſeu caſtellum biturritum ad veteris dignitatis memoriam inſculptum habet, nomen etiam illud ſuum vetus Francicum incorruptum conſervat: quidquid vulgò ſcribæ peccent, *Ladenburg* & *Laudenburg* facientes, quod aliis deinde occaſionem fingendi Latinoburgi dedit. Pro quo ſigilla ita habent: S. PARUUM. OPPIDI. LOBDENBURG. Et: BURGENSIUM. IN. LOPDENBURC. Quod unum hanc obſervationem noſtram maximè confirmat.

Hod. adhuc: der Saal zu Ladeburg.

Bruſch. in Epiſcopat. German. p. 104. b.

Leimheim, *Leinheim*. (hod. Leymen) ubi vinum dilutiſſimum naſcitur, ſanitati maximè conducere creditum.

Lieberes-

Lieberesbach.
Lutenbach. [hodie Laudenbach.
Marchotesheim.
Mannenheim, Manninheim. [hod. Manheim. de quo alibi plura.
Mercklingen.
Milhuſen.
Nivvenheim. [hod. Newenheim. Ubi ante aliquot annos è vinetis complura vetuſtatis Romanæ monumenta, columellæ, aræ, ſaxa literata, ſed non amplius legenda, & inter hæc inſignis ſtatua Mercurii effoſſa ſunt.
Nivvenhofen, in confinio Hantſcuesheim.
Nuzlohun, Nuzlohen. [hod. Nußloch.
Offtresheim.
Otincheim, villa, in Comitatu Liutherii.
Obſovva. [Oppaw.
Rintbach.

Rorbach, ad medium ab Urbe noſtra lapidem. Extabat ibi Ara ſaxea integra, quam incolæ è ruderibus veteris arcis, inter Kircheim & Rorbach, nunc funditùs everſæ, per arantes effoſſam dicebant, alipedi Divo inſcripta: MERCURIO. TIMONIA. VITTUO. Quam à poſſeſſore (præ cujus foribus poſita ſedilis uſum præbebat) redemtam, & in ædes meas Plinianas translatam, poſtea in Principis arce extare malui, ubi muro inſerta, Atlantiadem illum in Nevvenheim repertum ſuſtinens, viſitur.
Ruzondun.
Sahſſenheim minor, & major, in Comitatu Megingaudi [hod. Groß und Klein Saßeim.
Scarra, villa ſuper fl. Rhenum ſita.
Scriezesheim, Scrizzesheim. [hod. Schriesheim:
Sidtenheim.
Sigenheim, Sikkenheim, Siecbenheim, ſuper fl. Necchar. [Seckenheim.] locus ut à Victoria nomen & omen habens, quaſi Nicæa quædam aut Nicopolis, ita memorabili illa Friderici I.

Palatini contra tres illuſtres hoſtes victoriâ æternùm nobilis. Cujus ibi in agro, prælii loco, tale extat in columna lapidea monumentum: Als man zehlt nach Gottes Geburt MCCCCLXII. Jahr / auff S. Paulus Gedächtniß Tag / ſeynd auff dieſer Wallſtatt durch Hertzog Friderich Pfaltzgrave bey Rhein und Churfürſten / nidergeworffen worden / Herr Jörg Biſchoff zu Metz / Marggrave Carl von Baden / und Grave Ulrich von Wirtemberg / mit einer mercklichen Zahl ihrer Diener / Graven / Herrn und Knecht. Und denſelben / die in ſolchem Geſchäffte todt blieben ſeynd / wölle GOtt barmhertzig ſeyn / &c.

Sigiricheshei m.

Steinnaha.

Steinbach.

Strazheim.

Suaboheim, *Svvabenheim.* à quo prope abeſt Suabeck / arx ad ripam Nicri, cujus adhuc ruinæ apparent: & Schwabenwädlin / ſylvula.

Suezzingen, ſuper fl. Suarzaha.

Sunthove, villa. [hod. Sandhoven.

Thiedunges-vvilre.

Trutolfesheim.

Vffhuſen.

Vitenheim, *Vittenheim*, ſuper fl. Nekere.

Virnheim, *Virninheim*, *Firnheim*, in Comitatu Liutfridi. Cujus Comitis ſupra mentio fuit. *Pag. 52.*

Ulveneshei m, cis fl. Nekker. [hod. Ilvesheim.

Walahaſtat, *Waleſtat* villa, ſuperior & inferior, in Comitatu Wernharii, an non à clade * & internecione aliqua, ſive Romanorum ſive Germanorum, nomen traxiſſe putanda? Inter hos enim Divus ille ἀλλοπρόσαλλος ludum inſolentem ludere conſeverat. Et ſolenne fuit, locis ubi prælia atrocia commiſſa & ingentes ſtrages editæ, ejusmodi nomina indere. Quomodo Pollentiam à clade Getica Claudianus vocat

Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum

* *Ita ſuperius*: auff dieſer Walſtat.

Barbariæ - & loci cujuſdam in Aquitania, cui nomen fuerit, MORS GOTHORUM, meminit Aimoinus.

Waltdorph, Waltorff.

Waltdolpheshuſon.

Weſtheim.

Weziloch, Wezzinloch. [hod. Wiſſenloch: oppidum magis quàm villa: in quo etiam habitare aliquando veteres principes Palatini non dedignabantur. Partem caſtri ante quatuor ſæcula eos reperio emiſſe à Dominis de Weinſperg: cujus rei documentum non ſine cauſa hoc loco apponere viſum.

Nos *Engelhardus ſenior, & Conradus junior de Winsberg, tenore præſentium profitemur, & notum facimus univerſis intuentibus ſeriem hujus ſcripti, quod nos Sereniſſimo domino noſtro Ludvvico, inclito Comiti Palatino Rheni, Duci Bavvariæ, accedente conſenſu & voluntate uxorum noſtrarum kariſſimarum, videlicet Agnetis de Levvenſtein, & Lukardis de Niſen, nec non Conradi junioris de Weinsberg, & Elſbethæ conſortis ſuæ dictæ de Katzenelnbogen, partem noſtram caſtri in Wiſſenluch cum omnibus ſuis appendiciis, videlicet jure capellæ ibidem, hominibus & bonis, cultis & incultis, quæſitis & inquirendis, quæ nobis competebant vel competere videbantur, vendidimus & donavimus jure proprietatis perpetuo poſſidenda, facientes ſibi de hoc gvvarandiam, quod vulgo* Gewerſchafft *vocatur, ſecundum conſuetudinem terræ debitam & perfectam. In cujus rei teſtimonium præſentem cedulam dedimus noſtrorum ſigillorum munimine roboratam. Actum & datum Schurberch anno Domini* MCCLXXVII. *tertia Kal. Maii.*

Winenheim, quod & *Windoheim*, & *Windenheim* ſcribitur, villa. [Weinheim hodie, cui impoſitum caſtellum nomen retinet, Windeck.

Wibilingen.

Zozenbach.

Hiſce cumuli loco apponam etiam pagri Nicrini (ut promiſi)

villas: quas pauciores invenio, & magna ex parte mihi, quantumvis vicino, hactenus incognitas fateor.

NOTITIA VILLARUM PAGI

Neccergovve. Qui quidem Pagus collocatur in Ducatu Alemanico, vel provincia Alemania, ut alibi notavimus.

Adiningen.
Alachbach.
Alanca marca. [ſ. Eltz.
Aſmaresheim.
Baccherheim.
Bargen.
Biſsingen, Byſsinga.
Bettingen, Bettingheim.
Benenheim.
Bubſinga.
Diepenbach.
Dunneſtet, Tunneſtat.
Dudunburc.
Greozheim; Greozisheim.
Gundolfesheim. [hod. Gundelsheim.
Gruonincheim.
Hochhauſen: ubi memorabilis, & forte fabuloſus ille ſpecus, dictus der Notpurger loch.
Hubaracheim.
Haſmarsheim.
Iſinisheim.
Larbach. [hod. Lohrbach.
Nabera.
Nydlinga.
Oſinga, Oſingen.
Offenheim.

Offen-

Offenbach.
Sadelerhuſen.
Scenibol, Skeninbol.
Slechtra. [hod. Schluchtern.
Specka.
Sulzbach.
Turmeſtat.
Tutheim.
Vffingen.
Wellenberg.
Willenheim, Wilheim, Wylham.
Zazenhuſen.

Poſſem eadem ratione deſcriptas aliorum Pagorum Villas dare, præſertim pagi Spirenſis, Wormatienſis, Navenſis, Loganenſis, Alemannorum, & plerorumque aliorum, quorum bona pars Palatino paulatim juri conceſſit: ſi id eſſe hujus loci, nec alteri forte cuipiam commentationi atque adeo Celto-Franciæ noſtræ, meliùs convenire poſſe putaſſem. Nunc tempus eſt ad Heidelbergam propius accedere.

DE MONTE ABRINSBERGO,

& in eo cellis S. Michaelis, & Stephani. Hodie Mons Sanctus unde dictus.

CAPUT VIII.

EXPLICATO pago Lobodonenſe, cujus olim Loboduna civitas caput erat, hodie Heidelberga; ut illi modò ſuam dignitatem ex antiquitatis memoria reſtituimus; ita & hujus, poſt ſitum & provinciam deſignatam, origines & primordia inveſtigemus. Et hæc quidem ad ſiniſtram Nicri ripam in amœniſſima valle inter duos editiſſimos montes ſita, veteri non dicam Romanorum, ſed etiam Francorum ævo incognita fuit: montes autem ipſi, præſidia, caſtella, ſpeculas impoſitas habentes (ut ſupra oſtendimus) jam tum, ſi

quis alius in Germania hac Cis-Rhenana locus, longè lateq; cogniti & nobiles fuerunt. Nomina ſanè quæ ſub Romanorum Imperio forte habuerint, ut à nullo idoneo auctore prodita, neſcimus: ſub Francorum autem dominatione dextrum quidem montem *Abrinsbergum;* ſiniſtrum verò in plures diverſos, & diverſorum nominum colles protuberantem, ea parte qua arcem ſuſtinet & civitati imminet, à dote ſua myrtillis *Heidelbergum*, ad cæterorum collium differentiam, ab omni memoriâ dictum fuiſſe, liquidò nobis conſtat. Quod poſteritati tradere, & de hoſpitâ amicáque nobis civitate hanc gratiam inire parantem, quis vetet ex amicis unum conjunctiſſimum in partem & laboris & meriti vocare? Tu ille es

MONS PYRI *videtur Ortelio, in Theſauro.*

Lux equitum, Comes Aulai, digniſſime lauru:
Invidia Auſoniæ, Teutoniaque decus.

Ego igitur Abrinsbergum à me indagatum exponam: tu Heidelbergum, qui tuus eſt campus. Ego illum luminibus obvium habeo: tu iſtius radicem incolis. Uterque aëreus, & nubila pulſans; uterque Muſis amicus; uterque crebrò nobis conſcenſus & perluſtratus, nobis etiam illuſtrationem ſuam debeat.

In primis mecum *ride, ſi placet, o Meliſſe ride* eos, ſive peregrinos, ſive indigenas, qui de hoc loco ſcribentes, verumque (quod modò prodidimus) nomen ignorantes ac ne vulgatum quidem intactum relinquentes, *Omnium Sanctorum montem* comminiſcuntur. Quod vellem nec Leodio excidiſſe, quem tamen aliorum verba hac in parte exſcripſiſſe credere malo. Suavis autem Irenicus, ita ſcribens: *Mons illic omnium Sanctorum, olim arcem præ ſe tulit. Referunt templum illic fuiſſe, quod Græci vocant* πάνθεον: *ſicut olim Romæ fuerat, quod Bonifacius dono accipiens à Phoca Cæſare, in templum Omnium Sanctorum convertit, ut Platina ſcribit.* Πάνθεον *enim templum, ubi antiquitus omnes Dii colebantur, dicebatur.* Quid ergo ſupereſt, niſi ut huic Pantheo conditorem Vipſanium

Appendice infra pag. 23. & 25.

Lib. 11. fol. 396.

Agrip-

Agrippam aſſignemus? quando & Heroldus *ædem Omnium San-* Infra pag.
ctorum vocari auctor eſt. At ego à nullo mortalium Aller heili- 45.
gen Berg dictum unquam audivi, legi, aut alios audiſſe audivi,
nec Irenicum aut Heroldum ita audiviſſe vel jurantibus cre-
dam: ſed ſimpliciter den heiligen Berg. Montem inquam non Heilige
Sanctorum, ſed *ſanctum*, hodieque dici quotidie audimus, & an- Berg.
tiquitus dictum certò ſcimus; cauſſamque rei pandemus.

In eo igitur caſtellum burgumque Romanorum cum in-
veniſſent Franci victores, & ditionis hujus occupatores, qui mo-
re ſuo, non tantum ſtudio quodam Romani nominis obſcuran-
di, & Romanorum operum abolendorum, ſed etiam zelo quo-
dam religionis Chriſtianæ exornandæ & fundandæ, ubique
Principum Romanorum habitacula in Eccleſias, legionum ſta-
tiva in baſilicas Martyrum commutare gaudebant (ut multis
paſſim exemplis per Europam cognitum eſt) idem huic quoque Velſer. v.
loco contigiſſe omnino credibile eſt. Quod & ante aliquot an- Auguſt.
nos Cœnobio integro, melius deprehendi & oculis ſe ingerere Vind. fol.
potuit (idque ante C. prope annos Irenicus notavit, *Montem illic* 90.
omnium Sanctorum olim arcem præ ſe tuliſſe, & Herholdus *Prætorii*
ſeu palatii veſtigia ampliſſima, & ædificia vetuſtiſſima viſi eo loco, ubi Infra pag.
nunc monaſticæ ſocietatis domus magnificæ extant) quàm nunc di- 45.
ruto ſoloque æquato, ſolius baſilicæ parietinis reliquis: in qua
præter columnas antiqui operis, certè duæ illæ erga Occiden-
tem turres ſexangulares, intus ſcalas cochlides ad ſummum
uſque faberrimè ſtructas habentes, planiſſimè veterum manum
& architectationem referre, meliusque propugnaculo & caſtel-
lo quàm templo convenire videntur.

Certè quo tempore è Romanorum manibus in Francorum
Principum jus locus ille pervenit, ſuperfuiſſe in eo vetera ædifi-
cia, præter nomen ipſum Aberinesburgi (quid enim Burgum?)
colligitur apertè ex litteris Ludovici III. Regis, quibus locum
illum, prius conjugi ſuæ Liutgardi præſtitum (ut loquitur) *cum* Inf. Ap-
domibus, ædificiis, aliisque pertinentiis, Walthero abbati Lauriſ- pend. pag.
hamenſi donavit. Poſt quem Gerhardus abbas baſilicam ibi in 33.

 hono-

honorem S. Michaelis Archangeli conſtruxit. Reginbaldus porrò abbas de conceſſione Henrici II. Imp. monaſterium effecit, fratresque ſub regula Benedicti victuros, & fratribus Nazarianis conformes, ibi congregavit. Poſtea Anshelmus abbas in poſteriore & excelſiore montis jugo aliam inſuper cellam S. Stephano protomartyri ſacram, ejusdem Imperatoris conceſſione, & Alexandri III. Papæ confirmatione, fundavit & dotavit. Quam utramque cellam Cunradus I. Rex, & Otto I. Imp. nec non Henrici II. & III. Impp. donatis variis latifundiis, reditibus, & vectigali mercatus Wezzinlochenſis; prædicti quoque Abbates collatis de ſuo donariis, aliique quamplurimi fideles eleemoſynis ſuis, auxerunt & locupletarunt. Fuitque ea inter cœnobium Laurishamenſe, & iſtud Abrinsbergenſe, quæ inter matrem & filiam neceſſitudo: & illud quidem *Eccleſia major Sancti* NAZARII, hoc autem *Eccleſia minor* S. STEPHANI vocari ſolebat, ut ex diplomatis apparet. Cum ergo mons ipſe jam ante (neſcio à qua re) omnium fidelium patri Abrahæ ſacer vel eſſet vel diceretur, & in eo duæ eſſent cellæ, prior S. Michaelis archangeli (à quo montis illa pars etiamnum nomen retinuit) poſterior S. Stephani & Laurentii titulo conſecrata; utraque monachis converſis, eremitis inhabitata, & paulatim accurſu hominum tam accolarum quàm exterorum frequentata, contributionibusque fidelium exculta & locupletata: factum eſt, ut locus ille, quantum præcelſo vertice ſublimis & longè conſpicuus, tantum etiam religione (quam putabant) clarus & venerabilis eſſe cœperit. Quem ut Conradus Rex in litteris donationis ſuæ *Sanctum locum* vocat; ita ab eadem cauſa tandem, omiſſo & deſueto paulatim proprio ſuo nomine, *Montem Sanctum* velut per ἐξοχὴν, ævo illo ſuperſtitioſo, à populo habitum dictumque, facile nobis aſſentiet, qui cum hac ſummariâ narratione antiqua ſuper hoc documenta conferet: quæ hiſce firmandis alibi publicavimus tot & tam clara, ut & incredulus ad fidem habendam adduci, & rerum antiqua-

Appendice inſra pag. 46.

S. Michelsberg.

Appendice pag. 31.

Der heilige Berg.

antiquarum curioſus animum inde ſatiare poſſe videatur.

Accedat tamen his locus diligentis inter Germanos hiſtoriographi, Johannis Trithemii, abbatis Spanheimenſis, qui de Friderico XI. abbate Hirſaugienſi invidia fratrum indignè habito & depoſito ita ſcribit: *Interea adveniens Abbas monaſterii S. Nazarii Lauriſſenſis, cum innocentis viri dejectionem cognoviſſet, cujus vitam & mores ſanctiſſimos dudum antea noverat, ingemuit: quem inter lupos velut agnum diutius manere non ſuſtinens, ex magna eum pietate ſecum abduxit, & in monte S. archangeli Michaelis, qui Abrinsberg* * *dicitur, collocavit, ac de neceſſariis quamdiu vixit, copioſa miſeratione providit. In eodem verò monte uſque ad mortem permanſit, orationibus cæteriſque piæ converſationis ſtudiis intentus, tantoque liberius contemplationi & quieti mentis dedit operam, quanto ab omni cura & tumultu ſecularium occupationum fuerat remotus. Denique non multis poſtea annis evolutis Domino vocante infirmari incæpit, & ſancto in pace fine quievit. Quo mortuo catena ferrea ad nudam carnem ejus inventa eſt, quam multis annis creditur non ſine dolore (quod cicatrices carnibus infixæ monſtrare poterant) in occulto portaſſe. Sepultus eſt in eodem loco, non ſine opinione ſanctitatis: ſuper cujus tumulum nocturnis horis lumina emiſſa (ut multi teſtabantur) viſa ſunt, & ſigna divinitus oſtenſa.* Ecce ſanctitatem loci ſuper Abrahamum, Michaelem, Stephanum, & Laurentium, etiam per hunc indigetem auctam. Sed bene habet, reformata divino beneficio religione ſub Pricipibus noſtris, ſuperſtitionem illam & dementationem hominum primò remiſiſſe; tum & mendicabulum ipſum, mali fomitem, pulvere pyrio totum disjectum & confuſum, in id tantùm ſupereſſe, ut fidem hiſtoriæ dictiſque noſtris cadavere ruiniſque ſuis facere poſſit.

In Chron. Hirſaug. fol. 77. circa annum Dom. 1068.

* vulg. Ebrensberg. M. S. Eberinſperg.

Et hæc de Abrinsbergo, ſive Heiligebergo iſto ſufficiant. A quo (ut hoc tantum addam) nôris diverſum eſſe ejuſdem nominis cœnobium Veſtalium in Bojaria, *Hailigenbergum*. Quod Albertum Monacenſem Bojariæ Ducem conſtruxiſſe, & Benedicti conſecraneis (multum diſſuadente Nicolao Cuſano

Lib. VII. in fine circa annum 1460. Cardinali, & Epiſcopo Friſingenſi, atque jam ante otioſis Monachorum gregibus Bojariæ plebem ſatis ſuperque velut eſcam exedi devorarique cauſſante) tradidiſſe, & paulo poſt in eodem ſepultum, Aventinus ſcribit. Idemque alio loco * *Heliobergam* nominat. Nunc tibi, MELISSE, lampada trado, -- *quem pulcher Apollo*

* Eod. lib. fol. 665.

Omnes per montes, atque antra per omnia duxit,

ut Heidelbergi antiquitatem, verumque nomen Heidelbergæ, ipſis Heidelbergenſibus noſtris expedias.

PAULI MELISSI FRANCI COMMENTATIUNCULA DE ETYMO HAIDELBERGÆ, ET MONTE MYRTILLIFERO.

Ad nob. & clariſs. virum, MARQUARDUM FREHERUN, M. F. *Conſil. Palat.*

CAPUT IX.

QUAM proclives ſint hominum animi, partim aliquid præter rationem temere innovandi, partim abſurdiſſima quæque nonnunquam defendendi, partim etiam in errorem alios quaſi velis equisque ſecum rapiendi; cum in allis rebus quamplurimis quotidie experimur, tum verò in hoc ipſo, de quo tecum, FREHERE conſultiſſime, tecum, inquam, non rectius modò ceteris ſentiente, verùm etiam multo accuratiſſimè de rebus ipſis judicante, in præſenti agere; ac ſententiam meam, non quo tanti eſſe momenti, ſed quia nonnihil ad ſcopum, quo aciem dirigis, facere videatur; conferre inſtituo: idque eâ ratione, ne quivis unus, modò ſit veritati addictus, ipſam non poſſit facile intelligere. Dic ergo liberè, inquis, quicquid ſentias. Hoc mehercule volebam. Audi igitur, ſi vacat; de Orthographiâ & Etymologiâ vocis *Haidelbergæ* breviter

viter differentem. Enimvero ſanè haud arbitror, eſſe alibi quemquam mortalium vel in urbibus & oppidis, vel etiam municipiis & pagis, niſi fortaſſis omnino ſit aut ſtultus aut mutus; qui nomen illius loci, quem inhabitet, aut neſcire aut non eloqui rectè queat. nàm perinde ut civibus, ut ruſticis, ſua cuique urbs, ſuus cuique pagus domi nominatur; ita foris & hunc & illam quoque nominari debere certum eſt. Quòd ſi Roma, ubi ſedes Pontificum ſummorum, non aliter quàm Roma; ſi Praga, ubi regia hodie Rudolphi ſecundi, Imperatoris Romani, Praga; ſi Spira, ubi ſupremum tribunal Imperii, Spira; aliæ item civitates non niſi ſuis quæque nominibus propriis appellari ſolent: cur non & Haidelberga, ubi aula Archipalatini Comitis ad Rhenum, Haidelberga appelletur? ſiquidem multis ante retro ſæculis locus iſte amœniſſimus, quem ſub Friderico III. Electore Palatino libenter antea inhabitavi; atque etiamnum ſub Friderico IV. illius nepote rerum potiente, nonminus jucundè quàm feliciter, Dei Opt. Max. beneficio, ad radicem montis in hortis ſuburbanis incolo; ita indigitatus fuit, etiam ante conſtructum in montis ſupercilio propugnaculum, ipſumque oppidum tam ſuperum quàm inferum. Multo enim manifeſtiſſimum apertiſſimumque eſt, inter pronuntiandum *H* adſpirationem præcedere, quæ quidem ab omnibus tum incolis tum advenis liquidè expreſſéque profertur. Deinde ſequitur primaria Germanicæ ſeu Teutonicæ linguæ in communi uſitatâque loquendi conſuetudine diphthongus *Ai*, quæ Græcè eodem modo ſcribitur; Latinè verò ſi vetuſtiores ſpectemus, itidem per *ai*; ſi poſteriores, per *ae*. nam inter *e* & *i* finale quædam participatio eſt ſoni reſultantis. Qui per *ei* ſcribunt aut pronuntiant, falſo & ſcribunt & pronunciant; uti & illi, qui perperam *ey* committiſcuntur. nam hæ quæ vocales *ey* judicio aurium dignoſcuntur offendere in diphthongum Græcam *ευ* & in Latinam *eu*: quas utrinque longè diverſiſſimam pronuntiationem introducere ſentias. Si recurramus ad libros veteres, in illis *ai* & *ei* reperiemus. Conſtat autem primam

ſyllabam

ſyllabam per *Hai* pronunciari indigenis, ut & antiquitus, non per *Hei*. Quod cum dico, nolim quisquam intelligat, diphthongum *ai* efferendam adeo craſsè & inconditè, ut rudiores nunnulli Boji & Norici eandem in *oai* vel *oae* nimio plus ore diducto transformare ſolent: ſed quemadmodum indigenæ ipſi, & Rheni accolæ propinquiores, adeoque & Franci & Suevi ſubtiliores enuntiant, id eſt, rotundè & molliter; ut Pathah Hebraicum, quod clarum & apertum vocant, ſonet, non Kamets illud pingue & craſſum. Maximum certè diſcrimen eſt inter *ai* & *ei* diphthongos, perinde ut inter *au* & *eu*: adeo quidem, ut in fine rhythmorum Teutonicorum ambæ nullo invicem coaleſcere modo aut colligari poſſint. quod vitium etiam ab opificibus & mechanicis in publicis ſcholis notatum, ex ineptiſſimis nonnullorum verſiculis, qui vulgo, tanquam deliciæ aut oracula forent, vel in ipſis templis ſollemniter decantantur, paſſim animadvertere licet. Videſis enim, mi FREHERE, quantum referat, dictiones tam inter ſcribendum, quàm inter loquendum in linguâ communi rectè diſtinguere: ſiquidem dialecti ferè ſingulæ ſuis ſibi ſcatent vitiis. Differentias nonnullas in medium adferrem, in quibus genuinus utriusque diphthongi ſonus lectoribus evidentiſſimè obſervari poſſet; niſi brevitatis cauſâ omittendas cenſerem. Ne quis autem paullo curioſior has ipſas deſideret, exterorum gratiâ linguam noſtratem addiſcentium apponam.

Ai, ovum. *Ei*, eia, euge.
Aiche, quercus. *Eiche*, doliorum capacitatis experimentum.
Ain, unus. *Ein*, idem quod *in* Latinorum in compoſ.
Ais, pus, ulcus. *Eis*, glacies.
Bai, panni lanei genus. *Bei*, apud, penes.
Baiſſen, macerare. *Beiſſen*, mordere.
Daien, cibum coquere in ventriculo. *Deien*, emolumento cedere, proficere.

Faige,

Faige, timidus, meticuloſus. *Feige*, ficus pro fructu.
Faile, venalis. *Feile*, lima.
Fraien, lætari, gaudere. *Freien*, liberum reddere, item matrimonio jungere.
Gailen, luxuriari. *Geilen*, petendo inſtare, ſollicitare.
Hai, fenum. *Hei*, hei.
Klaiben, unde compoſ. *Beklaiben*, oblinere, obturare. *Kleiben*, unde compoſ. *Bekleiben*, de herbis arboribusve transplantatis, quæ vigeſcere occipiunt.
Laib, panis forma orbiculata. *Leib*, corpus.
Laien, idiotæ, laici. *Leien*, commodare, mutuo dare.
Laime, argilla. *Leime*, gluten.
Laiſte, muſtricola. *Leiſte*, limbus, pagmentum.
Laiten, comitari, deducere. *Leiten*, pati, ſufferre.
Main, aliquid præter opinionem. & *Main*, Mænus fl. *Mein*, meus.
Nain, non, reſpondentis. *Nein*, intrò, adverb.
Raichen, pertingere. *Reichen*, ditare, diteſcere.
Raie, chorea. *Reie*, ſeries.
Raiſ, circulus doliaris. *Reiſ*, pruina. & *Reiſ*, maturus.
Rain, purus. *Rein*, huc intus. & *Rhein*, Rhenus fl.
Raiſig, equeſter. *Reiſig*, ſarmentum.
Raiten, facere, ut ſit ratum vel paratum. rationem inire. *Reiten*, equitare. Hinc compoſ.
Beraiten, apparare. *Den vveg beraiten*, viam præparare. *Bereiten*, equitando experiri, luſtrare. *Den vveg bereiten*, viam obequitare.
Saite, chorda, nervia. *Seite*, latus, eris. *Seide*, Sericum.
Schaite, vagina. *Scheite*, ſchidia, ſudes.
Schaiten, diſcernere, diſcedere, *Scheiten*, findere.
Schlaiffen, trahere per plateam. *Schleiffen*, acuere (cultrum, forficem.)
Schmaiſſen, inquinare, fœdare. *Schmeiſſen*, percutere, verberare.

Schvvaigen, imponere ſilentium. *Schvveigen*, tacere, ſilere.
Spaien, ſcommatibus inceſſere. *Speien*, ſpuere, vomere.
Taig, & *Taich*, maſſa farinæ ſubacta. item fracidus. *Teig* & *Teich*, ſtagnum & lacus.
Waichen, mollire. *Weichen*, cedere.
Waide, paſtio, paſcuum; & *Waide* Iſatis herba. *Weide*, ſalix.
Waiſen, orbi, pupilli. *Weiſen*, ſapientes. Item *Weiſen* oſtendere, monſtrare.
Wainen, flere, lacrimare. *Weinen*, vini ſaporem referre. Unde compoſ.
Bevvainen, deflere, deplorare. *Bevveinen*, vino ingurgitare.

Certus eſt utique earum vocum numerus, quæ per *ai*; certus etiam earum, quæ per *ei* ſcribendæ veniunt. Atque hactenus de Orthographia.

Etymologiam vocabuli ſi conſideres, ea planiſſima eſt, ex duobus integris compoſita. *Berg* montem ſonat, *Haidel* myrtillos. *Heidelberga* igitur eſt myrtillorum-mons. *Myrtillos* autem vocant medici Itali, Hiſpani, Galli, Germani, omnes denique alii, qui rei herbariæ incumbunt, bacculas illas ſive uvulas nigellas; quarum maxima hoc in monte naſcitur copia, & ſunt eſui. Matureſcunt menſe Junio; durant per Julium, & quotam partem Auguſti. Tritæ & expreſſæ hæ uvulæ coloris ſunt ex cæruleo & puniceo mixti. Tinguere eo conſuevere compactores librorum membranas & chartas. At verò nomenclatura non eſt nata noſtro ævo, ſed ſuperioribus ſæculis, ut ex ſcriptis auctorum manifeſtè appáret. ac mihi quidem valdè probatur: nihil enim potuiſſet (reor) fingi convenientius, nihil concinnius. Opinantur aliqui fruticem iſtum eſſe *vitem Idaam*. de quâ conſulendus foret, ſi metempſychoſi Pythagoricâ in aliud corpus rediret Paris ille, ſive Alexander,

Paſtor, qui rapuit per freta navibus
Idais Helenen callidus hoſpitam.

In ſilvâ Norimbergenſium, territorio Imperii, quà iter eſt Altorphium verſus, præter hunc perſimilis eſt frutex, ferens uvulas

las rubellas, quas menſe Septembri maturas vidi & comedi. *Stainbére* nominantur. Verùm & de illis & de his noſtris diſputationem tum ſtirpium tum plantarum indagatoribus diſcutiendam in medio relinquamus.

Porrò autem plura ſunt in Germaniâ loca, quæ inter peregrinandum ipſemet deprehendi, eodem prorſus nomine *Haidelbergæ* vocitata; non quidem oppida, ſed juga, in quibus iſtiusmodi uvulæ ſive bacculæ creſcunt; ut in Franciâ orientali, in Thuringiæ ſaltibus, in finibus citerioris Bohemiæ: item ad Alpes. Prope *Melrichſtatum*, patriam meam (quod oppidum in vetuſtiſſimo meo codice membranaceo, quem nuper vidiſti, ubi mentio fit prœlii inter Heinricum IV. Imp. & Rodolphum Suevum ibidem commiſſi *Methelricheſtad* nominatur) in parte occidentali ſilva jugoſa ejusdem cum *Haidelberga* nominis eſt, in quam me puer cum meis condiſcipulis lectum myrtillos aliquoties contuli. Igitur conjecturâ non modò certiſſimâ, ſed & re ipsâ veriſſimè adſerere auſim, locum iſtum, de quo agimus, ita indigitatum, antequam (ut ſupra attigi) vel arcis veteris veſtigia ulla, aut oppidi ſuperi inferique ædificia exſtiterint. Manſit poſtea appellatio vetus & antiqua, quam hodieq; oppidum retinet. Confirmat ſententiam meam Michaël Bohemus Winspergenſis in carminibus ſuis Teutonicis de rebus geſtis FRIDERICI victorioſi, Electoris Palatini, adſerens nomen habere ab illis myrtillis: quamquam addit, alios putare (quod & Munſterus per ſeſe lib. III. innuit) ob ethnicos ſive gentiles forte *Heidenbergam* vocatam fuiſſe. Codex manu exaratus exſtat in bibliothecâ Principum Palatinorum, ſcriptus anno Chriſti MCCCCLXIX. Verſûs ipſos appoſui ex libro I.

Dyſe hyeig ſtatt iſt nach aim
Perlin eines gewechſt vil claim
Heydelberg nach hyeiger ſprach
Von uns Tütſchen geheiſſen. ach
Etlich ſagen und jehen,
Es sy alſo beſchehen,

Si vverd von invvonern etvvo
Der heydeniſchen diet alſo
Ungleubig Heydenberg genand.
Wie dem ſey, in demſelben ſtand
Laſſ' ich es alſo bliben:
Ich vvil fürbaſſer ſchriben.

Mecum certè facit Irenicus lib. xi. qui à nigrorum vacciniorum vel prunorum (Teutonicè *Heidelbér*) multitudine eſſe appellatam adſerit.

Confirmat item monumentum in marmore publicum, ad limpidiſſimum fontem, in ſublimi plateâ ſalientem, quâ itur equis & vehiculis ad arcem, in parte meridionali. Scuta ibi duo conſpiciuntur, quæ à Leone coronato tenentur. In dextro ſunt ſculpta inſignia Principum Palatinorum & Ducum Bojariæ; in ſiniſtri autem ſcuti fundo mons, myrtillis in frutice pendentibus refertus; & ſuper eo ſtans virgo ornatiſſima, dexterâ manu gerens faſciculum myrtillorum.

Huc facit quòd & in vexillo civitatis antiquo effigies Nymphæ ſtantis in monte myrtillorum, depicta enituerit. Id vexillum diu in curiâ oppidanâ conſervatum fuiſſe, narravit mihi CL. V. Caſpar Agricola Juriſc. ſeptuagenarius, qui ſe porrò adoleſcentem à quodam ſene decrepito fideque digno audiviſſe dicebat.

ADDITIO. Et fortaſſe his omnibus non infirmius argumentum ducetur à perveteri ſigillo civitatis, nuper demum reperto, in quo Leo Palatinus galeatus, & pro galeæ ornamento fruticetum horum myrtillorum gerens: Cujus ectypon hoc loco repreſentare non abs re viſum.

Poſtremò tuentur hanc ſententiam, quotquot judicio vero præditi, & antiquitatis veræ ſtudioſi non minus eſſe quàm haberi volunt: inter quos non ætas modò noſtra, verùm etiam poſteritas omnis FREHERUM tanquam vindicem acerrimum collocatura ſit, nullus dubito. Vide-

Videant jam nunc illi, qui oppidó Palatino alia temere adfingunt nomina, quo jure id facere audeant. nam profectó certè ut palam peccant, qui *Eitelbergam*, id eſt *merum-montem* nominant; atque (ut Græci ſermonis nonnihil intelligere videantur) *Panorim* & *Panoream* crepant: ita non minus imprudenter impingunt, quibus *Edelberga* nuncupatur, id eſt, *nobilis-mons*. Apud Volâterranum lib. VII. in Germaniâ, legitur *Etelburgium*, voce depravatâ, ut apud Iovium *Rochandulphus* pro *Rogendorfio*, bellatore. Niſi forte Volaterranus ibi *Ingolſtadium* debuit nominare pro *Etelburgio*. paulo enim ante loquens de Noricis & Bavaris, ponit Salczaburgum & Ratiſponam: deinde ab *Etelburgio* (quod ibi nullum eſt) manifeſtiſſimo errore in Pannoniam ſuperiorem, quæ nunc Auſtria, deſcendit.

Fulgos. lib. Memorab. VI. c. ult. Dalbergam.

Non deſunt, qui nomen ab *Ethnicis* deducant: & hi falluntur adæquè. nam editus ille trans Nicrum fl. è regione oppidi mons (*Abrinsberg* olim dictus, ut tu FREHERE doces; hodie vero *Hailig berg*) ob antrum illud ſubterraneum (ciſternam verius diceres) cui *Haidenloch* nomen, ſibi forte idipſum olim attribuere potuerit. de quo nihil certi adfirmari poſſe exiſtimo. Noſter autem hic mons deſcendentibus ſecundo flumine ad ſiniſtram eſt, alter ad dexteram, ambo invicem disjuncti alveo fluminis quàm latiſſimo. Ac liquet aliam quoque ſignificationem eſſe vocabuli, eamque notiſſimam. nam *Haide* eſt planities quædam inculta, ſive in campis ſive in montibus; qualis eſt illa ipſa, ubi antrum illud. Sunt & alii inſuper montes in hac vicinia. uni nomen *Friſeberg*, id eſt, Friſiorum vel rigoris-mons; non procul ab arce, quæ ſita eſt in *Jetta* jugo. alteri *Künigſtul*, hoc eſt, Regis-ſolium, ubi antiqua illa ingens quercus latiſſimis ramis, in quibus ſedilia.

Cæterum ridiculos admodum ſe præbent, qui ab *hœdis* vel *capellis* nomen effingunt. quorum certè niſi me miſereat ac pudeat, næ ego ſim omnis commiſerationis, omnis pudoris expers. Contiguus quidem mons, valle amœniſſimâ ad ſiniſtram diſtinctus, vulgo *Gaisberg* vocatur, id eſt caprarum-mons,

Froiſſardo lib. IV. *cap. ult. Heleberge.*

quod ibi paſcitent. Nulli autem magis ridiculi, quàm vulgus Gallicum, quibus *Ilteber* vel *Heldebert* corruptiſſimè nominatur. Germanis contra maſcule integréque effertur *Haidelberga.* ac certum eſt medius fidius atque indubitatum, nulli unquam vocabulo Germanos præponere *H* adſpirationem, niſi eam dilucide planéque inter proferendum exprimant; quemadmodum Galli ſuum *Haine*, odium. *hair*, odio proſequi. *hanter*, frequentare. *hardi*, audax. Non heic poſſum non meminiſſe cujusdam, quem tu forte ſuavem lepórum ac facetiarum patrem (ſi Diis placet) dixeris. Is enim cum neſcio quid incompoſito pede (ut ſolebat) in genere Alcaico effunderet, ob oculos habens oden Horatianam, cujus initium;

Vides, ut altâ ſtet nive candidum

Soracte: è veſtigio, tanquam fabam in placenta repertam nactus, *Haidelbergam* miſere contorſit in *Hailbracte*, ſtatimque typis mandavit. Minus opinor abſurdum foret, ſi quis novus auctor voce Teutonicâ H*aidel* integrè relictâ, terminationem duntaxat in fine & Græcis & Latinis congruentem adderet, montem ſignificaturus. H*aidelus* eſſet, ut Mænalus, efficeretque dactylum in carmine. Sic *Fichtelum* nominare poſſemus illum montem Germaniæ, à piceis vel tædis nomen habentem, quem Piniferum aliâs indigitant: vulgo *Fichtelberg*. nam & Hercynios lucos ab *Harze*, id eſt, reſina dictos eſſe, nemini ignotum eſt.

Priusquam concludam, de me ipſo quoque nonnihil dicam oportet. Ego equidem Etymologiam veram, quæ indubitatiſſima eſt, ſequutus, locum hunc in carminibus meis & neutro genere nomino *Myrtilletum*, ut Frutetum, rubetum, caſtanetum: & civitatem feminino genere, ut ſit *Myrtilletus*, quemadmodum Miletus, Tarteſſus. Interdum pro ratione metri demo alterum *L.* ut ſecunda ſyllaba fiat brevis, quomodo fit in *Cybele, Omphale;* quæ & *Cybelle, Omphalle.* Sicut & *Corallia* & *Coralia* utroque modo ponimus, diverſâ tamen quantitate ſyllabarum, etiam ab initio. Atque in hoc mihi adſtipulan-

pulantur non modò eruditiſſimi quique in Germaniâ viri, verùm etiam nobiliſſimi Poëtæ laureati. Victrix tandem ſit Veritas neceſſe eſt.

Ad extremum audias velim, mi FREHERE, ipſammet Haidelbergam de ſeſe loquentem.

HAIDELBERGA *vocor. Myrtilli, veſcula dona,*
Monte ſub herboſo mi tribuére notam.
Virgo manu baccas geſtans, inſigne decórum,
Teſtis ad excelſos ſtat veneranda tubos.
Vindicat id vates FRIDERICI, *victor in hoſtes*
Strenua pugnaci qui tulit arma manu.
Vindicat id prætor. vexilli curia cuſtos,
In quo Nympha jugi myrtea teſca premit.
Civis id evincit. quin crebra in colle propinquo
Creſcit myrteolis herba virens foliis.
Ecquis me Panorim, quis nominet Eitelbergam
Vanus? Edelbergam qui vocet, errat item.
Sunt, quibus ex hædis hoc nomen adepta vel Ethnei
Differar. at falſum eſt nomen & illud & hoc.
Montem ego myrtileum ſacrabo perenne. Faceſſat
Nominis ignarus quæ ſit origo mei.
Multi multa novant. Vera eſt, antiqua Penatum
Quam loca ſunt propriè teſtificata, fides.

Hæc ego in chartam conjicere volui, amiciſſime FREHERE, ut inde quidpiam, ſi forte non alienum videretur, exceptum in tuos quos parturis Palatinarum originum commentarios referres; ſin autem, ſpongiâ unâ prorſus deleres, ne ſcilicet hinc reprehenſores malè feriati anſam arripiant calumniandi: quibus tu ſusque deque habitis ac ſpretis, eo confidentius quæ præ manibus habes plurima lectu digniſſima, in lucem tandem emittes, quo certius diligentiusque ſingula & indagaſti & cognoviſti. Scriptum die xx. Auguſti veteris, anno Chriſti M D IIC.

DE

DE ORIGINE ET INCREMENTIS *civitatis Heidelbergæ, Palatinorum ſede. Caſtrum, Burgum, Suburbium, Templa, Academia, alia.*

CAPUT X.

SÆPE mirari mihi contigit, atque adeò dolere, locum tota Europâ tam clarum, & ſede Principum auláque famoſiſſima, & Muſarum luco doctorumque hominum frequentiâ, & ante omnia ſinceræ defæcatæque Religionis bono, interim origine tam obſcurâ eſſe, ut de ejus conditore, auſpiciis, incrementis tam parum in antiquis monumentis hiſtoriisque ſit invenire. Nam BUDORIN Ptolomæi (ut quibusdam viſum eſt, * & interpres ejus Bil. Pirckeimerus expoſuit, ex quo deinceps *Budorium montem*, & *Budorium jugum* Poetaſtri fecerunt (hanc noſtram eſſe tam credo, quàm Athenas Atticas. Et ſub Romanorum Imperio ut caſtella ſpeculasque in utroque monte fuiſſe docuimus; ita civitatem ullam vel hoc vel alio nomine fuiſſe doceri non poteſt. Quin ſub Francorum etiam dominatu, ut montem Abrinsbergum cum quibusdam ibi veterum ædificiorum reliquiis, burgumque Lobodonenſe floruiſſe liquidò monſtravimus; & montem etiam è regione Heidelbergum (ad differentiam reliquorum, Friſenbergi, Gaisbergi, Govvinbergi, Abrinsbergi ſic dictum) non ignotum fuiſſe Meliſſus expoſuit: ita non dicam civitatem ullam, ſed vel burgum, vel villam vicumve, aut ruſculum vel molendinum, Heidelbergæ titulo, eo ævo non fuiſſe ullum evidentiſſimè comprobat; quod cum nullius non vicinæ villæ, Neuenheimi, Bergeheimi, Hentſchuchsheimi, Edingeni, Rorbachi memoriam, eamque centenis propemodum ejus ævi inſtrumentis iteratam, invenire ſit; Heidelbergæ tamen nec unicam. Quod fieri non potuiſſet, ſi illa tum ſaltem in rerum natura, nedum villa aliqua, aut plus quàm villa fuiſſet. Et merum figmentum eſt habendum, quod Henricus Ofterdingus in libro monſtroſæ

Vid. Leod. Appendice pag. 22. Irenic. d. fol. 396. B. Rhenan. pag. 131. Munſter. 111. cap. 352.

ſtroſæ fabuloſitatis, De veteribus illis Heroibus, * memorat, Brabantum neſcio quem à Crimhilde Gybiconis Regis F. legatum ad Theodoricum Veronenſem, Wormatia abnavigantem, prima nocte Heidelbergæ divertiſſe:

Heldenbuch/ Parte III. pag. 199.

Er ſchifft mit ſeim Geſinde
Zu Wormbs wol über den Rhein/
Die erſte Nacht geſchwinde
Mußt er zu Heidelberg ſeyn.

Recentiorem itaque civitatis hujus originem, quam quidam putarunt, eſſe neceſſe eſt. Et omnino mihi veriſimile eſt, ſicut montes illi inſigni quadam oportunitate, caſtellis & propugnaculis collocandis occaſionem Romanis dederunt; quæ deinceps illis profligatis ſub Francico regno quicunque Comites aut Reguli occuparunt, ſuoque arbitrio reformarunt, & quadrata rotundis (ut fieri ſolet) commutarunt, & paulatim amplificarunt: ita in pede montis adhæreſcentibus paulatim domunculis, caſtro ſuperiori ſervientibus, & paſtoralibus caſis molendiniſque poſitis, obſervatum fluminis ea parte trajectum facillimum & commodiſſimum (qua una re nulla alia pluribus oppidis originem dedit *) & hîc oppido tandem condendo occaſionem cauſamque apud illos Regulos ſuppeditaſſe.

Not. B. Rhenan. fol. 147.

Horum autem quis primus illud (auſpiciis certe optimis) fecerit, & an Palatinus ille aliquis fuerit, vel qua ratione deinceps oppidi illud quicquid fuit, in jus Palatinum pervenerit, non invenio. Illud invenio, Conradum Palatinum Friderici Imp. fratrem ὁμοπάτριον, & ab eo Palatinatu Rheni donatum, Advocatum monaſterii Lauriſhamenſis fuiſſe, Heidelbergam aliqnando inhabitaſſe & excoluiſſe, & mortuum circa annum MCXCII. ſepultum ad unum ab Heidelberga lapidem, in cœnobio Schönavv, quod anno MCXLII. Bugo Wormatiæ præſul extruxerat. Cujus tale ibi monumentum (quod nunc ſublatum ex oculis fruſtra requiri, non ſine bile ſcribo) extitiſſe comperi: ANNO. DOMINICE. INCARNATIO-

Chronica Lauriſſen. fol. 92. & 96. edit. noſtra.

NIS. MCXCII. VI. IDUS. NOVEMBR. OBIIT. ILLUSTRIS. PRINCEPS. DOMINUS. CONRADUS. COMES. PALATINUS. RHENI. DUX. SUEVIÆ. COMES. IN. GEMINO. PONTE. GERMANUS. FRIDERICI. BARBAROSSÆ. IMPERATORIS. Hic idem eſt (niſi fallor) de quo & hæc notat Trithemius: *Eodem anno Conradus Comes Palatinus Rheni, qui Heidelbergæ morabatur, præpoſituram cœnobii ordinis noſtri prope oppidum ipſum Heidelberg, quæ Nuenburg * appellatur, in diœceſi Wormatienſi, in monaſterium ſanctimonialium ejusdem ordinis noſtri commutavit, de conſenſu Sighardi abbatis Lauriſſenſis, ad quem præpoſitura ipſa pleno jure & ſine medio pertinebat. Ubi prima Abbatiſſa per eum fuit inſtituta Cunegundis, virgo multum devota & religioſa.* Hujus Conradi filia unica Agnes nupta erat Heinrico Palatino, Duci Brunſuicenſi, Leonis F. qui mortuus anno MCCXIII. & ipſe Schœnauiæ ſepultus eſt, hoc olim inſcriptione loquente: ANNO. : : : : : KAL. MAII. OBIIT. ILLUSTRIS. PRINCEPS. DOMINUS. HENRICUS. COMES. PALATINUS. RHENI. DUX. SAXONIÆ. SUPRADICTI. CONRADI. EX. FILIA. NEPOS. * Cujus & aliud dicitur ibi extitiſſe elogium, è quo hæc modò ſuperſint:

In Chron. Hirſaug. fol. 208.

De quad. Chronica Lauriſſ. fol. 89, 20. & 94. 46.

Erroneum: niſi generū vult dicere.

PRINCEPS. MAGNIFICUS. COMES. AULÆ. GLORIA. RHENI.
JUNIOR. HENRICUS: : : : : : : : :

Ex quibus omnibus apparet, eo ſæculo ab antiquis & originariis (ut ſic dicam) Palatinis Rheni (quos & in Bacharaco vel in arce Stalecka ſedem habuiſſe diximus, & dicemus) Heidelbergam quoque cum vicino tractu habitatam, & poſſeſſam fuiſſe. Nam quo tempore prædicti Henrici ultimi Palatini filiam Agnen Otto Ludovici F. Bavarus uxorem duxit, Heidelbergam ei dotalem factam Annales teſtantur. Andreas presbyter Ratisponenſis (cujus fidem Aventinus comprobat *) ſub anno MCCXLI. *Otto prædicti Ludovici filius filiam Heinrici Palatini Rheni uxorem duxit, & principatum ejus obtinens, Heydel-*

Cap. ſeq.

An. 1215.

Lib. VIII. fol. 658.

Heydelberck & omnia ipſius hereditariè poſſedit. Et Trithemius in Genealogia Bavarica: * *Otto Ludovici Bavariæ Ducis filius, patri ſuccedens uxorem habuit Gertruden* (Agnetem veriùs) *filiam Heinrici Comitis Palatini Rheni: quæ peperit ei duos filios, Henricum & Ludovicum. Iſte Otto ducatum Bavariæ poſt patrem ut legitimus heres obtinuit, & Comitatum Palatinum Rheni, Heidelberg, cumque ad eam pertinentibus, cum uxore in poſſeſſionem ſuſcepit: quæ Brubach in feudum dedit Comiti de Catzenelenbogen, &c.* Sed cum jam tum (nec ſat ſcio à qua origine) hæc ditio ab Eccleſia Wormatienſe feudali titulo recognoſceretur,* operæ pretium fuerit videre inveſtituram ſuper ea in prædictum Ludovicum Ottonis patrem ab Epiſcopo & Capitulo tum temporis collatum: quam bona fortuna inventam Lectori communicabo: *Pag. 21.* *Not. Munſter. lib. III. cap. 371.*

HEINRICUS *Dei gratia Wormatienſis Epiſcopus, Domino Ludovico illuſtri Duci Bavariæ & Comiti Palatino Rheni ſalutem & dilectionem ſinceram. Quia vobis commiſit Dominus poteſtatem, & dominæ* * *A. uxori filii* * *veſtri, per quam Wormatienſem Eccleſiam juvare poteſtis, & ei aſſiſtere in ſuis neceſſitatibus, ut ad auxilium & conſilium tam noſtrum quàm ejusdem Eccleſiæ tam vos quàm ſucceſſores veſtri, & Dominæ A. qui per maſculinum ſexum deſcendunt, ſitis perpetuo obligati, & vobis & ſucceſſoribus dictis in feodum conceſſimus & aſſignamus, de communi conſenſu capituli noſtri, Caſtrum in* Heidelberg *cum burgo ipſius Caſtri, & Comeciam Stalbohel, cum omnibus attinentiis ſuis. Ut igitur hæc noſtra conceſſio rata permaneat & illæſa, præſentem cedulam appenſione noſtri ſigilli fecimus communiri. Acta ſunt hæc Wormatiæ anno Domini MCCXXV. IX. Kal. April. Indict.* XIIII.

*Agneti. ita nominat Aventin. lib. VII. fol. 529. * Ottonis.

HEINRICUS *Præpoſitus, & Decanus, totumque Capitulum majoris Eccleſiæ Worm. omnibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem. Infeodationem quam Dominus* Henricus *Epiſcopus noſter Wormatienſis fecit de caſtro* Heidelberg, *cum burgo, & comitia Stalbuhel, concedendo prædictam infeodationem Duci Bavariæ &*

riæ & dominæ A. uxori filii ſui, & ſucceſſoribus ab ea deſcendentibus per maſculinum ſexum, conſentimus, & eam ratam habemus; & ſuper hoc præſentes literas ſigillo noſtri Capituli fecimus communiri. Acta ſunt hæc Wormatiæ. Anno Domine MCCXXV. IX. *Kal. April. Indict.* XIV.

Hinc conſtat, arcem eo tempore ibi extitiſſe Heidelberg nomine (nimirum à monte cui impoſita, & ſuperficiem ſolo cedere ratio exigit) eamque Burgum ſubjectum habuiſſe, id eſt, oppidulum muro cinctum, portisque clauſum. Id enim eſt Burgum, voce Francica: unde Otfridus Monachus (quo nullum ſcriptorem noſtri idiomatis antiquiorem habemus) illum Evangelii locum; *Ite in civitatem*, ita vertit: *Faret in thia burg.* Quomodo & Notgerus in Pſalmorum paraphraſi paſſim. Unde vetera Germanorum oppida, *Aſciburgium*, *Teutoburgium.* Unde *Burgundiones* dicti, Iſidoro & Diacono auctoribus. Unde *Burgenſes* pro civibus, & *Burgenſatica feuda* pro Urbanis & Civitatenſibus dicimus. Et hæc auguſtiore titulo Comitatus inſignita decorataque fuiſſe, cui Stalbuhel nomen fuerit; ab ignota quadam origine, & neſcio an non forte communi cum Comecia Bacharacenſi, eodem tempore ab iisdem Palatinis poſſeſſa, cui *Stalecka* & *Stalberg* nomen fuiſſe infra cognoſcemus. Neque etiam diſſimulabo, quod nuper comperi, tractum eſſe inter Schriesheim & Ladenburgum, hoc nomine adhuc provincialibus notum: ut & *Stehelberg* prope Eppelheim villam.

Pag. 325. Vorburg. Suburbiũ. Stalbühel

Huic Comitatui (ut majoribus feudis minora ſubeſſe, & majorum gentium vaſalli, regalia feuda habentes, valuaſinos ſuos habere ſolent) diverſos vaſallos & beneficiarios, atque etiam miniſteriales, diſtinctorum ordinum ſubeſſe ſolitos conſequens eſt; Comites inquam, Barones, milites ſive equites, & burgenſes. In quo genere vaſallorum invenio Popponem Comitem de Durn caſtrale beneficium (*Burglehen* hodie vocamus) à caſtro Heidelbergenſe, quaſi ejus clientem ſtationariumque & præſidiarium militem, eodem tempore tenuiſſe. Eadem

dem

dem ratione, qua & vicini Milites de Hirzhorn hereditarii dapiferi (quod ante hos Comites de Alzeia erant) & Comites de Erpach hereditarii pincernæ, & Rheingravii hereditarii mareſchalli apud Palatinos erant, & ſunt in hanc diem. Quæ functiones eisque ſimiles *Miniſteriales* vocantur. Sed tanti eſt documentum quod aſcribatur: Erbämpter bey Pfaltz.

Nos Poppo *de Durn, Comes de Dilnſperg, tenore præſentium proteſtamur & patere volumus univerſis, quod nos receptis centum marcis argenti Colon. ponderis à domino noſtro Ludovico illuſtri Comite Palatino Rheni, Duce Bavarie, pro caſtrali beneficio tenemur, tam nos quàm heredes noſtri, in Caſtro ſuo Heydelberg idem caſtrale beneficium, præſtito ſuper hoc corporali ſacramento, fideliter perpetuè deſervire. Habebimus ſiquidem in eodem caſtro loco noſtri unum militem continuè reſidentem, & cum per dictum dominum noſtrum vel per capitalem ſuum procuratorem moniti fuerimus pro defenſione terræ & honoris ſui, reſidebimus ibidem præſentia perſonali. Proteſtamur etiam eidem domino noſtro proprietatem noſtram in Schœnprunne dediſſe liberè & ſolutè, ad decem marcas argenti in certis redditibus æſtimatam, & eandem poſtmodo in fœdo recipientes ipſam cum heredibus noſtris debemus pro caſtrali beneficio poſſidere. Non debet etiam idem dominus noſter nos & heredes noſtros ab eodem beneficio removere, niſi contra ipſum taliter excedamus, quod eodem noſtro caſtrali beneficio ex meritis noſtris privandi ſimus, quod noſtram deformaret penitus honeſtatem. Si vero antefatus Dominus noſter defectum decem marcarum in certis reditibus in dictis bonis Schænbrunne habuerit, tenemur eundem defectum de alia proprietate noſtra per arbitrium domini Petri de Steina, & Conradi de Winheim advocati in Heydilberg ſupplere, donec ad numerum ſupradictum. Demum dictus Dominus noſter dabit nobis accipitrem annuatim. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum ſubnotatis teſtibus ſigillo noſtro fecimus communiri. Teſtes autem ſunt viri nobiles & domini, Hermannus de* Hurnheim, *Albertus Luzmannus*, Hadmar *de Labou*, Petrus *Rumpoldus, & Conradus de Steina, Vlricus de Camerberg*, Hilprandus *de Vochsburgk, Dtheru* Burglehè.

rus & Cunradus de Murn, Otto de Heimſtad, Cunradus de Huchtinheim, Conradus de Actinspach, Cunradus de Helmſtat, & alii quamplures. Actum & datum Heydelberg anno Domini MCCLXII. *pridie nonas Novembris.*

Ex quo hoc quoque ſimul diſcimus, Advocatum tunc in Heidelberga fuiſſe, quaſi urbis præfectum & judicem. Quod officium adhuc manet, nomenque ipſum retinet. **Vogt oder Fauth.**

Et hæc omnia ita habebant ſub Ludovico illo Ottonis patre, qui fuit ſub imperio Friderici II. Imp. Cujus etiam filium Henricum Regem patri rebellem & contumacem, Otto ille Palatinus in cuſtodia Heidelbergæ tenuit. Quod ita prodidit Trithemius: *Interea* Henricus *Rex qui propter metum patris morabatur in Trifels munitiſſimo caſtro, perſuaſione* Hermanni *magiſtri hoſpitalis Teutonicorum, venit ad patrem* VI. *non. Julii, in Wormatia cum certis Principibus exiſtentem. Qui ſtatim poſuit eum in cuſtodiam, primo Wormatiæ in domo quadam firmiſſima circa Eccleſiam S. Andreæ Apoſtoli; deinde in caſtro* Heidelbergenſi *ſub cuſtodia* Ottonis *Comitis Palatini Rheni ac Bavariæ Ducis. Poſtea de* Heidelberga *ductus fuit ad Altzeiam, & poſtremo in Siciliam miſſus, in arcta cuſtodia, uſque ad mortem, per annos quinque detentus eſt.* Vidi litteras, quibus Henricus hic Rex Ottoni Palatino Comiti donat villam Waldtorff, Heidelbergæ vicinam, cum attinentiis ſuis, datas apud Egram anno Domini MCCXXX. **In Chron. Hirſaug. fol. 237. an. 1235.** **Waldtorff**

Poſtea clade incendii Urbem noſtram aliquando fuiſſe deletam, cognovi ex Chronico veteri mſ. ab incerto auctore (niſi quod Monachum, & Saxonem fuiſſe colligere licet) diligentia tamen mediocri ſcripto, & ab O. C. uſque ad annum Chriſti MCCCCXXIII. deducto. In quo ſub anno MCCLXXVIII. in Rodulpho Lantgravio Alſatiæ Imp. ita ſcriptum eſt: *Iſte Rodolfus Spiræ ſepultus eſt: cujus tempore facta eſt maxima aquarum inundatio, qua major non fuerat viſa à viventibus.* Heidelbergiæ *multi ſunt ſubmerſi, & eodem anno civitas ſuccenſa eſt. In Trajecto ſuperiori in proceſſione ſolemni fractus eſt* **M. S. in Bibliotheca Palat.**

pons,

*pons, & plus quàm trecenti homines ſunt ſubmerſi. Simile conti-
git Francofurdiæ in ponte Mogoni. Ratiſponæ etiam cathedralis ec-
cleſia totaliter combuſta eſt; & Lubeke ſimiliter die ſancti Bar-
nabæ.*

A quocunque poſtea refecta & inſtaurata fuerit, hoc quidem conſtat, civitatem ipſam Heidelbergam ſive burgum, anguſto admodum corpore eo ævo fuiſſe, nec pomœria aut ſuburbia magna habuiſſe; donec anno MCCCXCII. Ruperto ſeniori Palatino viſum eſt, prædictum Burgum ita amplificare, ut proximè adjacentem villam Bergeheim, quæ paullo inferius ad ſiniſtram Nicri ripam jam inde à Carolinis temporibus extabat, cum ſuburbio (hodie *Spirenſe* vocamus, quod eà exeatur Spiram) conjungeret, & *Novam civitatem* eam appellaret. Quo tempore juſſis immigrare colonis Bergeheimenſibus, caſasque ſuas in nova illa pomœria, non ſine privilegiis & ſuppeditatione materiæ transferentibus, æquum jus civitatis conceſſum, & veteri limite ſublato marca utraque in unam contracta, omnia denique in unum corpus coaluerunt. Ex eo nomen etiam villæ illius veteris Bergeheim in oblivionem abiit, niſi quod molendinum ibi ſuperſtes illud retinet; & via vetus publica, inde Spiram tendens, etiamnum à vulgò agnoſcitur. Sed & Parochialis eccleſia, quæ in *Altbergen* extitit, benè dotata decimis & proventibus, ad civitatem Heidelbergam translata fuit, ut auctor eſt D. Hartman. Eppingenſis in Practic. obſervat. Lib. 11. Tit. ult. §. 13. quo lectorem remitto.

Speyrer-vorſtatt.

Neueſtatt.

Alte Bergheimer Mühle.

Alt Land-ſtraſſe.

Cœnobia, quæ in una Heidelberga tria extiterunt, olim diœceſi Wormatienſi ſubdita, à quibus condita fuerint, Leodius bona ex parte expoſuit. Cujus nil repetere animus eſt nobis: ſed errorem tantum perſtringere Irenici, dum ita ſcribit: *Non deſunt, qui Rudolphum Palatinum, Ludovici Regis fratrem, penes Wiſſenlochenſes moram traxiſſe ferant, & hujus temporibus* Heidelbergam *nil niſi priſcam Eccleſiam retuliſſe, ad divam Virginem* Heremiticam *nuncupatam. Vide ipſe, demonſtratore*

Appendice fol. 26. & ſeq.

Lib. III. cap. 51.

ſtratore Auguſtino Lupff viro graviſſimo, litteras, in quibus Auguſtinenſe cœnobium ejusdem civitatis in ſolitudinibus (decepit hîc eum nomen Virginis in Eremo (*fuiſſe repoſitum ante D. annos continebatur. Nec deſunt, qui Rupertum regem Romanorum primum, conſtructa* Heidelbergenſi *eccleſia, primas ſedes illic tenuiſſe referant.* Quæ quàm ſibi conſtent, ex ſuperioribus nemo non videt.

Ab eodem Ruperto Seniore (quem civitatis amplificatorem, & coloniæ Bergeheimenſis inductorem fuiſſe, certa Archivorum fide diximus) Academiam etiam iſtam, totâ Germania principem, nunquam ſatis laudando inſtituto conditam, erectam, dotatam eſſe notius eſt quam ut pluribus exponamus. Tantum intento digito auctores de ea ſcribentes demonſtrabo. Quorum antiquiſſimus eſt Trithemius in Chronico Hirſaugienſi fol. 286. & in Genealog. Bavar. pag. 26. b. Idem in Catalog. ſcriptor. Eccleſiaſtic. primum ejus Rectorem Marſilium de Ingen (quem quidam *de Cracovia* vocant, quidam pejus *Marſilium Patavinum* cum illo confundunt) ejusque opera deſcribit: quæ quidem bonam partem etiamnum in bibliotheca Academica, archetypa & autographa conſervantur. Videſis etiam Jacob. Wimphelingum in Epito. rer. Germanicar. cap. 52. & cap. 56. Irenicum lib. XI. Exegeſ. in Heidelberga. Munſterum lib. III. Coſmograph. cap. 352. Iac. Mittendorp. lib. III. De Academ. pag. 527.

Circa Annum 1376

Cætera urbis opera quando & à quibus condita, ſingula exequi non eſt noſtri propoſiti. Melius & juſtius hoc aliquis in ea natus præſtiterit. Templum illud regale S. Spiritui dedicatum, cum collegio Canonicorum, Rupertum Cæſarem habere auctorem, quis neſcit? ejus etiam elegantiſſimo & ſpectando ſepulcro nobile. Speculam illam in latere montis Gaysbergi, tempore inteſtini motus, per ſimultates Friderici III. Imp. & Friderici I. Electoris Palatini, militari opere in uſum bellicum excitatam vulgò cognitum eſt. Turrim illam prægrandem, rotundam, montis opus (qua poſt Bituricenſem illam

Trutzkeyſer. Vide Cruſ. par. III. Suevicor. lib. VII. fol. 440.

ſam grandiorem nullam eſſe puto) à *Ludovico* Palatino Philippi F. conditam notum eſt. Elegans illud & verè regificum ædificium, ſingulari artificio & ſymmetria ſpectandum, & pulcerrimis plurimisque ſtatuis inſigne, Ottonem Henricum Electorem habere auctorem, ipſum loquitur.

VETERUM PALATINORUM SEdes ad Rhenum, Moſellam, Nicrum. Pallentia. Advocatia Treveris. Meinefeld. Stalecke. Bacharacum. Pfaltzgrevenſtein. Alia.

CAPUT XI.

VETERES illos Palatinos Rheni in inferioribus Rheni partibus longè lateque imperaſſe, ſupra diximus. Circa Ubios ſanè & Sicambros, ubi hodie Ducatus Juliacenſis & Montenſis, multa eos habuiſſe, argumento eſt inveſtitura Ottonis Comitis Palatini in Wilhelmum Comitem de Guliche collata, anno Domini MCCXXX. feuda hæc continens: *Advocatias in Brichſe, Viletge, Weſle, Bercheim, Pfaupfendorff, Holvvilre, Munſtere, Greznich, Grochem; bona in Zulpeche, item advocatiam Eccleſiæ in Dornich, Comitatum & jus nemoris.* &c. Jam alii quoque complures reguli & dynaſtæ in illis ditionibus, integros & præclaros Comitatus ſuos à Palatinis feudi titulo recognoſcebant, & adhuc tenent; ut de Comitatu Nevenar, Wied, Seyn, & aliis, vulgò cognitum eſt. Cœnobium illud famoſum Sigeburgenſe à Palatinis fundatum, annales Ubiorum teſtantur. Nec de Lacenſi repetam, quæ Leodius, & Irenicus * prodiderunt.

**Lib. III. Exegeſ. c. 53. Leod. Appendice pag. 15. & 16.*

Jam ut in aſcenſu Rheni ad Moſellam paullum deflectamus, Pallentiam utramque majorem & minorem juris Palatini fuiſſe expeditum eſt. quam ſub Baldvino Lutzelburgenſe archiepiſcopo, eccleſiæ Treverenſi donatam, feudique titulo receptam, Palatini (ut & ſupra attigimus) in ſubfeudum generoſis

Pallentz groß und klein.

Sup. p. 13.

neroſis Comitiqus à Virnenburg olim concedere ſolebant: donec anno Domini MDXLV. Cuno ultimus Comes de Virneburg & Nevenar ſine heredibus deceſſit. Circa quod tempus Johannes Ludovicus archiepiſcopus Treverenſis à Friderico II. Electore Palatino jus ejus & utile (ut vocant) dominium pretio ad ſe transferre, & ſibi conſolidare conatus eſt. Quem tamen contractum, ipſo Friderico ſine liberis mortuo, ſecuti Electores & Principes Palatini ratum non habuerunt, ſed tanquam feudum avitum & gentilitium ipſi proximi ſucceſſorio ordine agnati, per viam juris modo ſeriò revocant. In his Pallentiis hæc potiſſimum loca continentur: caſtrum Erenberg, & Schonenberg, advocatia in Ludensdorff, caſtrum Broyl prope Andernacum, & pagus Meinfelde maxima ex parte. Cæſarius Heiſterbacenſis, ejus ævi ſcriptor, refert, *Ottonem regem cum Romam proficiſceretur coronari in Imperatorem, imperium ſupra Moſellam fratri ſuo Henrico Palatino regendum commiſiſſe.* Sed & annales Treverici habent illum Henricum Comitem Palatinum Rheni, ſeu (ut in aliis Codicibus ſcribitur) *Palentinum, qui ad inferiora Moſellæ tractum quendam ditione tenebat: ubi Turunum caſtrum Otto rex contra Philippum electus, uti Philippus in Agrippinenſi diœceſi Landescrone tunc condidit.*

Lib. 1. Memorab. cap. 31.

Apud Kyriandr.

Pergo ad caput Moſellani tractus, Auguſtam Treverorum, quæ ut antiquis temporibus Præſides ſuos & præfectos urbis, Comitesque ſeu Imperatoris vicarios habuit; ita deinceps etiam Palatinos advocatiā eccleſiæ ſimul & civitatis Treverenſis geſſiſſe proditum eſt. Adſcribam hiſtoriam Hermanni Palatini ex Kyriandro, * qui vulgo in manibus non eſt, in Adalberone epiſcopo: *Anno Chriſti* MCXLVIII. *cum Palatinus Comes Hermannus caſtrum Triſſe occupaſſet, operibusque muniviſſet, id cum attinente terra Comes Otto de Reinecka ceſſit Adalberoni & eccleſiæ Trevirenſi recuperandum: quamobrem mox ab Adalberone obſideri cœpit. Adducente autem cohortes ſuas Palatino, Epiſcopus triduo pugnandi copia facta talem ad milites oratio.*

Hiſtoriæ Treve r. parte XI. fol. 84.

orationem habuit: O vos amici beati Petri, ô ſanctæ defenſores Eccleſiæ, qui hodie pro Deo atque pro juſtitia mortalia corpora veſtra hoſtili gladio oppoſuiſtis; reſpicite hoc ſignum Crucis, hoc inquam ſignum terribile adverſariis Jeſu Chriſti. Hæc eſt crux, in qua Hermannus Comes Palatinus mihi juravit fidelitatem die illo, qua Advocatum Eccleſiæ noſtræ ipſum conſtitui; die qua illas vires illamque potentiam ei contuli, per quam me modo infeſtat. Tunc prædixi ei in hac cruce eſſe de ligno Domini, in quo ille cujus hæc ſacroſancta refulget imago, de hoſte humani generis triumphavit. Tunc cum accepiſſet omnium communem confeſſionem, indulgentia facta & abſolutione, benedictionem ſuper eos faciens ita omnes animavit, ut in nemine timiditatis ſignum appareret. Comiti Namurenſi vexillum commiſit: ipſe ſuis manibus crucem geſtabat. Hæc cum nunciata eſſent Palatino, legatos de pace miſit, & uti præſidium ſuum caſtro abire permitteretur, obtinuit: Epiſcopus caſtro potitur.

Sed & quis Palatinorum, & quomodo eam Advocatiam reſignaverit, ex eodem * cognoſcere non injucundum fuerit: *fol. 123.*
Notum ſit tam præſentibus quàm futuris, quod Henricus Palentinus *Comes Rheni, qui filiam prædeceſſoris ſui Conradi Palatini Comitis legitimè duxerat, reſignavit beato Petro, & venerabili Treverorum archiepiſcopo Johanni, die Paſchæ in curia epiſcopali apud Treverim. Advocatiam ejusdem civitatis, cum omnibus appendiciis tam feodatis quàm non feodatis, nec non omnia annualia ſervitia, quæ prædeceſſor ſuus ſupradictus habuit in villis archiepiſcopi ſitis in pago qui Trehere, aliâs Recherge dicitur, & in omnibus villis archiepiſcopi ſitis ſupra Moſellam, ſub tali forma: Quod idem Palentinus juravit ſuper clavum Domini, & ſuper omnes relliquias in eadem capſide contentas, quod nec ipſe nec aliquis heredum ſuorum eandem Advocatiam & prædicta feoda unquam repeteret. Archiepiſcopus quoque ſub pœna excommunicationis inhibuit, quod nec ipſe nec aliquis ſucceſſorum ſuorum, prædictam Advocatiam & eadem feoda in poſterum alicui hominum infeodaret, niſi indignationem Dei omnipotentis & ſententiam excommunicationis incurre-*

ret. Hujus rei teſtes ſunt, qui etiam eodem tempore præſentes aderant, Gerhardus Abbas Prumienſis, Rudolfus major præpoſitus, Wilhelmus major decanus, & omnes archidiaconi, nec non quatuor Abbates, Acta anno Dominicæ incarnationis MCXCVIII.

Sed à Moſella redeo ad Rhenum, quem infra Bingium loco opportuniſſimo ex utraque ripa Palatini tenebant, ad ſiniſtram ripam habentes caſtrum Staleken oppido Bacharach impoſitum, cum vicinis velutique contiguis villis Mannebach, Diepach, Stege (quæ quatuor villæ unum quaſi corpus & univerſitatem conſtituentes, *Quatuor Valles* hodie dicuntur) ad dexteram Cubas oppidum; in medio Rheni alveo ſpeculam longè proſpectantem, atque ad tutelam loci ſimul, & teloneorum aptiſſimam, *Pfaltzgrevenſtein* antiquitùs, hodie *Pfaltz* ſimpliciter dictam. Quo loci ob amœnitatem, & fertilitatem vini generoſiſſimi, teloneaque pecunioſiſſima, Palatinos ipſos ſedem & domicilium jam olim elegiſſe, & plerumque tenuiſſe, ſubſcriptiones litterarum complurium teſtantur: & nomen ſpeculæ, (cujus deſcriptionem ſuperioris ſæculi Poetæ * non omiſerunt) adhuc ſuperſtes manifeſtè evincit. Apponam unum diploma Conradi, cum pauciſſima ejus ævi & familiæ extent, ut ipſius & conjugis ejus Irmentrudis memoriam, ſimulque loci antiquitatem conſervem:

Stalecke. Die Vier Tâle. Cuabe. Die Pfaltz.

* *Bartolm.* VII. *Auſtriad.* & *Moller lib.* III. *Rhene pag.* 146.

NOS CONRADUS, *Dei gratia Comes Palatinus Rheni, omnibus & ſingulis, ad quos præſentes literæ pervenerunt, cupimus eſſe notum. Quod cum curtis & bona monaſterii ſancti Chriſtofferi in Revengyrſpurk, apud villas noſtras Diepach & Mannenbach ſita, de manu illuſtris Comitis Bertholdi fundatoris dicti Monaſterii, ad ipſum Monaſterium dinoſcantur jure liberrimo devoluta, imò etiam jure pleno ſibi ſalvo, tam in aquis & paſcuis, quam in viis & inviis, ſylvis & nemoribus villarum noſtrarum prædictarum, quo ad omnes uſus curtis & bonorum eorundem, Religioſi viri Præpoſitus & Conventus monaſterii præfati curtem ipſam & bona contributioni annuæ precariæ, univerſitati dictarum villarum noſtrarum ab antiquo impoſitæ, ad alleviandum eis onus hujusmo-*

juſmodi, per hoc non ſolum dictæ univerſitati, ſed nobis & noſtris heredibus complacere ſperantes, ſub certa ſumma quatuor marcarum denariorum, voluntate ſpontanea ſubmiſerunt tali conditione, quod ſi quid de curte & bonis his alienari contigerit in futurum, ſi fuerit in valore unius marcæ, duos denarios portabit dicta precariæ, ab hujusmodi alienati poſſeſſore, quocunque in antea exiſtente, ſive nobilis, ſive alterius conditionis exſtiterit à modo perſolvendos; Curti vero & bonis prædictis de ſumma quatuor marcarum præfatarum in perpetuum defalcandis. Eodem modo de reliquis, quæ alienari contigerit obſervando proportionaliter; nec non duobus denariis Treverenſibus vel altera moneta æquivalente, pro tempore computandis pro denario quolibet de prædictis. Nos autem Comes Palatinus præfatus conſiderantes in præmiſſis dictorum Religioſorum affectuoſam circa noſtra & noſtrorum beneplacita voluntatem, & præcipuè favorem Monaſteriis impenſum Deo fore acceptabilem intuentes; ipſum Monaſterium cum omnibus ſuis in noſtram & hæredum noſtrorum protectionem perpetuam aſſumpſimus bona fide. Veruntamen quamvis itaque noſtri heredes, noſtrique & eorum officiati, ac tota univerſitas terræ noſtræ, dictum Monaſterium in perſonis & rebus debeamus de cætero fideliter defenſare; Univerſitas tamen villarum Diepach & Manninbach prædictarum, ratione contributionis prænotatæ dabit ad hoc, & maximè ad conſervationem juris & libertatis curtis & bonorum præfatorum operam præ aliis ampliorem, etiam contra omnem hominem dicto juri & libertati contrarium facientem. Ad quod ſe dicta Univerſitas ſponte aſtringit, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus omnibus, fide corporali dictis Religioſis loco juramenti præſtita, coram nobis. Dicta enim curtis & bona in omnibus aliis, præter contributionem memoratam, libera ſunt penitus & exempta: ita quod etiam nobis, & noſtris heredibus, nec non dictarum villarum Diepach & Manninbach Univerſitati, excepta duntaxat contributione eadem, nihil juris ſeu poteſtatis cujuscunque competit in eisdem, ac in eorum incrementis, emolumentis & proventibus univerſis, nec non in dictæ curtis incolinis, familia, jumentis, vecturis, hoſpitationibus, ac rebus

Advocatia cœnobii Ravengerſpurgenſ.

aliis quibuscunque. Ne igitur juri & libertati hujusmodi per aliquem mortalium in poſterum aliqualiter derogetur, dictam curtem & bona, in noſtræ & hæredum noſtrorum protectionis & pacis gratiam recepimus ſpecialem, dantes eiſdem Religioſis præſentes literas ſuper jure & libertate prædicta, ac ſuper omnibus præmiſſis, noſtri ſigilli appenſione, firmiter roboratas. Acta ſunt hæc præſentibus, unà cum ſpectabili Comitiſſa Palatina Irmendrude noſtra conjuge legitima, teſtibus ſubnotatis: Henrico dapifero noſtro, Henrico de Dikke, Dudone de Lorch, Friderico de Kerebergk, Eccleſiaſtico de Bacharaco, Eccleſiaſtico de Diepach, & aliis quam pluribus fide dignis. Datum anno Domini MCXC. *Kalendis Aprilis, in caſtro noſtro Stalekun.*

Hunc Conradum maſcula prole orbum, feudum ſuum ab Eccleſia Colonienſi (cujus ſe hominem, id eſt vaſallum, ipſe coram fratre ſuo Friderico Imp. aliquando profeſſus eſt) habitum, quod prius fortè maſculinum & rectum erat, invenio reſignaſſe Archiepiſcopo Philippo, ut ab eo mutata conditione feudi, uxori filiæque Agneti de novo concederetur. Diploma tale eſt:

Apud Helmold. lib. II. c. 9.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. PHILIPPUS *divina diſpenſatione ſanctæ Colonienſis eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Scire volumus omnes in Chriſto renatos, quod caſtrum Staheleke & advocatiam in Bacherache, à manu Domini Palatini Comitis Cunradi, cum aliis quæ illic à nobis in beneficio tenuit, ipſo rogante & hæc nobis reſignante ſuſcepimus, & in eodem momento ipſi & ejus jugali dominæ Irmengardi* eiuſque filiæ Agneti jure feodali conceſſimus, accepto ab ipſis Dominabus hominio ſtatuentes, ut dum vixerint hæc pariter poſſideant: & ſi unus aut duo deceſſerint, quicunque illorum ſuperſtes fuerit, ſine omni contradictione idem beneficium habeat. Quod quia piis eorum precibus annuentes ſic inſtituimus, nec ab aliquo interitura revocari potuerit, in præſenti carta conſcribi, & hanc impreſſione ſigilli noſtri muniri fecimus. Facta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis.* MCLXXXIX.

* Vel, Irmentrudi.

Indictione VII. *Clemente III. ſanctæ Romanæ ſedis antiſtite, regnante Frederico Romano Imperatore, eiusque filio Rege Heinrico, ſub teſtibus his: Johanne Trevirorum archiepiſcopo, Brunone præpoſito S. Mariæ in Colonia, eiusque fratre Everhardo Comite de Scine, Diodorico Comite de Widun, & filio Tiderico clerico, Reginhero Comite de Froisbrecht, * Ulrico Comite de Nurberg, & eius filio; Gerhardo Comite de Are, Gerhardo Comite de Dietha, Bertholdo Comite de Kazenelnbogen, Ludovico Comite de Spanheim, Symundo Comite de Sareburgken, Heinrico Comite de Keſſele, Reginboldo de Iſenburg, Gerlaco de Couern, Friderico de Erenberg, & eius filio Friderico; Heinrico de Milevvalt, Wernhero de Brunnesborn, Heinrico de Dicke, eiusque filio Alexandro, Hermanno de Walebach, & eius fratre Friderico, Vymando, Hemethono, Hereberto confratribus de Sigenheim, Frederico de Kirberg, Humberto de Sconenburg, Cunrado de Boparde, Richardo de Duna, Gerhardo pincerna Epiſcopi Colonienſ. qui dicitur Suar, Hermanno advocato Pinguenſi, Tidorico de Clotceve, Johanne de Dalebeim, & aliis quampluribus.*

* Hodie Frevſperg.

Et hanc Agnetem Conradi Palatini unicam filiam nuptam fuiſſe Henrico Duci, Henrico Leonis Bavariæ & Saxoniæ Ducis filiò, Ottonis IV. Regis fratri juniori, & hac ratione Palatinatum ei adquiſitum, Irenicus & alii rectè ſcribunt. * Quod ſatis erit duorum vetuſtorum ſcriptorum teſtimoniis confirmari. Albertus Abbas Stadenſis: *Henricus filius Ducis Henrici, duxit Agnetem filiam Palatini Conradi de Rheno.* Godefridus monachus S. Pantaleonis Coloniæ, ſub Anno MCXCV. *Cunradus Palatinus Comes de Rheno obiit: cujus dignitates & beneficia Henrico, filio Henrici quondam Ducis Saxoniæ, ceſſerunt. Is enim filiam eius unicam duxerat.* Helmoldus in hiſtoria Slavorum: *Ducis Henrici filius æquivocus, quia erat preclarus genere, nobilis virtute, ſpecioſus forma, validus corpore, notus opinione, filiam Palatini de Rheno (qui erat patruus Imperatoris) ſortitus eſt uxorem.* Addit mox: *Non tantum Imperatoris gratiam, ſed & omnem dignitatem ſoceri ſui de manu Imperatoris ſuſcepit*

* *Lib. III. cap. 50.* Naucler. *genera. 34 fol 683.* Chronico, *An. 1194. paſ. 200. b.* *Lib. IV. cap. 20.*

ſuſcepit jure beneficiario. Exclamat tandem, & vota non irrita fundit: *Benedicta hæ nuptiæ, & eadem fœmina benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris ejus: quia in ipſius copulâ terris ſociata eſt Pax & Lætitia, &c.*

Addit Irenicus, illum Heinricum Palatinorum de vera lineâ ultimum, dum neſcit an Terram Sanctam, an aliud orbis iter tentare voluerit, naufragio obiiſſe. Et Reineccius alicubi notat, * hunc Heinricum, per matrimonium factum Palatinum Rheni, inter belli ſacri duces, quod Heinrici VI. Imp. auſpiciis ſuſceptum fuit, enituiſſe, circa annum Domini MCXCVII. deinde mortuo Henrico Cæſ. domum cum ſociis proceribus reverſum, Ottonis fratris electionem ſuffragio ſuo adjuviſſe. De qua Peregrinatione undecunque inaudiverint, fidem certè facit hæc ipſius Syngrapha, quam ſolam de illius memoria ſupereſſe puto, & luce digniſſimam in publicum dabo.

In append. Chronici Hieroſol.

HEINRICUS *Dei gratia Dux, & Palatinus Comes Rheni. Omnia facta temporalium temporalem ſequuntur motum, & pereuntibus hominibus ipſorum facta ſimul intereunt. Unde neceſſe eſt, ut quæ ſua natura tendunt ad interitum, literarum adminiculo fulciantur, & ab oblivionis interitu defendantur. Notitiæ igitur tam præſentium quàm futurorum præſentis ſcripti teſtimonio transmittimus, quod cum ad implendum peregrinationis noſtræ propoſitum pecunia nobis deeſſet, nos à Comitibus de Spanheim, Heinrico ſcilicet & Alberto, & Godfrido, ſexcentas quinquaginta marcas mutuo accepimus: & pro hac pecunia Comitiam in Meineſelde ex illa parte Moſellæ, ſuper petitione annonæ & denariorum, & aliorum quæſtuum eis in pignore dedimus, ſub hac forma, ut quandocunque nos jam dicta bona redimere voluerimus, libera nobis vel uxori noſtræ, vel pueris noſtris, vel aliis heredibus noſtris redimendi detur facultas. Impignoravimus nihilominus eiſdem Comitibus pro eadem pecunia ſub eodem tenore villas quaſdam, Engelſtad & Hedeneshem, has duas villas cum Comitia pro DL. marcis, & villam Sikenbach pro C. marcis. Hujus rei teſtes ſunt præ-*

poſitus

poſitus Geneno de Revengeresburne, Emicho Irſutus Comes, Wernherus de Bruneshorn, Heinricus de Dicka, Algrandus filius Heinrici, Fridericus de Walbach, Gerlacus de Siebeneich, Diethmarus de Vlngelinge, Henricus de Vttesheim, Godefridus de Sumerſchenberg, Ebirhardus Berre, Walpertus de Binge, Berteramus de Bickenbach, Fridericus de Erenberg, Godfridus de Enkerich, Wilhelmus de Glane, Enericus de Dille, Gerlacus de Bommenkirchen, & alii quamplures liberi & miniſteriales noſtri. Facta ſunt hæc anno Domini MCXCVII. *Indict.* XV. *Ne autem in poſterum aliqua ſuper hac inpignoratione oriatur dubietas, hac breve recordationis inde conſcribi & ſigillo noſtro inſigniri juſſimus. Datum in Stalecka,* VI. *Kal. Junii.*

Deinde illud quoque conſtat, illum pariter priſcæ familiæ Palatinæ Principem ultimum, Henricum, non niſi unam filiam, ſive Gertruden (ut Irenicus, Nauclerus & Trithemius * nominant) ſive Agnetem (ut rectius Aventinus, & diplomata) habuiſſe, qua Ottoni Ludovici Bavariæ Ducis F. Ottonis Palatini Wittelſp. N. deſponſata, Palatinatus Rheni & Ducatus Bavariæ in unum coaluerit, ut mox dicturi ſumus. Neque enim quidquam præterea (hoc quidem tempore) habemus de priſca illa & inclyta Palatinorum gente, quorum tota proſapia & progenies nobis incerta & incognita eſt: eoque magis, quod nec in unâ eorum familia hæc dignitas hæreditaria & ſucceſſoria erat; ſed Cæſarum arbitrio & beneficio, Palatina prærogativa modò huic modò illi ob eximia merita, aliquando etiam illorum fratribus, fruenda conferebatur. Extiterunt olim *Geſta Comitum Palatinorum, per quendam monachum Laurishenſis cœnobii deſcripta:* quæ cum aliis id genus habuit & excerpſit Joh. Trithemius abbas Spanheimenſis, ut teſtatur in præfatione Chronici Hirſaugienſis. Sed & ipſe Trithemius ſcripſerat *De origine, Regibus ac Ducibus Bavarorum, ſimul & Comitum Palatinorum, & Spanhemenſium libros* IIII. *ad Ducem Johannem Comitem Palatinum & Spanheimenſem, apud Simmeren reſidentem:* ſi verus eſt catalogus operum ejus Polygraphiæ præfixus.

* *Trith. in genealog. Tavarar. pag. 21.*

Aventin. fol. 529.

Sed hæc omnia interierunt, nec de eis recuperandis ſpes ulla: niſi quod de Trithemio utcunque reſarciendo (Deus vitam modò proroget) aliquid auſim promittere.

DE FAMILIA DUCUM BOJARIÆ, inſerta Palatinæ, per connubium Ottonis Ludovici F. Bojariæ Ducis, cum Agnete Henrici Palatini F.

CAPUT XII.

VENIO ad familiam Bojaricam, cujus origines altius repetere, aut decora illuſtrare non eſt noſtri inſtituti. Et verò quid de illa aut poſt Aventini fuſiſſimos annales dicere habeam, aut Marci Velſeri nobiliſſimi ſenatoris pariter & ſcriptoris (qui Bojas res illuſtratum it, ut Vindelicis quod invideant, habituræ non ſint) cœpto præripere debeam? Bavaria regnum olim florentiſſimum & ampliſſimum, una parte ad fines Hungariæ, altera ad mare Hadriaticum, tertia ad alpes Franconiæ terminatum, Reges antiquitùs habuit: ſub Francorum autem Imperio Duces accepit. Ad Chriſtianam fidem ante pleraſque Germaniæ partes converſa, ſtatus Imperii primarius ſemper fuit. Duces ejus cæteris poſt Electores Principibus, quantum potentia & nobilitate majores, tantum etiam honore & loci prærogativa antelati. Ducatus Bavariæ in quaternaria illa diviſione ordinum Imperii (ſi qua ei fides) principe loco collocatus. Ex hac denique familia non tantum aliæ complures illuſtres Principum familiæ, quaſi ſurculi annoſiſſimæ arboris, enatæ: ſed multi etiam iique laudatiſſimi Cæſares & auguſti orbi Chriſtiano dati. Et (quod rarum & prope unicum Dei beneficium,) à multis jam ſæculis, primaque adeò origine ſua, inclytum genus hoc continua ſerie, abſque ulla interruptione, feliciter ad noſtram uſque ætatem propagatum eſt.

Hoc

Hoc olim ut inſigni fœcundia in multos ramos diffuſum, ita Fortuna favente finibus latè prolatis, multas alias ditiones ſinu ſuo recepit: ut veteres illos Margraviatus, Krayburg ad Oenum, Vohburg, Chambiam, Neomarchiam; & Landgraviatus atque Palatinatus, Wittelſpach, Scheyrn, Dachavv, Andechs, Vallay, Stefling, Stauff ad Regenum, Lengefeld, Kalmunz; ne & Comitatus enumerem, Grayſpach, Hirſchberg, Ambergthal, Sulzbach, & alios.

Inter quos Principes etiam Otto ille invenitur Palatinus de Wittelſpach, ejusque ex Agnete, Comitiſſa ſive Schyrenſi ſive Waſſerburgenſi, filius Ludovicus, ducatu Bavariæ aliiſque feudis à Friderico Imp. inveſtitus, auctore Friſingenſi: qui circa annum adhuc Domini MCCXX. vixit regnante Friderico II. Imp. cui etiam percharum & familiarem illum fuiſſe, apparet ex ipſius Auguſti quadam ſuper ejus obitu epiſtola, * ad filium ejus Ottonem (ut rectè obſervavit Aventinus) ſcripta. Quos quidam de vera & legitima ſtirpe Bavariæ Ducum deſcendere, liquidò probant Andreas presbyter Ratisponenſis (auctor non indignus, qui luce per nos ξὺν θεῷ brevi potiatur) Nauclerus, Trithemius, Aventinus, & recentiores Genealogiarum concinnatores. Cujus Ludovici filius Otto anno Chriſti MCCXV. (ut notat Aventinus) felix illud & auſpicatum connubium iniit cum Henrici ultimi Palatini Rheni filia unica, non Gertrude (ut Trithemius, Irenicus, & Nauclerus vocant) ſed Agnete (ut rectiùs Aventinus, & mihi fide Archivorum conſtat) & Palatinatum dotalem atque adeò ſucceſſivum, ducatui Bavariæ patrimoniali, inſigni acceſſione conjunxit. Hoc fœdere in unum cojerunt illuſtriſſimæ illæ duæ domus, & ampliſſimi nobiliſſimique totius Germaniæ principatus, Bavaria & Palatinatus Rheni: vel potiùs Palatinatus & Bavaria. Nam (quod notandum) Palatinum nomen præponere & ipſe & ſucceſſores ejus ſolebant Ducatui, & ſolent in hodiernum uſque diem:

Lib. VI. c. 20 Bruſch. de Laureaco pag. 176.

* *Apud Pet. de Vineis lib. IIII. cap. 3.*

Lib. VII. fol. 532.

Generat. 34.

Lib. VII. fol. 529.

quod Palatinatui ſui naturâ Electoria dignitas, ejusque ſequelæ, Vicariatus & Archidapiferia annexa ſit: qua unâ prærogativâ cæteros omnes Principes, ſive de domo Bavarica, ſive alia, Palatinatus hic Rhenenſis longè antecellit.

Eo igitur tempore Otto Bojaricus dicta filia Heinrici Pala-
Sup. p. 80. tini, principatum ejus obtinuit (ut loquuntur Annales) id eſt,
non tantum inferiora illa, Comitatum Stalecke, Bacharacum,
Cubam, pagumque Meinefeld, & quidquid in Ripuariis, Bru-
cteris, Ubiis & Sicambris ad jus Palatinum pertinuit: ſed etiam
ſuperiora hæc, Heidelbergam & vicina ipſius, hereditariè poſ-
ſedit. De qua, quia (neſcio qua origine) ab eccleſia Worma-
tienſe in feudum tenebatur, ab Henrico Epiſcopo de novo inve-
ſtituram accepit, anno MCCXXV. quam paulo ſupra exhibui-
Sup. p. 81. mus. Aventinus tamen ſcribit, jam antea Ludovicum prædi-
Lib. VII. ctum Bavariæ Ducem beneficio Cæſaris Friderici II. Rhena-
fol. 529. num ducatum accepiſſe: & poſtea demum Agnen filiam Hein-
rici Palatini, dudum absque liberis maribus defuncti, filio ſuo
Ottoni deſponſaſſe. Quod undecunque habuerit, invenio
certè illum ipſum Ludovicum, totis ſex ante prædictam de Hei-
Parte II. delberga inveſtituram annis, à Friderico II. Cæſare Palatinum
Orig. fol. Rheni vocari. Quod diploma alibi edemus.

31. Hoc itaque ſive connubio, ſive Cæſaris beneficio cum Pa-
latinatu Rhenano ſimul Electoria dignitas ad familiam Bavari-
cam pervenit. De quo extant veteres verſiculi, ad imaginem
ejus Ottonis Ludovici F. in aulæ Heidelbergenſis cœnaculo
Volum. II. majori adſcripti, quos etiam Nauclerus dignos inſeri commen-
fol. 693. tariis ſuis judicavit:

Otho der erſt Pfaltzgraff bey Rhein/
Hätt Pfaltzgraff Heinrichs Töchterlein/
Mit Mannheit ers alſo erfecht/
Des Reichs Chur blieb ſeinem Geſchlecht.

Sed & tunc inſignia illa gentilitia & arma picta utriusque domus, Palatinæ & Bavaricæ, ad hunc quem videmus modum uno in ſcuto ſive umbone coaluerunt: quæ prius diſtincta erant,

us

ut Leo coronatus in campo nigro Palatinæ; textum illud decuſſatim albo cæruleoque colore variegatum, Bavaricæ familiæ deigma ſive decorum eſſet. De quorum utroque dicam quas conjecturas habeo.

DE INSIGNIBUS ARMISQUE

utriuſque familiæ, Palatinæ & Bojaricæ. Leo Palatinus. Bojorum virgata ſagula.

CAPUT XIII.

PALATINOS veteres à Pipinis Palatinis Francoque ſanguine deſcendere, extra dubitationem ferè habetur. Francis porrò Regibus Leonem pro inſigni fuiſſe, Hunibaldus tradit. Singulæ enim gentes varia in ſignis ſuis & clypeis decora ſibi ſumpſere, & quaſi propriè ſibi vindicata expreſſere: ut Cimbri taurum pro inſigni habuerunt, Gothi urſum, Alani canem, Trojani ſcrophsm, Perſæ ſagittarium, Thraces Martem, Scythæ fulmen. Ita & Saxones veteres equum uſurpaſſe opinio eſt: quod ſignum Weſtphaliæ & Brunovvici Duces retinent. Et à Francis propagatæ gentes & familiæ, origini ſuæ denotandæ Leones ferre ſtuduerunt, ut de Hollandiæ Comitibus Hadrianus Junius, & de aliis alii ſcribunt. Heroicum præ omnibus ſignum: ſiquidem Leo δικαιὸν ζῶον Ariſtoteli. Palatini Principes neſcio quo naturæ dictu leonibus gaudent, leones alere, manſuefactos in delitiis habere ſolent, picti ſculptiq; juxtà ſe leones, vel ſub pedibus habent: ita in monimentis illos exprimi pictoribus & ſtatuariis ſolenne eſt. *Palatini Leones* propemodum in proverbium abierunt: ut in illos competat, quod de Legione Romana ejus nominis ait Claudianus: - - *clypeoque animoſi teſte* LEONES. Vidi ſigilla Rupertorum Palatinorum, cum iteris. S. SECRETUM DUCIS. RUPERTI. habentia ſolum Leonem abſque illis (quæ vocantur)

In Bavaria, c. 9. pag. 97.

rutis, appenſa literis ita ordientibus: Wir Ruprach Pallinggrefe by me Ryne/Hertzouge zu Beygern. Invenio Rupertum ſeniorem Palatinum, Adolpho & Johanni Comitibus de Naſſavv, Gerlaci filiis, Adolphi Regis nepotibus, inſigne hoc in feudum rectum dediſſe, Leonem aureum inter duo cornua galeæ impoſitum; quem ipſi & eorum primogeniti, ad honorem & recognitionem prædicti Principis geſtarent. Et plerique alii vaſalli illuſtres Palatini, Leones in armis gerunt, ut Seynenſes, Solmenſes, Witgenſteinenſes, Leoſteinenſes, alii: non dubium argumentum clientelæ Palatinæ. Neque interea tamen diſſimulabo, quod ſæpe mihi in mentem venit, poſſe ipſum Henricum Palatinum Leonis F. leonem illum (colore tantum, differentiæ ergò, immutato) in arma Palatina domo ſua attuliſſe videri, id eſt è domo Saxonica Brunovicenſi, cui eo ævo leones quatuor pro inſignibus geſtati. Ipſe ejus genitor ut à virtute LEONIS cognomen accepit, ita feram illam ingenti mole, è metallo conflatam, in medio foro urbis Brunoniæ collocatam & in altum erectam habebat, ubi hodie adhuc illam ſtare audio, & in moneta quoque civitatis repræſentari vidthe demus. De qua eſt elegans locus apud continuatorem Helmoldi: *Cum igitur apud Brunſvvich, ubi Rex feſtum Pentecoſtes ſolenniter celebravit, omnium lætitia abundaret, Bernardus Dux intuitus leonem fuſilem, qui à Duce Heinrico ibi ſublimatus eſt, ait: Quouſque hiatum vertis ad Orientem? Deſine, jam habes, quod voluiſti. Convertere nunc ad Aquilonem. His verbis omnes in riſum convertit, non ſine admiratione tamen multorum, qui hoc dictum altius intelligebant.*

An. 1353. Spiræ. — *Lib. VII. cap. 18.*

At rurſus de Bavarico inſigni, quod habet ter ſeptem rutas cæruleo candidoque colore alternatas, & paululum inclinatas (Gallicè, *Lozenges d' argent & d' azur de 21. pieces, miſes en bande*) ut originem ejus ipſe quidem hactenus indagare nequeo, ita hoc ſaltem ſuave fuit reperiſſe; Ludovicum Bavarum Imp. Jacobo & Fencio de Prato, Lunicianæ & Palatii Lateranenſis Comitibus, hanc gratiam feciſſe, ut Leoni, quem

Blaſon d' armoiries pag. 38. 215. 217.

prius

prius in armis ſuis gerebant, coronam (ut loquitur) *de armis ſui Ducatus Bavariæ* imponerent. Ea adpicta eſt, binis illis coloribus variegata. Sed diplomate ipſo, ut mirabili fortuna ad me pervenit, poſteritatem non defraudabo:

NOS LUDOVICUS *Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, univerſis ſacri Romani Imperii fidelibus, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem ſuam & omne bonum. Decet benevolentiam Auguſtalem illis oſtendere officia pietatis, qui fidelitatis & ſinceritatis laboribus obſequiisque iteratis noſtræ Excellentiæ obædiunt, noſtraque veſtigia inceſſanter reſpiciunt & ſequuntur: ut alii noſtri & Imperii fideles eorum gratioſo ſuffulti exemplo, ad obſequendum promptiores reddantur. Proinde cum nobiles viri, venerabilis Jacobus princeps & legatus noſter, & Fencius miles, fratres, nati quondam nobilis viri Alberti de Prato, Lunicianæ & ſacri Lateranenſis pallatii Comites, fideles noſtri dilecti, noſtris voluntatibus ſe multipliciter conformarint, ipſos univerſosque eorum poſteros & heredes dono gratiæ infraſcriptæ duximus honorare. Videlicet quod ipſi in aciebus bellorum, torneamentorum, & ubique locorum, quando & quotieſcunque voluerint, aut alias fuerit oportunum, tam in banderiis, clipeis, quàm veſtibus cæteriſque ornatibus, ſuper caput armorum Leonem crocei coloris, quem ipſi (ut aſſerunt) deferunt & prius detulerunt ex ſucceſſione paterna, coronam de armis noſtri Ducatus Bavariæ, (prout eſt inſerta præſentibus & depicta) valeant ducere & portare liberè & quietè; de noſtræ plenitudine poteſtatis, contradictione cujuslibet non obſtante: ſic quod nullus dicta eorum arma, ipſis per nos tradita & donata, quovis modò ſecum deferat, ſive portet, niſi ad id acceſſerit eorundem conſenſus pariter & voluntas, ſicut noſtræ Majeſtatis ultionem cupiunt evitare. In cujus rei teſtimonium præſentes conſcribi & noſtræ majeſtatis ſigillo juſſimus communiri. Datum in oppido noſtro Franchenfurt, in die Aſcenſionis Domini, anno ejuſdem milleſimo trecenteſimo triceſimo octavo, Regni noſtri anno viceſimo quarto, Imperii verò undecimo.*

Habeo

Habeo etiam nummum argenteum ſatis antiquum, didrachmalem, in quo adverſa parte caput Principis galeati antiquo modo, cum litteris vetuſti admodum characteris: ALBERTI. C.P. id eſt, *Comitis Palatini:* adverſa parte fœmina alata, Victoriæ prope ſimilis, tenens ſcutum illud teſſellatum, absque leonibus, cum inſcriptione, BAJOARIA, voce non hujus nec ſuperioris ſæculi.

At originem hujus quoque rei, ex ipſo antiquitatis fundo veluti virgulâ divinâ erutam, ut alia decora ſua, Bojaria illuſtratori ſuo Marco Velſero, viro ampliſſimo & omni laude majori, debitura eſt. Qui ut pro amicitia noſtra, quam in magna felicitatis parte pono, hanc velut præcidaneam operis Bojici partem mihi communicavit: ita (quod cum bona ejus gratia
Lib. 1. pag. 15. liceat) Lectori invidere eam non poſſum; & hanc velut purpuram burro meo inſerere, ambitioſius fortaſſis, geſtio. Ita
Lib. IIII. autem ille: *Scriptor belli Punici medii poeta Silius Chrixum Bojorum Ducem memorat, Brenno atavo tumidum, Capitolia capta trahentem in titulos, clypeo Celtas aurum penſantes prætuliſſe. Quæ ſtad hiſtoriæ fidem ſcripta, ut pleraque Silii, Bojos Romæ capiendæ non interfuiſſe tantum, ſed præfuiſſe quoque oportet, qui ducem de-*
Æn. lib. VIII. *derint. Cæterum Virgilius (cui nullum temerè verbum excidit) Gallos Capitolii obſeſſores, cæſarie & veſtibus aureis,* ſagulis *deſcripſit* virgatis: *ſive gentis morem ſequutus, ſive picturam anti-*
Servius lib. V. cap. 9. *quam aliquam, utrumque potuit. At Virgata quæ ſint, lavè explicavit grammaticus interpres. Ex Diodoro patet eo fuiſſe in teſſellatam prope ſpeciem, interſtincta & coloribus variegata: ut ſi quem retium plagas & maculas pictus tabellis explere & ſolidare delectet, funiculi decuſſati virgarum vicem ſint. Sic ſuturarum viæ in ſegmentatis veſtimentis iſtis, quas ſi etiam auratæ lineæ ad ornatum*
Propertius de Virdomaro, Virgatis braccis. *clauderent (omne enim Gallicum nomen auro apprime delectabatur) veſtes* auro virgatæ *dictæ, quod de Chrixo Silius ſcripſit. Ab areolarum autem hoc modo, vetuſtiſſima Boicorum inſignium pars, cæruleo & candido alternata, perparum abit, quadris modicè in rhombos nimirum compreſſis: cujus generis virgato ſagulo miles Thoracomachus,*

comachus, *in priſco* De rebus bellicis *libro (qui Notitiæ utriusque Imperii ſubjunctus) ornatus viſitur. Atque ego compertum habeo, pleraque inſignia, quorum meri colores, ex militari primò habitu manaſſe, ſeu (quod hactenus eodem recidit) in militum ſaga migraſſe ex clypeis. Eant ſi qui fabulam de Pſammetichi panibus probare adhuc poſſunt, commento vix poetis decorè uſurpando. Rhombos plerique ter ſeptenos obſervavêre; alii aliter conſtituêre. In cauſas ejus numeri, uti colorum itidem naturam & præſtantiam, atque inde ſignificatum, ſubtilius inquirere, vereor fruſtra fieri: etiamſi antiqua eſt numerorum ſuperſtitio, & benigna otioſis hæc omnis ad differendum materia. Tenuit apud Germanos mos iſte deinde perpetuò. Tacitus genti univerſim tribuit*, ſcuta lectiſſimis coloribus diſtincta, præcipuum cultum credere. *In quem etiam ſenſum ſcribit*, Germanorum ſcuta viminum textus eſſe, vel tenues & fucatas colore tabulas. Hæc ille, exquiſitè & eleganter, ut omnia. *De morib. German.* *Annal. 11.*

Et ſanè habent & aliæ illuſtres familiæ non abſimile textum coloribus lectiſſimis variegatum, ut Badenſis rubro cum flavo alternatum, Spanheimenſis flavo cum cœruleo, Marchenſis albo cum rubro, Teccenſis flavo Wirtenbergenſis flavo cum nigro, idque in rhombos pariter depreſſum. Quos Græci veteres ῥαβδωτὰ & πλίνθια ſcutulata vocabant, Scaligero notante: recentiores Χαρτάρια, *quartaria*, Codini ſcholiaſte doctiſſimo: Lombardi *Rutas*, Gallo-Franci *Lozenges*, nos Germani Wecken/ (quæ vocula per πολυσημίαν ſuam, occaſionem dedit fabulæ illi de panibus) vel etiam Rauten. *In Varron. pag. 67.* *Fr. Iunio pag. 273.*

DE ADMIRANDIS INCREMENTIS potentiæ Palatinæ; in hocce præſertim tractu.

CAPUT XIV.

POSSET etiam de admirabili fortunæ proſperitate, qua favente Palatina domus, poſt illam cum Bavarica conjunctionem,

ſtionem, in hoc tractu Rhenenſi dominationis ſuæ fines protulit, longa texi commemoratio. Nam non in ſolo pago Lobodunenſe Heidelbergenſem Cometiam, & Bacharacum cum adjacentiis inſedit: ſed vicinos pleroſque pagos, hinc Nicrinum ſive Neckergovve, uſque ad Cochengovve, atque adeo ultrà; inde verò Rhenenſem, ipſamque ſtratam montanam, & nemus Ottonicum, Creichgovve, pagumque Spirenſem, & Wormatienſem ferè totum, uſque ad Navenſem, quin & Waſagi ſilvæ, Ripuariique Ducatus magnam partem, perpetuis ſucceſſibus occupavit. Multos præterea Comitatus integros, ut Simmerenſem, Veldenſem, Gemini-pontis, Spanheimenſem anteriorem & poſteriorem, & Lutzelſteinenſem, alioſque, diverſis titulis modiſque legitimis adquiſivit, & Palatinatui incorporavit. Complures Reguli, Comites, Barones, Milites, ingenui, defenſionis & patrocinii ergò, ſe ſuaque in Palatinorum fidem ultrò propria ſponte dediderunt. Quæ omnia ſigillatim exſequi eſſet infinitum, nec hujus loci. Sufficiat relegare curioſum Lectorem ad Irenicum lib. III. Exegeſ. cap. 31. Munſterum lib. III. Coſmogr. cap. 250. & ſeqq. De teloneis Rheni notavit Spiegelius ad locum Guntheri ſæpe citatum, laudans auctorem Crantzium, in Saxoniæ (ut puto) lib. x. cap. 3.

Sed hiſce ſucceſſibus majus longè & potius adhuc Dei beneficium æſtimandum eſt, quod Eccleſiæ hoſpitium, Juſtitiæ officinam, Scholarum nutriciam Palatinatum eſſe, eoque merito celebre per Orbem nomen habere voluit. Quod beneficium faciat nobis eſſe ſolidum & perpetuum, ille ſolus perpetuus, & unicus Imperiorum principatuumque ſtator & auctor Deus. Amen.

DE AMPLISSIMIS DIGNITATIBUS familiæ Palatinæ: Archidapiferia Imperii, ejusque inſigni globo crucifero; electione Regis & Imperatoris; Vicariatu in tractu Rheni; & cognitione in ipſum Imperatorem.

CAPUT

CAPUT XV.

IMPERIUM Romanum, quod olim à Senatu populoque, ſæpius à militibus dabatur, qoſtquam in ſtirpe Carolina aliquandiu hereditarium fuit, ea deficiente rurſum ad electionem rediit. Eligebant autem Principes, quos Germania multos variosque habebat, & in his etiam Antiſtites, & ſine diſcrimine, quotquot Comitiis adeſſe volebant. Primæ tamen partes eſſe ſolebant potentiorum, & qui officia in aula geſſiſſent. Quomodo ferè & apud Græcos in Imperio Orientali electionem Imperatoris modò conſenſu Senatus, & Patriarchæ, modò voluntate Thematum ſive legionum hisque præfectorum, modò ſuffragiis procerum & patriciorum, modò etiam extra ordinem factionibus theatricis, aliisque pejoribus modis factam, in eorum Hiſtoriis legimus. Apud noſtros etiam non rarò, cùm contrariis Principum ſtudiis & factionibus duo eligerentur, & utroque Imperium arripiente ſuosque aſſeclas inveniente, civilibus diſcordiis Reſpublica variè jactaretur; tandem optimo plenéque divino conſilio, ad ſchiſmata & turbas evitandas, viſum eſt facultatem electionis ad paucos eosque primarios revocare & reſtringere. Qua in parte cùm Eccleſiaſtico ordini primæ deferrentur, inter quos trium antiquiſſimarum & nobiliſſimarum Eccleſiarum antiſtites non tantum honore & potentia cæteros vincerent, juxta verſiculos;

Treveris ætate, ſed rerum proprietate
Gaudet Agrippina, ſed honore Moguntia prima.

verùm etiam Imperii Cancellariatu per provincias diviſo jam inde fungerentur (eam ſiquidem inſtitutionem circa Ottonis M. tempora ortam, ex ipſorum Principum diplomatis ſe obſervaſſe ſcribit Onuphrius) * commodum & decorum viſum eſt, hiſce totidem collegas & conſortes ex ordine Principum politicorum, & quidem eos qui officia aulica primaria gererent, adjungere. In officiis prima habebantur Dapifer & Pocillator, qui Domeſtici & Architriclini; Mareſchallus qui Præfecti prætorio; Camerarius, qui Quæſtoris antiqui ſpeciem

* *De Comit. Imper. fol. 395.*

 gerebat.

gerebat. Quorum primis duobus corpus atque adeò ſalus Principis, ſecundo aula & ſatellitium ejus, tertito fiſcus, theſauri & ſacræ largitiones creditæ eſſent. Hæc autem officia antiquitus non erant certis familiis aſſignata, non certè his quibus modò ſunt propria: ut vel ex uno loco apparet. Luitprandus ſub Conrado Rege ait potentiſſimos principes fuiſſe, Arnoldum in Bajoaria, Burcardum in Suevia Everhardum Comitem in Francia, Giſilbertum Ducem in Lotharingia. De iisdem Witichindus ita ſcribit, narrans inaugurationem Ottonis primi: *Divina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat Rex ad palatium, Duces verò miniſtrabant. Lothariæ Dux Giſilbertus, ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Eberhardus menſæ præerat. Sifridus verò Saxonum optimus & à Rege ſecundus, eo tempore procurabat Saxoniam.* Vides hîc Franciæ Orientalis Comitem menſæ miniſterium & dapiferatum geſſiſſe. quod genus exempla & alia plura in Hiſtoriis occurrunt. Enimverò notandum eſt, non minimæ dignationis officium in aulis Regum quondam fuiſſe illud ipſum Dapiferi, ſive (ut alii vocabant) Infertoris: * quod è pio Abbate Bernardo didici, quo loco in quendam acerbè invehitur, *qui cum honores non paucos, ſed quantos nec Canones niſi inviti patiuntur, teneat in Eccleſia; unius tamen quem in Palatio aſſecutus eſt, magis gloriatur ex nomine, quam cæterorum quolibet appellatur. Cumque ſit Archidiaconus, Decanus, Præpoſitusque in diverſis Eccleſiis, nihil horum tam eum, quam* REGIS *delectat vocitari* DAPIFERUM. Et mox: *Ergo pulchrius eſt vocari Dapiferum, quam Decanum, quam Archidiaconum? Et quidem, ſed Laico, non clerico: Militi, non Diacono.* Dixerat autem paullò antea: *Sic quippe ſublimatum honoribus Eccleſiaſticis, ut nec Epiſcopis inferior videatur: ſic implicatum militaribus officiis, ut præferatur Ducibus. Par ſatis utrobique abuſio, ſive quod Diaconus menſæ Regiæ deputetur miniſterio, ſive quod Regis Dapifer miniſterio altaris inſerviat.* Ergo Dapifer ille præferebatur Ducibus. Sed & ipſe ducem agebat militiæ, ut ibidem apparet:

Quis

Lib. II. *cap.* VII.

Saxon. lib. II. *in princ*

* *Teutonicè*, Stoleſaz. *Vide* III. *Parerg. c.* 15.

Epiſt. 78.

Quis non miretur, unius eſſe perſonæ & armatam ducere militiam, & albâ ſtolaque indutum, in medio Eccleſiæ pronunciare Evangelium? Tubâ indicere bellum militibus, & juſſa Epiſcopi populis intimare? Eandem dignitatem etiam Byzantini Cæſares in ſua aula non poſtremo loco habuerunt, ut apud Georgium Codinum ſive Curopolatem legimus. Et his ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης eſt, qui Witichindo *Menſæ miniſtrator*, *Dapifer* nobis. Quod ipſum jam tum ſub Conſtantino Magno ita diſtributis officiis inſtitutum, & Roſſico principi dapiferatum aſſignatum, ut alia aliis legimus: ὁ δὲ Ῥωσικὸς τὴν τε στάσιν καὶ τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπὶ τοῦ τραπέζης παρὰ τοῦ μεγάλου κεκλήρωται Κωνσταντίνου, (ecce hunc Dapiferum primo adeò loco poſuit) ὁ δὲ Πελοποννεσιακὸς τὸ τοῦ πρίγκιπος, ὁ δὲ τοῦ Ἀττικῆς τε καὶ τῶν Ἀθηνῶν ἀρχηγὸς τὸ τοῦ μεγάλου Δουκός, ὁ δὲ τοῦ Βοιωτίας καὶ τῶν Θηβῶν, τὸ τοῦ μεγάλου πριμικηρίου. ὁ δὲ τῆς μεγάλης νήσου Σικελίας τὸ τοῦ ῥηγός, καὶ ἄλλοι ἄλλα. Unde apparet quàm & vetuſta & nobilis in utroque Imperio illa functio ſemper fuerit, & quanta majeſtas Imperatorum Germanicorum etiam hac in re eluxerit, qui non homines vulgares & plebeios ſuis miniſteriis, non pueros delicatos ſuis tricliniis & abacis, ſed Principes viros adhibebant. Neque Principes ipſi ſuæ dignitati indecora illa miniſteria, ſummo Principi Rom. Imperatori exhibenda, cenſebant & detrectabant, neque verò etiam ideò ſervorum domeſticorum & vernularum inſtar à Cæſaribus habebantur: ut ſcurriliter Johannes Bodinus nugatur: *Les Princes Electeurs*, inquit, *portent les qualites de varlets domeſtiques comme bouteilliers, eſcuiers, eſchanſons de l' Empereur.* Neque enim quotidie & ordinariè in illorum aula & convictu talibus miniſteriis fungebantur, quibus deſtinati alii inferioris ordinis

N. Gregor. lib. VII. fol. 109.

Libro I. Reip. cap. 9. pag. 179.

homines non deerant: ſed tantum in inauguratione illa ſolemni, vel etiam aliquando (neque ipſum tamen niſi ſemel, veluti ornatus cujuſdam, & veteri verbo *Dicis* ferè *cauſa*) in celebrioribus Curiis (quas vocabant) panegyricis conventibus, & actibus Auguſtioribus, ubi majeſtas Imperatoria, illa ſuper omnes alios Orbis Principes & Reges, ſplendidiùs ſeſe oſtendebat. Ita de celeberrima illa Curia à Friderico Imp. habita Moguntiæ Anno MCLXXXII. inter alia magnificentiæ argumenta, hoc etiam refert Helmoldus. *Officium Dapiferi ſeu Pincernæ, Camerarii ſeu Marſchalci, non niſi Reges vel Duces aut Marchiones adminiſtrabant.*

Rôm: hôve.

Lib. III. cap. 9.

Hæc dignitas deinceps, quo tempore ſeptem Electores, ſive ab Ottone III. Imp. (ut communis eſt ſententia, quam hoc loco non labefactabo) ſive alio longè poſteriore fuerunt inſtituti, Palatino Principi ita aſſignata eſt, ut Marſchalci officium Duci Saxonico, Camerarii Marchioni Brandeburgico, Pincernæ tum Duci poſt Regi Bohemiæ: nimirum ut non amplius perſonis dignitates eſſent conceſſæ, & cum perſonis mutabiles; ſed familias ipſas, & in his primogenitos jure perpetuo ſequerentur. Andreas Witichindus ſcribit Ottonem III. anno Domini DCCCCLXXXV. Quedlinburgæ Comitia celebraſſe, & inter cæteros interfuiſſe Henricum Ducem Bojariæ Imperii dapiferum, Conradum Sueviæ Ducem camerarium, Enzelinum Comitem Palatinum Rheni pincernam, Bernonem Ducem Saxoniæ & Lunæburgi mareſchallum. Cum ergo prædicta officia Imperii tum adhuc variarent & eſſent temporaria, Otto ille vel quiſcunque rei auctor illa (ut diximus) diſtribuit & perpetua fecit, & ut penes eoſdem & ſolos illos, & ſemper eſſet jus & poteſtas eligendi Romanum Imperatorem, ita ut officia illa & ſuffragii jus adamantino nexu jungerentur, conſtituit. Quo quidem anno id ſancitum, certi nihil afferri poteſt: hoc tamen aſſeveratur, defuncto Ottone illo III. Henricum ſecundum (qui & Claudus dictus, & in Sanctorum numerum relatus) ſecundum Ottonicam illam ſanctionem deſigna-

Dd. in c. venerabile S. Schard. lib. ſing.

In Geneal. Saxon. par I. cap. 13. & 15. è Ditmaro fol. 36.

ſignatum. Qui etiam Comitatu Bambergenſe ad ſe devoluto, poſtquam eum Epiſcopatum erexiſſet, eximiisque privilegiis & reditibus ornaſſet & dotaſſet, pro ſummo affectu quo locum proſequebatur, grandius ei tribuere nil potuit, quàm ut quatuor principes illos Imperii officiales, eisdem officiis & miniſteriis Epiſcopatui illi ſuo præficeret & adſcriberet. Qui & in hunc usque diem ea in feudum inde recognoſcere ſolent: ita tamen ut vicarios & ſubſtitutos ſuos ex ordine equeſtri Franconico habeant, per quos muniis illis ſuis, quando res exigit, honoris ergo defungi poſſint: Palatinus nimirum in feudo dapiferiæ Dapiferum de Pommersfelden, Bohemus in Pincernatu ſuo illum de Auffæs, Saxo Mareſchallum de Ebnet, Brandeburgicus illum de Rotenhan. Eadem omnino ratione, qua in Dapiferia quoque Imperii vicarios ſuos habent Electores, & (ut ita dicam) ſubofficiatos, eosque ex ordine illuſtrium: Rex Bohemus Pincernam de Limpurg, Palatinus Truchſeſſium de Walpurg, Saxo Mareſchalcum de Pappenheim, Brandeburgicus Comitem de Hohezolleren. Id quod annotatu hoc loco non indignum viſum.

Itaque qui multo recentiorem illam inſtitutionem faciunt, ut etiam ad Rodulphum Habſpurgenſem, * vel Carolum adeo quartum detrahant, audiendi non ſunt. Cum jam tum Albertus abbas Stadenſis, qui ſub Friderico II. Imp. ſcripſit Annales ſuos, Electores illos eodem ordine enumeret. Sed & veteres extant verſiculi, jam tum apud Marſilium Patavinum (qui ſub Ludovico Bavaro ſcripſit) Martinum Polonum, Lupoldum Bebenpurgium, & alios antiquiores legendi:

Aventin. *Onuphrius Beuter. animadv. hiſter. c. 13.* *In Chronico. p. 215.* *In lib: de translat. Imp. c. 11.*

Moguntinenſis, Treverenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii ſit cancellarius horum.
Eſto Palatinus dapifer, Dux portitor enſis,
Marchio præpoſitus Cameræ, pincerna Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſæcula ſummum.

Ab eo igitur tempore Palatinus, qui in familia ſua primogenitus fuit, vel à primogenito primo loco deſcendit, officium

Des Heyl. Römiſchen Reichs Oberſter Truchſeß. hoc propriè geſſit: & in titulis ſuis olim *Supremum Sacri Romani Imperii Dapiferum*, (ad differentiam nimirum aliorum minoris ordinis in Aula dapiferorum ordinariorum, qui Imperatoris magis & Imperialis palatii, quàm Imperii dapiferi) hodiè verò *Archidapiferum* ſe inſcripſit. Ertztruchſeß. Quo defungendo quæ ejus ſint partes, tam in inauguratione Imperatoris, quàm in Comitiis Imperii, aut Curiæ Imperialis celebratione, latè Bulla Caroli IV. præſcribit. Nec poſſum hoc loco inderiſum prætерire errorem Italorum quorundam ſcriptorum, ut M. Antonii Coccii Sabellici, * atque adeo Alciati, qui ordinem Imperii deſcribentes ajunt, Palatinum Imperatori præferre clypeum, Saxonem enſem. Quos etiam alii exotici ſcriptores ſecuti ſunt: decepti (ut puto) figurâ inſignium Palatinorum veteri, in quibus duobus clypeis, uni Palatino, alteri Bavarico, Elector Palatinus tertium in medio addebat, rubrum totum & vacuum, hac forma:

* *Enneade lib. 11. fol. 216. Libello de Imp. Rom. pag. 23.*

Donec Fridericus II. Palatinus Elector illi pomum illud aureum crucigerum, de ſingulari & novâ conceſſione Imp. Caroli V. inſeruit; ut imitatione collegarum ſuorum Saxonis & Brandeburgici, & ipſe illud quod Imperatori de ſolemnitate in publico præfert, (dicitur enim Palatinus *ſervire Imperatori procedenti, in pomo ſive Mundo*, ut Saxo in gladio &c.) ipſum palàm in inſignibus ſuis oſtenderet. Id autem eſt non ſcutum (quod nuſquam legimus, nec audivimus factitatum) ſed globus ille Imperii aureus, cum Cruce impoſita: qualem & Græci olim Imperatores manu ferre ſolebant, ut apud Codinum & Procopium, nec non & in epigrammate quodam de ſtatua Juſtiniani, & apud Byzantinos ſcriptores * legimus, & numiſmatis * eorum videmus: quem μῆλον & illi vocabant, & qui Imperatori illud præferret, μηλοφόρον: cujus Themiſtius in oratione quadam meminit. Hic globus inter inſignia & ornamenta Imperii Romani,

Actis Concil. Conſtantienſ. & alibi paſſim.

Gretſer. de Cruce, Tom. III. lib. I. c. 14.

* *Cedren. f. 307. Glycas p. 380. Gregoras fol. 126.*

* *Not. Lipſ. de Cruce, & Ant. Auguſtin. tab. 7.*

Romani, quæ *Regalia* vocantur, *βασιλικὰ κειμήλια, ἐπίσημα καὶ σύμβολα*, quibus Imperator inauguratus inveſtiebatur, ab omni antiquitate vel primo loco habitus eſt. Quem ita deſcribit Glaber Rodulphus: *Venerabili Papæ Benedicto ſedis Apoſtolicæ viſum eſt inſigne Imperiale, quod prius diverſis ſpeciebus figuratum fuerat, fieri admodum intellectuali ſpecie: idque præcepit fabricari quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibusque gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat autem inſtar hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur: ut ſiquidem illud reſpiceret Princeps terreni imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quàm ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diverſarum gemmarum decoramine, videlicet Imperii culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exornari oportere.* Et Godefridus Viterbienſis parte XIX. ubi de Regalibus ornamentis: (*Lib. 1. hiſtor. Franc. cap. ult.*)

Aureus ille globus, Pomum vel Palla vocatur,
Unde figuratum mundum geſtare putatur.
Quando coronatur, palla ferenda datur, &c.

Unde legimus in coronatione Wilhelmi Hollandi Aquisgrani facta MCCXLIX. Ludovicum Palatinum in manu novi Regis globum aureum ponentem dixiſſe: *Accipe globum ſphæricum, ut omnes terræ nationes Romano Imperio ſubjicias, & Auguſtus glorioſus appellari valeas.* Et addit Godefridus: (*Tritbem. in Chron. Hirſaug. fol. 244.*)

Crux ſupereſt pomo, cæli ſuper inſita dono.
Suſcipe corde bono Rex, quæ tibi myſtica promo.
Teque ſedente throno, proſpice quid ſit homo.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata Crucis tibi ſint reverenter habenda.
Servulus eſto Dei, qui tua ſceptra regit.

Ut autem jure familiæ Palatinæ ejus primogenitus Imperii eſt ordinarius & hereditarius Dapifer: ita vi & jure hujus officii,

 quo

quo Imperatori viventi menſam miniſtrat, illo etiam mortuo ſucceſſorem ſuffragio ſuo ei circumſpicit & eligit. Nec jam mirari quisquam debet, quod aut Comes in Electorum numerum relatus, atque adeo cæteris collegis, iisque Principibus majorum gentium prælatus ſit, quod Onuphrius facit: aut quod minus potentibus in Imperio electura commiſſa fuerit, omiſſis potentioribus, ut Bavariæ, Sueviæ, Lotharingiæ, Franconiæ, Brunſuici Ducibus, ut Munſterus putat. Nam & ſupra demonſtravimus, quanto Comitiva Palatii cæteros non Comites, ſed etiam Principes honore antecelluerit: quanta etiam Palatinorum ad principes Germaniæ fluvios Rhenum, Moſellam, Navam, Nicrum, potentia fuerit, ut quæ magnam magnorum Ducatuum (Sueviæ inquam, Wormatiæ, Ripuariæ) partem abſorbuerit; quamque præclaris inſuper clientum & vaſallorum illuſtrium ſubſidiis fulta & ſtipata. Cui accedit, quod cum primæ tribuerentur Archiepiſcopis illis ad Rhenum reſidentibus; non abs re Palatinus, qui & vicinam intermixtamque illis ditionem habebat, & vicariatum Imperii ad Rhenum & in confinibus partibus gerebat, illis adjunctus eſt: quod & ad concordiam inter illos fovendam (quam adhuc fraternitate quadam tuentur) & Imperii quietam, atque etiam vires (quibus in Rheni teloneis, aliisque oportunitatibus multum momenti poſitum) conſervandas id plurimum facere videretur.

De Comit. Imper. *Lib. III. cap. 351.* Churfl. Rheiniſch Verein.

Quin nec illud aliquis miretur, cur poſt Electores Archiepiſcopos, quibus religionis & Eccleſiæ reverentiâ Princeps politici priorem locum libenter ceſſerunt, poſtque Regem Bohemiæ (cujus dignitatem & ſublimitationem recentiorem eſſe conſtat) Palatinus primus ordine, & ad dextram Imperatoris collocatus, cæterisque & ipſis majorum gentium principibus antepoſitus fuerit. Qui cogitet, ſaltem ob generis prærogativam Palatinos, utpote ſolos è Franco ſanguine & Carolina profapia reliquos, aliquid præ cæteris meruiſſe. Obſervavi ipſe è veteribus diplomatis Lotharii, Conradi, Ottonum,

Henricorum, Fridericorumque; in enumeratione Principum qui rei geſtæ interfuerint, poſt Epiſcopos, Palatinos primo loco ante alios vel Auſtriæ vel quoscunque Duces collocari ſolitos. Eum ordinem qui inter Principes habitus, in Electoribus etiam ſervari conſentaneum fuit. Jam & Palatina præfectura ſeu Comitiva prætorii, proxima à Rege ipſo (ut ſupra explicavimus) dignitas fuit. Dapiferia quoque, qua unà cum Rege Bohemiæ epulas Auguſtas curat, tanto & Mareſchalli & Camerarii munere major; quanto majoris apud Regem meriti & fiduciæ, corpus & ſalutem ejus, quàm ſatellitium equitatumque, aut fiſcum ſibi creditum habere. Vicariatus quoque ad Rhenum, nobiliſſimam Germaniæ partem & Romanis principibus libenter habitatam, longè honeſtiſſimus; & amplior quoque latiusque patens, quàm Saxonicus. Quantum denique illud, quod ipſius Imperatoris ſummique Principis non alius quàm hic ipſe Judex eſſe potuit? De quo utroque etiam aliquid dicendum eſt.

ITERUM DE VICARIATU IMPERIALI in tractu Rhenenſi. Formula ejus ſub Ruperto Palatino Rege. Cognitio ſuper cauſis Regi vel Cæſari intentatis.

CAPUT XVI.

ET de Vicariatu primo Imperii, quem hic in tractu Rhenenſi, & Francia Orientali Sueviaque univerſa, Imperatore abſente vel ſub interregno gerebat, dicam quod mihi ſemper viſum eſt; illud vi & jure Palatinæ præfecturæ & Majoratus Domus, quæ mandatam à Rege cognitionem habebat, vel eo ceſſante uſurpabat, deſcendere: eaque etiam ratione factum, quod nonniſi hi duo Palatini, Rhenenſis & Saxoniæ (qui & ipſe olim *Palatini* titulo gaudebat, ut ex Witichindo aliisque diſcimus, & in inveſtitura Imperiali

Die Pfaltz Sachsen. hodieque Palatinatum Saxoniæ cum Ducatibus accipit) totius Imperii vicariam gubernationem diviſis inter ſe limitibus meruerint. Cum enim Imperium Romanum, quale tunc erat, in duo regna eſſet diviſum, Lombardicum & Teutonicum, in Italia quidem quos vicarios complures Imperator habuerit, & quomodo ſub interregno vicariatum Pontifices ſibi uſurparint, non eſt hujus loci commemorare. Teutonicum autem cùm duplici jure regeretur, Francico & Saxonico, quorum hoc tractum Saxonicum ad mare Balthicum & Sarmatiam, illud tractum Rheni, Franciam Orientalem, & Sueviam, (ſub quo nomine etiam Bavariam Auſtriamque) complectebatur; factum eſt, ut duo illi Palatini, veteri inſtituto & peculiari muneris ſui conditione, abſente vel mortuo Imperatore, vice ſacra regnum totum Teutoniæ (quod κατ' ἐξοχὴν *Imperium* vocari ſolet) gubernarent. Quod à majoribus proculdubio jam dudum ita inſtitutum Carolus IV. Imp. in Comitiis Imperii Anno MCCCLVI. confirmavit; & alii etiam Cæſares tam ante quàm poſt illum peculiaribus diplomatis, ut & alia regalia, Palatinis Principibus renovare ſoliti ſunt. Eum vicariatum (ut unum atque alterum de multis exemplum afferam) cum laude & patriæ magno bono geſſit primò Rudolfus II. Palatinus, ſocer Caroli IV. Imp. deinde Ludovicus Barbatus, qui & Pius dictus, cum Rupertus Cæſar, pater ejus, exercitum in rebellem Inſubriam duceret, anno Domini MCCCCI. Tunc enim filio ſuo gubernationem in terris Teutoniæ, cum certo modo, quid & quatenus ipſi licere debeat, proficiſcens commendavit; ordinibusque Imperii id denunciavit, eique interea parêre & inter ſe pacem tenere juſſit. Qui etiam abſente patre, inter alia negotia ritè geſta, diverſis Imperii Principibus, Comitibus, Civitatibus & ingenuis feuda Imperii conceſſit, fidem pro Rege ab eis accepit, privilegiaque eis confirmavit. De quibus extat in archivis Palatinis liber inſcriptus: *Geſtorum ſub Rege Ruperto & Ludovico Vicario.*

Extravag. Ioh. XXII. tit. 5.

Bulla Aur. cap. 5.

Sed ipſam formulam conceſſi illius Vicariatus, nihilo quidem minus notabilem quàm ſit ulla Caſſiodori, aut Vineæ, in Lectoris ſtudioſi gratiam adſcribam:

RUPERTUS *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis noſtris & Sacri Imperii fidelibus, ad quos præſentes pervenerint, gratiam noſtram & omne bonum. Regiam decet Majeſtatem illis præcipuè exquiſitis intendere laboribus, illis etiam jugibus pervigilis mentis vacare conſiderationibus, per quæ & ſacrum Romanum Imperium noſtris præcipuè temporibus optata ſuſcipiat incrementa, res ipſa publica debitis foveatur ſubſidiis, & divorum noſtrorum more prædeceſſorum Regiæ Majeſtatis gladius cunctos vibrantibus terreat aciebus perſecutores, & per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, atque reſectis vepribus ſub ſacro militantes Imperio deſiderata pace fruantur. Sanè cùm diſponente Altiſſimo, pro corona Imperialis diadematis ſuſcipienda ad præſens partes Italiæ ſimus ingreſſuri, & ut ſacri Romani Imperii ſtatus, ſalubris tranquillitas & res publica interim in Germania, Gallia & regno Arelatenſi, in abſentia noſtri copioſius atque fructuoſius procuretur, de Illuſtris & magnifici Principis* LUDOVICI *Comitis Palatini Rheni & Bavariæ Ducis, filii noſtri cariſſimi, legalitatis & gratæ circumſpectionis induſtria præſumptionem & fiduciam utique habentes indubiam, præcipuè etiam advertentes à divis Romanis Imperatoribus & Regibus prædeceſſoribus noſtris hactenus extitiſſe obſervatum, ac etiam de jure Comitatus Palatinatus Rheni fuiſſe & eſſe, quod cum Romanus Imperator vel Rex ultra montes Italiam ingreſſus fuerit, in ipſius abſentia Vicariatum Imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatenſi, ad Comitem Palatinum Rheni pertinuiſſe & pertinere: eundem dilectum filium noſtrum Ludovicum, animo deliberato, non per errorem aut improvidè, ſed ſano & maturo Electorum & aliorum Principum, Comitum & nobilium, noſtrorum & Imperii Sacri fidelium fretii conſilio & conſenſu, de certa noſtra ſcientia & Regiæ plenitudine poteſtatis, per Sacri Romani Imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatenſi provincias, principatus, dominia, diſtrictus, civitates, oppida, caſtra, villas, & eorundem*

pertinentias, qualitercunque nominatis omnibus, jure via & modo quibus melius & efficacius poſſumus & debemus, facimus, conſtituimus & ordinamus, noſtrum & ſacri Romani Imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatenſi Vicarium generalem. Dantes ex nunc, & tenore præſentium concedentes eidem plenam liberam & omnimodam auctoritatem, temporalem & generalem jurisdictionem, & gladii nutu & providentia Altiſſimi nobis contraditi poteſtatem, merum & mixtum imperium, ac etiam adminiſtrationem & jurisdictionem omnimodam, contentioſam & voluntariam, vice & auctoritate atque nomine noſtri, in præfati Sacri Romani Imperii provinciis, principatibus, dominiis, diſtrictibus, civitatibus, oppidis, caſtris, villis & eorundem pertinentiis, qualitercunque etiam nominatis, per ſe vel per alium ſeu alios exercendi, animadvertendi, exequendi in facinoroſos & delinquentes & reos homines, eosque & rebelles quoscunque puniendi, relegandi, deportandi, ultimo ſupplicio addicendi & deputandi, & alias cohercendi, ratione prævia & mediante juſtitia, prout criminis qualitas exegerit, & delicti ac culpæ rebellium & exceſſus. Et ut etiam apud & per eum, per ſe ac ſuum ſeu ſuos commiſſarios, & ad hoc per eum deputandos, merum & mixtum imperium, adminiſtratio & jurisdictio hujusmodi, contentioſa ſive voluntaria, in loca & homines, cujuscunque ſtatus præeminentiæ vel conditionis exiſtant, infra terminos & limites ſupradictos conſiſtentes vel conſiſtentia (ſalva tamen ſemper ſacroſancta Eccleſiaſtica libertate) liberè exerceantur, ſecundum quod jus ſeu ratio perſuadent. Concedentes nihilominus eidem & illi ſeu illis, quibus hoc commiſerit, & in ipſum illum vel illos jure plenario transferentes auctoritatem, poteſtatem & licentiam generalem, ne ſuis quis militet ſtipendiis, collectas & datias, conſueta onera realia & perſonalia & mixta, quocunque nomine cenſeantur, nobis & noſtro Imperio debitas ſeu debita, debendas ſeu debenda, nec non omnes cenſus, reditus, jura, proventus, emolumenta, oblationes, conductus, telonea & pedagia principatuum & dominiorum, monaſteriorum, civitatum, terrarum, territoriorum, diſtrictuum, oppidorum, caſtrorum,

ſtrorum, villarum & locorum, ad nos ratione Imperii, & ipſum ſacrum Romanum Imperium in Germania, Gallia, & Regno Arelatenſi, de jure conſuetudine aut alias pertinentes & pertinentia exigendi, levandi & recipiendi, & ad uſus ſuos pro defenſione ſacri Imperii, & pro ipſo Imperio ac evidenti expenſarum neceſſitate, ſupportandi & applicandi: pœnas & mulctas ratione prævia imponendi, levandi, & ex cauſis rationabilibus augmentandi, minuendi, remittendi in judicio & extra: Judæos Cameræ noſtræ ſervos acceptandi & defendendi: bona damnatorum, rebellium & reorum juſtitia exigente confiſcandi & publicandi: Officiales quoscunque & præſertim noſtri Imperialis judicii Judices (ſine eorum juris præjudicio, ipſis in ſuis officiis competentis, & uſque ad præſens in eisdem habiti & quæſiti) inſtituendi & deſtituendi: nec non de omnibus criminibus ordinariis & extraordinariis, enormibus, levibus, publicis & privatis cognoſcendi, puniendi, & executionem faciendi tam ſecundum iura municipalia quàm communia, ſeu legis cognitionem: & deciſionem huiusmodi committendi, in integrum reſtituendi bannum imperiale pronuntiandi, abſolutionem concedendi, infamia tam iuris quàm facti notatos publicandi, eamque iuris infamiam tollendi & ſuper ea diſpenſandi; de cauſis principalibus & appellationum ad nos & ſacrum Imperium interpoſitarum ſeu interponendarum, quibuslibet tanquam noſter & Imperii ſacri Vicarius generalis cognoſcendi, examinandi, decidendi, & diffiniendi; & alia quæ cauſarum merita requirunt, exercendi & exequendi: ferias & nundinas inſtituendi, imponendi, collocandi & concedendi: rebelles ſacri Romani Imperii perſequendi & puniendi, privandi & exuendi feodis, gratiis, libertatibus, emunitatibus, indultis, iuribus quibuscunque temporalibus; infames & inhabiles reddendi, pronuntiandi, declarandi; atque deſtitutos, privatos vel exutos, per ſe vel per alium ſeu alios, etiam per iudicium dictum Stillgericht, *aut alia quæcunque iudicia damnatos, & extra ius (ut moris eſt) ſententialiter conſtitutos & depoſitos, ad honores, ſtatus, officia, iura priſtina in integrum liberè reſtituendi: Decreta, ſtatuta ac proviſiones in prædictis*

omnibus

omnibus & quolibet faciendi de novo, corrigendi facta, & in totum tollendi, ſemel, pluries, & toties quoties òportunum fuerit & ordo dictaverit rationis: Omnia & ſingula feoda ſacri Imperii vacantia, vel cum vacaverint, committendi & conferendi, ac de aliis infeodandi & inveſtiendi (exceptis duntaxat feodis inſignibus Archiepiſcoporum, Ducum & Marchionum, & quæ cum vexillis ſeu gladiis recipi conſueverunt, & de quibus officialibus Imperialis curiæ de more ſervitur) & ab illis ſic recipientibus feoda, dum & quoties ſecæ ſus obtulerit, homagii, fidelitatis, obedientiæ & devotionis debita juramenta noſtro & ſacri Imperii nomine & vicè poſtulandi & recipiendi: ad Canonicatus & prabendas ac dignitates, etiamſi curatæ ac electivæ & majores poſt Pontificales in Metropolitanis & Cathedralibus ac principales in Collegiis exiſtant, perſonatus, Eccleſias parochiales & beneficia & officia Eccleſiaſtica ſeu temporalia, dum & quoties vacaverint, perſonas aptas & idoneas præſentandi, & eas & ea conferendi: Dotes, dotalicia, ſponſaliorum largitates ac donationes propter nuptias, admittendi & confirmandi: mentecaptis, furioſis, & aliis perſonis quæ ſui juris non exiſtunt, curatores, orphanis pupillis & viduis tutores & defenſores præficiendi, ac tutores & defenſores minus legitimè datos confirmandi, devolutiones fiſcales quorumcunque dominiorum, prædiorum & agrorum aut hereditatum, ſeu etiam rerum mobilium, dummodo jus & ratio illud exegerit, noſtri & Imperii nomine exigendi, tenutam & poſſeſſionem talium accipiendi. Dantes etiam & Regia concedentes auctoritate & de certa ſcientia, noſtro ac ſacri Imperii Romani Vicario generali ſupradicto poteſtatem pleniſſimam, Notarios publicos & tabelliones cum auctoritate & poteſtate plenariis creandi, faciendi, & de tabellionatus officio inſtituendi ſeu inveſtiendi (ut moris eſt) per pennam & calamarium: recepto ab ipſis prius & eorum quolibet pro nobis ac ſacro Imperio debita fidelitatis ſolito juramento: hoc ipſum etiam eadem auctoritate aliis concedendi & committendi, eoſque eorum exigentibus demeritis privandi & deſtituendi: ac etiam naturales, manſeres, ſpurios, baſtardos, & quoslibet de damnato ſive illicito coitu procreatos, viventibus ſeu mortuis eorum parentibus, ritè

ritè legitimandi: etiamſi forent filii Illuſtrium Principum, Ducum, Comitum & Baronum, & eos natalibus & omnibus legitimis juribus reſtituendi, omnemque geniture maculam & natalium defectum abolendi: ad omnia & ſingula jura ſucceſſionum etiam ab inteſtato cognatorum & agnatorum, honores, dignitates, officia, & ad ſingulos actus legitimos admittendi & admitti mandandi (ſine tamen legitimorum hæredum præjudicio) ac ſi eſſent de legitimo matrimonio procreati. Et generaliter omnia & ſingula liberè faciendi & exercendi, quæ ad verum ſacri Imperii Vicarium generalem pertinent: etiamſi quæ ex eis jure & conſuetudine ſpecialius exegerint mandatum, etiamſi majora fuerint ſupra & infra expreſſis, & quæ ad nos & ſacrum Imperium faciendi & agendi pertinere dinoſcuntur de jure, conſuetudine, ſeu plenitudine Regiæ poteſtatis: non obſtantibus quibuscunque literis datis vel dandis, legibus, conſtitutionibus, conſuetudinibus, ſtatutis & juribus municipalibus & localibus, generalibus & ſpecialibus contrariis, quacunque firmitate roboratis. Quibus omnibus & ſingulis, in quantum præſentibus obviare ſeu eis derogare poſſunt, ac ſi talia ſpecificè in ſuis capitulis & punctis de verbo ad verbum hic forent inſerta & nominatim expreſſa, de noſtra certa ſcientia & de plenitudine Regiæ poteſtatis ſpecialiter derogamus, ac viribus carere decernimus & declaramus. Mandantes nihilominus firmiter, & diſtrictè præcipientes univerſis & ſingulis Eccleſiaſticis & ſecularibus Principibus, etiamſi Pontificali præfulgeant digitate, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, nobilibus miniſterialibus, militibus, clientibus, vaſallis, civitatibus, oppidis & eorum univerſitatibus, locorum rectoribus & eorum communitatibus, caſtris, villis, ſubditis, terrigenis, incolis, habitatoribus, caſtellanis, cuſtodibus, officialibus, & hominibus quibuscunq́ue, cujuscunque etiam præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, gradus ſeu conditionis exiſtant, præſentibus & futuris; quatenus prædictum Ducem Ludovicum, filium noſtrum cariſſimum, noſtrum & Imperii Vicarium generalem taliter (ut prædicitur) à nobis conſtitutum, & perſonam noſtram figurantem, benignè & abſq́ue difficultate qualibet recipiant, & ſibi ac officialibus ſuis, quos conſtituit loco ſui, omnibus & ſingulis

noſtro & Imperii nomine fideliter & effectualiter, tanquam nobis, in omnibus obediant, pareant & intendant realiter & cum effectu, ut exinde eorum ſincera devotio per operum efficaciam eluceſcat. Sub pœnis per præfatum noſtrum & Imperii Vicarium conſtituendis, infligendis; nec non ſub pœnis noſtræ indignationis graviſſimæ, & mille marcharum auri puriſſimi: quas ab ipſis, qui ſecus attentare præſumſerint auſu temerario, totiens quotiens contra factum fuerit, irrevocabiliter per ipſum ſeu ſubſtituendos ab eodem exigi volumus, ſuisque uſibus prout ſibi videbitur applicari. Harum ſub noſtræ Regiæ *Majeſtatis ſigilli appenſione teſtimonio literarum. Datum Augſpurg, tertia feria poſt feſtum Nativitatis beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, anno Domini* MCCCCI. *Regni verò noſtri anno ſecundo.*

Ad mandatum domini Regis
Johannes Weinheim.

Præterea ab hoc Vicariatu natum eſt & inter alia eximium illud privilegium, quod Palatini à longo tempore quæſitum & à Cæſaribus confirmatum habent, ut loca & dominia Imperii à Cæſaribus alienata & oppignorata, ipſis eodem pretio eisdemque conditionibus reluere & redimere liceat. Ad hunc locum etiam pertinet, quod legimus in Chronico Caſinenſis Eccleſiæ, de audientia Lotharii Imp. in controverſia quadam inter Romanam & Caſinenſem Eccleſiam, ibique inter auditores præſentes recenſetur etiam quidam Gulfridus (GUTFRIDUS potius legerim) PALADINUS, ROMANI IMPERII JUDEX. Qui proculdubio fuit Godefridus ille Palatinus Rheni: quem circa id tempus in aula Cæſarea floruiſſe, Lauriſhamenſe Chronicon meminit, ſub Bennone Abbate XXXII. *Ad Imp. Henricum* IV. *tunc in Italia fermè decennio turbata Republica demorantem contendit, ac per Godefridum Palatinum Rheni Comitem (cujus ſententia momentum Curiæ per id temporis fuit) reſtitutionem obtinuit.* Quid quod & leges Imperii

Leon. Marſicica. lib. V. c. 110.

Fol. 88. 17.

perii publicas, quas Regias dicere poſſis, quibus Imperator & in Principes judicabat, & ipſe viciſſim utebatur, PALATINAS idem ſæculum vocabat? Quarum tria capita obſervare licet apud Lambertum Schaffnaburgenſem, ſub Anno MLXXV. ubi Henrico Imp. è Goslaria, quo legatos miſerat ad Saxones, illi inter alia reſpondent: *Nec ante publicam Principum cæterorum audientiam, & legitimam diſcuſſionem, aliquid in noſtros, quod ſe non deceat, decernat. Diem potius ſtatuat, locum deſignet, copiam det tutò coram veniendi, & tutò cauſam dicendi, ut ſecundum Palatinas leges juſta examinatione habita, vel puniat convictos, vel abſolvat innocentes.* Idem alio loco ad Saxonum Principes ita fatur: *Se cum juxta Palatinas leges extremo in eos ſupplicio animadvertere poſſit, & hoc jure faciant, gravibus ſæpe ab eis contumeliis laceſſitus, tamen memorem generis eorum & virtutis, tam atrocis facti veniam dare.* Alio loco Regis Legati ad Pontificen: *Sed è vicino jam urgere diem anniverſarium, quo excommunicatus Rex fuiſſet: & Principes regni hac exſpectatione ſuſpenſos, anxiè rei eventum præſtolari: ut ſi ante hanc diem excommunicatione non abſolvatur, deinceps juxta Palatinas leges indignus regio honore habeatur, nec ultra pro aſſerenda innocentia ſua audientiam mereatur.*

Deinde à Palatina Comitiva veteri hoc etiam ſingulare & eximium privilegium deſcendere videtur, quod ut in Aula regia & prætorio ampliſſimâ in omnes cognitione, nulloque penitus exempto Præfectus Palatii judicabat; ita ipſe Rex vel Cæſar, ſi ab aliquo conveniri ſe pateretur (neque enim bonus Princeps ſe ſupra leges & Juſtitiam omnem extulerit, nobili exemplo Optimi illius Trajani, qui Præfecto ſuo Prætorii gladium tradens, dixerat: *Hoc pro me utere, ſi juſtè imperavero: ſin minus, contra me)* coram hoc ſolo ſe ſiſtere dignaretur. Quod & ipſum ſummi honoris argumentum penes Palatinum Rheni (ſed ſolum, excluſo hac parte Saxonico) in Germanico Imperio remanſit, confirmatum à Carolo IV. Imp. his verbis: *Et quamvis Imperator ſive Rex Romanorum ſuper cauſis, pro* Bull. Aur. d. cap. 5. vide Re-

 quibus

ſtuar. Caſtald. in tractat. de Imperator. q. 91. *quibus impetitus fuerit, habeat (ſicut ex conſuetudine introductum dicitur) coram Comite Palatino Rheni, ſacri Romani Imperii archidapifero, Electore principe reſpondere: illud tamen judicium Comes ipſe Palatinus non alibi præterquam in Imperiali curia, ubi Imperator ſeu Romanorum Rex præſens extiterit, poterit exercere.* Conſuetudine ait ante ſe introductum, id eſt uſu antiquo. Et ſanè vetus hoc inſtitutum eſſe, etiam indicat Jus Saxonicum. * ubi tamen largiter Gloſſator ejus ineptit, dum ſcribit; ob cauſas ibi expreſſas Imperatorem judicari, & aurea ſecuri percuti, ſuper marginem ſcuti; idque manu Palatini Rheni. Quo uno quid delirius febriens ullus ſomniaverit? quo etiam nomine auctor idem N. Friſchlino, aliiſque emunctæ naris viris eruditis, ludibrium debuit. Quid quod & apud alias gentes cultiores, extra Imperium, idem Palatinæ dignitati jus fuit? ut apud Angelos, qui Germaniæ noſtræ & origine linguaque, & crebris illuſtrium conjugiorum fœderibus, præ cæteris conjunctiſſimi. Ita enim ſcribit graviſſimus eorum hiſtoricus Matheus Paris, ubi apparatum nuptiarum Regis Henrici III. exponit, & Aulæ officia diſtinctè enumerat: *Comite Ceſtriæ gladium S. Eduardi, qui Cartein dicitur, ante Regem bajulante, in ſignum quod Comes eſt Palatii, & Regem (ſi oberret) habeat de jure poteſtatem cohibendi: ſuo ſibi, ſcilicet Ceſtrenſi Conſtabulario miniſtrante, & virgâ populum, cum ſe inordinatè ingereret, ſubmovente.* In regno autem Pannoniæ ſive Hungariæ extat inſignis conſtitutio Matthiæ Regis & Ordinum auctoritate publicata, *De officio Comitis Palatini*, in qua ſummæ dignitatis munia, tutela regiæ prolis, ſummis Capitaneatus regni, Locumtenentia Regis abſentis, ſuprema poſt Regem juriſdictio ei defertur, & hoc nominatim: *Quod ſi aliquam differentiam ſive diſcordiam aliquando inter Regem & Regnum oriri contingeret, Palatinus ex officio debeat eſſe mediator, & ſe interponere, atque illos adhibita omni diligentia & cura fideliter componere.*

[Margin: Weichbild. lib. 1. artic. 8. & 9. Ubi Gl.] [Margin: Anno MCCXXXVI.] [Margin: An. MCCCCLXII.]

Et ne quis exemplo rem carere putet, præter quod *conſuetudine introductum* (quæ quidem tractum temporis, & actuum frequen-

frequentiam requirit) Carolus ait, antiquius ipsâ Bulla exemplum in promtu eſt, * de Anno MCCC. Ex quo etiam notari poteſt; ante Legem illam Carolinam, cognitionem ejusmodi Palatinam ad Rheni fluminis ripam peragi ſolitam: quo potiſſimum loco antiquitùs negotia Imperii publica expediri conſueviſſe, alibi ſcripſimus. * Verba auctoris hæc ſunt: *Eodem anno circa feſtum beati Michaelis, Dux Rudolfus & Comes Palatinus Rheni præfatus, ab Electoribus Imperii Moguntinenſi, Colonienſi, & Treverenſi Archiepiſcopis vocatus fuit ad Rhenum, contra præfatum Regem Albertum. Unde iidem Principes contra ipſum Albertum conſpiraverant, eligentes ipſum Rudolphum pro judice: & aſſerentes ad Comitem Palatinum pertinere, quòd ſit officium Palatinæ dignitatis ex quadam conſuetudine, de cauſis cognoſcere quæ ipſi Regi moverentur. Quare contra Regem propoſuerunt, quod Dominum ſuum proprium, ſcilicet Regem Adolfum occidiſſet: ideo Rex eſſe non poſſet: Ed ad depoſitionem ipſius cogitabant. Quod audiens Rex Albertus, iratus & commotus fortiter fuit, & maximè contra præfatum Ducem Rudolfum, cujus avunculus extitit, quia ſororis ſuæ filius erat; jurans quod omnia quæ ab Imperio obtineret, alienaret ab eo, videlicet Suevicum Werd, Novum Forum, & cætera, quod & fecit poſt hæc vadens contra præfatos Electores. Archiepiſcopus Moguntinus manu potenti obſedit Pinguiam: & ſic deinde Electores concordati ſunt tandem cum eodem Alberto.*

Chron. Alrahenſi II, Steroris fol. 412. edit. noſtræ.

Ad Pet. de Andlo pag. 80. & Orig. 11. cap. 2.

Neque ignoravit hoc, qui omnia jura in ſcrinio pectoris habere ſolet recondita. Nam in quadam epiſtola ad Fridericum III. Imp. Innocentii VIII. Papæ hæc verba lego: *Et quoniam cauſa hæc etiam eſt propria, & ad commodum modeſtè non poterat per Electores Imperii, aut ſaltem per Comitem Palatinum Rheni (ad quem in vim Bullæ aureæ claræ memoriæ Caroli Rom. Imp. IV. hujusmodi cauſarum cognitio ſpectare deberet) cognoſci: Nos etſi paſtoralis officii* &c.

CATA-

CATALOGUS ELECTORUM PAlatinorum è domo Bavarica. Eorum Conjuges, emortuales, ſepulturæ indicatæ.

Cum additione ſequentium ELECTORUM ex eadem domo, uſque ad id tempus quô hic liber denuò recuſus eſt.

CAPUT XVII.

ULTIMO loco non alienum viſum eſt, ſubjungere Catalogum noſtrorum Principum, qui poſt illam Palatinæ & Bavaricæ familiæ conjunctionem, rerum in Electoratu potiti ſunt. Ita enim obtinuit, ut primogenitus ſemper (ſecundùm cum quem Aurea Bulla præſcripſit, aut potius confirmavit, modum) cum potiſſima ditionis parte Electoratum etiam Imperii obtineret. Sed Catalogum tantùm dico, nec enim vitas eorum deſcribere jam aut otium eſt, aut animus: quamvis & præter ea quæ vel Aventinus vel alii habent, ad id conferre aliquid poſſemus. Sed nec eorum monumenta jam adſcribemus, quæ pleraque in Delitiis Itinerum à N. Chytræo, & recentiùs à Mel. Adamo, * diligenter deſcripta & edita, qui volet, requiret. Sunt ergo hi:

Heidelbergæ 1612.

I. OTTHO Ludovici F. Otthonis N. Comes Palatinus Rheni, primus Elector ex hac familia. Uxor ejus Agnes, filia Heinrici ultimi Comitis Palatini Rheni. Mortuus anno MCCXLV. Sepultus in cœnobio Scheyrn. Ab hoc deſcenderunt omnes Electores ſequentes.

II. Ludovicus Comes Palatinus Elector, habuit uxores tres, Mariam Ducis Brabantiæ, alteram Annam Regis Poloniæ filiam, tertiam Rudolfi Rom. Regis, Comitis in Habsburg filiam Mechtilden. Mortuus anno MCCXCIV. aliis MCCLXXXV. Sepultus in Fürſtenfeld, ut ſcribit Andreas Ratisponens. pag. 68. Uxor MCCXCIV.

III. Rudol-

III. Rudolphus Ludovici filius, frater Ludovici Romanorum Imp. uxorem habuit Mechtilden, filiam Adolphi Rom. Regis, Comitis Naſſavii. Mortuus exul in Anglia (Moravia, ait idem Andreas pag. 77.) anno MCCCXIX.

IV. Adolphus Simplex, Electoratum propter ſimplicitatem (ut vulgò ferunt) neglexit: cui frater Rudolphus ſecundogenitus ſucceſſit. Habuit Irmengardam, filiam Ludovici Comitis Oetingenſis. Mortuus anno MCCCXXVII. ſepultus in Schœnau. Uxor anno MCCCXXXIX. ſepulta in Liebenau.

V. Rudolphus II. Rudolphi I. filius. Uxor Anna, Ottonis Ducis Carinthiæ filia: cujus filiam unicam Annam Carolus IV. Imp. in uxorem habuit; quem Carolum hic cum aliis Electoribus elegit. Mortuus anno MCCCLIII. Uxor, MCCCXXXI. ſepulta Schœnauiæ.

VI. Rupertus I. cognomento Ruffus, & *Ferhegut*, habuit uxores duas, Eliſabetham à Namur, & Beatricem Bergenſem. Mortuus anno MCCCXC. ſepultus Neoſtadii. Elizabetha, MCCCLXXXII. Beatrix, MCCCXCV. ſepulta ibidem.

VII. Rupertus II. Durus & *Branditz* dictus. Uxor ejus Beatrix, Federici Siciliæ Regis filia. Mortuus anno MCCCXCVIII. ſepultus Schœnauiæ. Uxor Beatrix, MCCCLXV.

VIII. Rupertus III. Romanorum Rex, *Clementis* cognomento nobilis, in uxorem habuit Friderici Burggravii Noribergenſis filiam Eliſabetham. Mortuus anno MCCCCX. Eliſabetha, MCCCCXI. ſepulti unà Heidelbergæ ad S. Spiritum.

IX. Ludovicus IV. Barbatus, cognomento Pius, uxores duas habuit: quarum prior Blanca Heinrici Regis Angliæ filia, altera Mechtildis Ludovici principis Sabaudiæ filia. Mortuus anno MCCCCXXXVI. ſepultus ibidem.

X. Ludovicus V. junior, dictus Virtuoſus. Ejus uxor Margaretha, Amedæi principis Sabaudiæ filia. Mortuus

anno

anno MCCCCXXXVIIII. Uxor MCCCCLXXVIIII. Sepulti ibidem.

XI. Fridericus primus, cognomento Victor, felicibus bellis rebusque benè geſtis inclytus: quæ à nobis ſeparatim ſunt edita. Tutor primò Philippi, dein illo adoptato Elector factus. Uxorem non habuit. Mortuus anno MCCCCLXXVI. Sepultus Heidelbergæ ad Prædicatores.

XII. Philippus Ludovici junioris filius, uxorem habuit Margaretham, Ludovici Divitis, Bavariæ Ducis filiam ex qua multos liberos procreavit. Mortuus anno MDVIII. Uxor MDI. Sepulti ad S. Spiritum.

XIII. Ludovicus VI. Philippi filius, pacis amantiſſimus. Uxor Sibilla, * Alberti Bavariæ Ducis filia. Mortuus anno MDXLIV. Uxor MDXIV. Sepulti ibidem, ut & ſequentes omnes.

* Al. Sidonia.

XIV. Fridericus II. Ludovici frater. Uxor ejus Dorothea, Chriſtierni Daniæ Regis filia. Cujus vitam & geſta peculiari commentario exactè & diligenter deſcripſit ejus conſiliarius, V. C. Hubertus Thomas Leodius. Mortuus anno MDLVI. Uxor obiit Neagoræ MDLXXX.

XV. Otto Henricus, Philippi ex filio Ruperto nepos. Ejus uxor Suſanna, Alberti Bavariæ Ducis filia, Caſimiri Marchionis Brandeburgenſis vidua. Mortuus MDLIX. Uxor MDXLIII.

XVI. Fridericus III. Johannis Comitis Palatini, & Principis Simmerenſis filius. Uxor Maria, Caſimiri Marchionis Brandeburgenſis filia. Mortuus xxvi. Octob. MDLXXVI. Uxor ult. d. Octob. MDLXVII. Secunda uxor, Amelia, Comitiſſa Neuenarenſis.

XVII. Ludovicus VII. Friderici III. filius. Uxor Eliſabetha Philippi Landgravii filia. Mortuus anno MDLXXXIII. Uxor MDLXXXII. Secunda uxor, Anna, Comitiſſa Oſtfriſiæ, adhuc ſuperſtes.

XVIII. FRIDERICUS IV. Ludovici F. Friderici Pii

N cùm

N. cùm patre mortuo IX. annis per patruum, laudatiſſimum Ducem, Johan. Caſimirum, tutorio nomine Palatinatus feliciter adminiſtratus eſſet; eo ſubinitium Anni MDXCII. defuncto, plenam gubernationem majorennis ex lege accepit: (paulo poſt ducta uxore Loyſa Juliana Wilhelmi Auraici Principis F. à Cæſ. Rudolpho in Comitiis Ratisponæ MDXCIV. inveſtitus) Quam ut ad Dei omnipotentis honorem, Reipublicæ ſalutem, ſuumque decus in multos annos feliciter gerat, faxit ille Rex regum & Princeps principantium.

XIX. FRIDERICUS V. Friderici IV. Filius. Uxorem duxit Eliſabetham Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Filiam, ex qua numeroſam utriusque ſexus ſuſcepit progeniem. Nulli tamen ex linea maſculina deſcendente Eidem exſtiterunt Pronepotes. Variantem expertus fortunam obiit Moguntiæ d. 19. Novembr. 1632. & Sedani ſepoſitus.

XX. CAROLUS LUDOVICUS Friderici V. F. Matrimonio ſibi junxit Charlottam Wilhelmi V. Landgravii Haſſiæ lineæ Caſſellenſis Filiam. Princeps Virtutibus Heroicis, omnis generis eruditione & acrimoniâ judicii ſuâ ætate incomparabilis. Circa ineuntem ætatem cum adverſa fortuna confligendo Virtus illius magis ſeſe inde exacuit & incrementa ſumpſit. Palatinatum Rheni per diuturnum bellum Germanicum incolis & facultatibus fere denudatum & exhauſtum ſingulari cum prudentia priſtino reſtituit nitori. Cujus & alia plurima illuſtria facta prolixiorem, quàm inſtituti ratio fert, deſiderant & merentur commemorationem. Ex hac vita diſceſſit d. 28. Auguſti 1680. Sepultus Heidelbergæ in templo ad S. Spiritum.

XXI. CAROLUS, Caroli Ludovici F. & Friderici V. N. Princeps Pius, Fortis, & literarum amans. Conjugem habuit Wilhelminam Erneſtinam Friderici III. Daniæ Regis Filiam, Virtutibus Celſitudine & ſexu ſuo dignis Ornatiſſimam. Improlis diem ſuum obiit ſupremum Heidelbergæ d. 16. Maji 1685. ibidemque ad S. Spiritum ſepultus.

XXII. PHILIPPUS WILHELMUS, Caroli Agnati ſui jure agnationis Succeſſor. Princeps Pietate, Clementiâ, juſtitiâ & Prudentia maximè inſignis. Regimen, Felicitatem & annos ejus Deus T. O. M. in longa pace & omni tranquillitate conſervet & augeat. Sit Proles qua divina Benignitas illum beavit Domus Palatinæ Electoralis inconcuſſum & firmiſſimum fundamentum. Ramificatio Sereniſſimæ illius ſtirpis ita ſe porro extendat atque diffundat, ut ad inſtar Rudolphi I. Habſpurgenſis Regna, Provincias, variasque Chriſtiani Orbis partes inumbret, protegat atque exhilaret! Uxor I. Anna Catharina Conſtantia Sigismundi III. Regis Poloniæ Filia, quæ in vivis eſſe deſiit d. 7. Octobr. 1651. Uxor II. Eliſabetha Amalia Georgii Landgravii Haſſiæ lineæ Darmſtadenſis Filia, omnibus Virtutibus ſexu ſuo digniſſimis maximè conſpicua. Hanc multâ ac pulcrâ prole felicem Sereniſſimo conjugi ſuo, cum omnigena felicitate diu ſuperſtitem eſſe velit
Deus omnium bonorum Author
& Conſervator!

APPENDIX

QUO HÆC CONTINENTUR.

HUB. THOMÆ LEODII, quondam Friderico II. Palatino Electori à Conſiliis & Secretis, de Palatinorum origine, & Heidelbergæ antiquitatibus, Commentatio antè L. plus minus annos elucubrata: ex ejus integrâ hiſtoriâ, de vitâ ejusdem Friderici, deſumta; & nunc demum ad autographum per Cl. V. Janum Julium Thomam Leodium, auctoris filium adhuc ſuperſtitem, recenſita & emendata: nonnullis ad marginem additis, & paſſim reſtitutis per M. F.

Monumenta litterarum antiqua, quibus Leodius adjutus fuerat; De Cancore Comite pagi Rhenenſis, Ansfrido Palatino; item de monte Abrinsberg, & ſylva Otenwalt, è veteribus membranis ſumma curâ & fide exſcripta, & toti operi illuſtrando edita per M. F.

De Heidelberga, & Manheimio, & vicino agro, Obſervatio Joh. Baſilii Heroldi, è Libro *De ſtationib. legion. in veteri Germania, cap.* XII:

(o)

MDCXIII.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
DOMINI JOHANNI,
COMITI PALATINO RHENI, BOJARIÆ DUCI, COMITI VELDENTIÆ ET SPANHEMII &c.

Domino ſuo clementiſſimo.

EXornandi res gentis veſtræ primos conatus, & ab ejus primordiis deductos, ſub Sereniſſimi Principis noſtro Septemviri auſpiciis edere parans; graviter mihi peccare viſus ſum, Princeps illuſtriſſime, ſi non te ſimul in aliquam ejus patrocinii partem vocarem. Quem cùm omni liberalis doctrinæ genere, in tam negocioſo principatus munere, animum paſcere vulgus ſuſpicit, docti gaudent, Principes principem hoc nomine locum cedunt: tum præſertim totam inclyti generis Palatini Hiſtoriam, a multis jam annis tanto ſtudio atque adeò ſucceſſu indagaſſe accepimus, ut ſi quo humana ſagacitas pervenire poteſt, tua penetraverit; nec quidquam in ampliſſimo illo campo tam ſit abſtruſum, reconditum, inexplicabile, quod non dudum repertum & evolutum animo complectaris, non digitis tuis cognitius promtiusque habeas. Macte hoc animo! quem generoſiſſimo cuique (Alexandrum enim & Iulium quid replicem?) natura inſevit, quem, ſi cum ſapientibus verè rem æſtimemus, majoris faciamus ipsa Fortuna, cujus tu beneficio tanti - - generis ramum milleſime ducis. *Hæc verò (noſtra fere dixiſſem, quæ nos quidem ſepulta eruimus, inviſa in lucem protulimus, acceſſione nonnulla auximus) ut æqui bonique conſas, Princeps clariſſime, ſi pluribus rogem; non illud tantum, quod prædicabam, tuum ſtudium, cui hæc viſa prius necne, grata utique fore, & forte uſui etiam alicui perſuademur; ſed illam ſimul profecto humanitatem vel exteris notam ignorare, aut mihi antehac coram compertæ oblitus videri poſſim. Cujus laudis tuæ præconem, meæque obſervantiæ teſtem ſaltem eſſe, ſi hoc quidquid eſt libelli benigne patieris; animum addes, ut alia hujus generis tanto plura, partim noſtra, partim noſtra manu expolita & locupletata, illuſtriſſimæ domui veſtræ, & per hanc Reipublicæ, tantoque ocyus conferamus. Vale Illuſtriſſime Princeps, & fave. Heidelbergæ, Kal. Septemb. anno Gratiæ* MDXCVIII.

CELEST. T.

deditiſſimus

MARQUARDUS FREHERUS.

DE
PALATINORUM ORIGINE
Huberti Thomæ Leodii
Commentatio.

PALATINORUM COMITUM nomen ab iis ſumpſiſſe initium, qui ex præclara aliqua familia orti, Palatiumque Principis Romani, id eſt, ejus regiam, & (ut nunc vocant) Aulam comitati ſunt, originemque habere, nemo qui paulo vetuſtiores libros perlegerit, dubitare debet: vehementerque eos errare puto, qui ab uno Palatio vel Treverenſi, vel illo quod eſt in medio Rheni apud Cubas, aut alio quopiam, nomenclaturam hanc Comites Palatinos adſecutos, perſuadere conantur. Verùm Principes Romani quum animadverterent Imperii inclinationem; & veteres illuſtrium virorum in provinciis familiæ, vel paupertate preſſæ, vel quod conſpicerent honores & virtutis præmia ad ſe raro, ſed ad ſolos Romanos deferri, domi ſe continerent, neque Principem ſequi, niſi coacti & inviti vellent: quapropter & Palatium deſolabatur hominum frequentia, & periculum erat, ne ſpreti & derelicti domi præclarorum virorum filii in nomen Romanum aliquando conſpirarent: quod ſæpe factum facile doceri exemplis poſſemus. Hinc ergò prudentes Imperatores, ut huic malo mederentur, credibile eſt excogitaſſe & aperuiſſe provincialibus Die Pfalß.

 hanc

hanc viam, qua ſibi iter ad honores, ad præmia & provincias regendas pateret, ſi ſe palatiumque comitarentur. Quod qui paullo diutius feciſſet, Principique in expeditionibus comes

Comes Palatii.

fuiſſet, merebatur *Comes Palatii* appellari, hocque nomine honorari: cui & Princeps negotia ſui Palatii, hoc eſt, (ut nunc ajunt) aulæ, & quæcunque per negotia non poterat ipſe, expedienda & tractanda committebat: quibus ſi ſtrenuè præfuiſſet, etiam provinciæ regendæ adſignabatur, ut in multis Codicis Juſtiniani conſtitutionibus patet, veluti *De Palat. ſacr. largit. L. priſco nunc ordine. lib. 12. C.*

Palatium.

Unde autem dicatur *Palatium*, etſi non magnopere deſudandum exiſtimo, quia tamen de Friderico Principe Comite Palatino & ejus origine ſcribere mens eſt, apud veteres celebratam Palatii etymologiam non gravabor adſcribere. Varro, *Quartæ* inquit *regionis Palatium, quod Pallantes, qui cum Euandro venere, qui etiam Palatini & Aborigines, ex agro Rheatino qui appellatur Palatium, ibi conſederunt.* Aliqui verò à Pallante proavo Euandri Palatio nomen manſiſſe referunt ſecundum quos Virgilius ait:

Arcades has oras, genus à Palante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Palantæum.

Unde & tum temporis procul dubio *Comites Palatini* cœpti appellari, ut ex Virgilio audis. Livius montem hunc à Palanteo urbe Arcadiæ *Palantium*, deinde *Palantium* appellatum tradit. Alii à Palatia Latini uxore. Alii quod Palante Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum ſuſcepit, hunc incoluerit. Alii à Palantia Euandri filia, ab Hercule viciata, & ibi ſepulta. Alii à Palante, qui & ipſe inibi ſepultus. Eundem hunc locum à pecore multi dictum putant, quod paſcens ibi balare conſueverit. Tibullus:

Sed tunc paſcebant herboſa Palatia vaccæ,
Et ſtabant humiles in Jovis arce caſæ.

Pro-

Propertius:

Amphytrioniades qua tempeſtate juvencos
Abſtulit à ſtabulis ô Erythrea tuis,
Venit ad invictæ pecoroſa Palatia Romæ,
Et poſuit feſſos feſſus & ipſe boves.

Unde Nævius *Balantium* nominavit, vel quod palare, id eſt errare ſolerent armenta. Cephalon autem Gergitius memoriæ prodidit, hominem quendam comitem Æneæ, occupato monte qui nunc *Palatinus* dicitur urbem condidiſſe, Romamque denominaſſe. Tremelius vero Palatinum Romuleum montem vocat, cum inquit: *Fuit ejus ſtatua in pede montis Romulei ante ſacram viam inter templum Fauſtinæ ad arcum Fabianum.* Is mons hodie *Palatium majus* vocatur. In Palatini montis vertice (ut ſcribit Dionyſ.) Arcades qui cum Euandro venerant, Victoriæ templum erexerunt. Magna mater Idea ex Peſſinunte oppido Phrygiæ advecta, in Palatio tamdiu collocata fuit, donec ædes columnis pretioſis cum pavimentis diverſorum colorum illi conſtrueretur. Fuit & in Palatio fanum Febris. Æneas cum Aſcanio templum Fidei, in Palatio à Græcis conſtituiſſe dicuntur. Quinetiam templum Jovis Victoris in Palatino monte fuiſſe volunt. Antoninus Heliogabalus Deum ſuum Heliogabalum in Palatino monte conſecravit. Templum Apollinis in Palatino monte Auguſtus excitavit, in quo jam ſenior ſæpe ſenatum habuit, & decurias judicum recognovit. Et in eo poetæ ſua ſcripta reponebant. Unde Horatius:

Scripta Palatinus quæcunque reponit Apollo.

Livia quoque divo Auguſto templum in Palatio erexit. Ciceronis domus in celeberrima parte Palatini montis propeque Palatium ſita erat. Præterea ædes Deorum penatium, Romuli & Remi caſa ex lignis & arundinibus ſtructa, Catilinæ domus, item Marci Scauri, Marci Flacci, Viturbii & multorum aliorum in Palatino monte fuerunt. Qualis autem & quanta fuerit Palatii moles & pulchritudo, indicant ſtatuæ

præclariſſimæ, pretioſiſſimæque columnæ in eo repertæ. Hodie autem tam præclarus mons ſeu collis, præter unam atque alteram domunculam, & ædem S. Andreæ, nullum habet ædificium, totus enim vinetis plenus, aut paſcuus ager, non ovibus magis, quàm capellis & capris eſt relictus, ut verè *Balantium* nunc poſſit nominari, ut ſcribit Bartolomæus Marlianus in antiquæ Romæ topographia.

Quæ quidem libenter recenſuimus, non ut ex Romano Palatio noſtrorum Palatinorum nomen eruere conaremur, quemadmodum non incelebris vir quidam * Auſtriacorum Principum ex Arca Noë & monte Aventino: ſed tantum ut oſtenderemus, unde Principum magnorum ædes *Palatii* nomen conſecutæ ſint, & Palatini noſtri non ab aliquo particulari Palatio, (ut ſupra dixi) ſed à Principis Romani Palatio quocunque locorum foret, verè appellari. Unde Imperator Conſtantinus lib. XI. C. tit. de Palatiis & domibus domin. ita ſcribit: *Conſecratas nobis ædes, id eſt, inclyta Palatia, ab omni privatorum uſu & communi habitatione excipimus.* Eſt & lex Imperatorum Honorii & Arcadii *de Comitibus & archiatris ſacri Palatii*, C. lib. XII. Item Zenonis, *de Com. qui provinc. reg.* eod. lib. appellantur *Comites prioris ordinis & vicarii.* Item de his intelligitur Titulus, *de officio comitis rerum privatar. ſacri palatii.* ubi dicitur, *ad Palatinos curam omnium rerum Principis pertinere.* Magnam autem fuiſſe Palatinorum auctoritatem, dignitatem, & privilegia, ex legibus aliis colligitur, quas tulit Conſtantinus Imp. & Gratianus, & Valentinianus & Theodoſius, Tit. *de privilegiis eorum qui in ſacro palatio militant.* Et, *de Caſtrenſi omnium Palatinorum peculio*, lib. XII. C. Et (ut hoc quidem addam) pro certo habent hiſtoriographi, Palatinum montem multis annis ante urbem conditam ædificiis conveſtitum, ab Roma Itali filia Valentia; ab Euandro deinde arce conſtituta, urbeque orta Reges & Imperatores inibi ſedem habuiſſe.

Hieronym. Gebvvyler. in geneal. Auſtr.

Longa deinde ſerie translato in perſonam Caroli Magni Imperio, Comitum Palatinorum dignitas & auctoritas non ſolum

lum remanſit, ſed etiam aucta eſt. Unde apud Blaviam in Xantonibus ſuper Rolandi ſepulchrum ſcriptum eſt, *illum fuiſſe primum Comitem Palatinum*, quod forſitan plures eſſent in aula Imperatoris. Fuit autem is Rolandus Caroli Magni ex ſorore nepos. Dux quidem magnanimus, qui cum ſocio Oliverio aliiſque quam plurimis egregiis viris contra Hiſpanos, tum infideles, fortiter pugnando in jugis montis Pyrenæi, qua parte Roncivallis appellatur, ſiti & vulneribus confectus occubuit: ubi etiamnum hodie cornu illius eburneum & enſis oſtenditur. Quia verò noſtri Comites Palatini, verâ lineâ Carolum Magnum, & hunc Rolandum attingere putantur, haud tædioſum erit paucula de hoc adſcribere. Fabulantur Francorum annales eundem Carolum, ejusque duodecim proceres, quos *Franciæ Pares* appellant, inaudita corporis magnitudine fuiſſe. Quod reſcire cupiens antiquitatis amantiſſimus Franciſcus Rex Francorum, ex Hiſpanica captivitate in ſuum regnum rediens, poſtquam Blaviam pervenit, in ſubterraneum illud ſpecus deſcendit, ubi dictus Rolandus & Oliverus, & medius Divus Romanus in marmoreis ſepulchris non admodum magnis tumulati ſunt. Juſſit autem de Rolandi tumulo fruſtum marmoris abrumpi, & illico poſtquam inſpexiſſet, calce ſeu cæmento reliniri, de communi fama nihil detrahens, ne videretur fruſtra (ut credo) id tentaſſe. Poſt paucos verò dies ſalutato de itinere Rege in oppido Cognaco, Fridericus Palatinus qui tum Imperatorem Carolum in Hiſpaniam adibat, Blaviam etiam divertit, & eadem monumenta videre voluit. Aderamus ego, & Doctor Johannes Langius, Principis inſignis medicus, qui de ſingulis diligentius ſcire volentes perſcrutati ſumus à Monacho, qui Principi omnia indicabat, de oſſibus Rolandi, an adhuc integra, & ea qua fama diceret, longitudine in marmore concluderentur. Reſpondit ille, *Famam nihil eſſe mentitam, neque nos movere debere marmoris brevitatem. Fuiſſe enim poſt multos annos a ſtrage ex Roncivalle tranſlata, putrefactis jam juncturis non cohærentia, ſed ſimul veluti in faſcem colligata ibi eſſe repoſita,*

Rolandus Palatinus.

Pairs de France.

& marmor pro longitudine tibiarum, quæ adhuc integræ forent, excavatum fuiſſe. Admirati ſumus vehementer, ſi Monachus verum diceret, Rolandi magnitudinem, cujus pro marmoris dimenſione tibia tres pedes ad minus longitudinis habuiſſet. Dum hæc nobiſcum ratiocinaremur, abiit Princeps cum Monacho, nos duo remanſimus ſoli inter nos dicentes: *Quid ſi fragmentum marmoris revelleremus, quum nondum cæmentum coaluiſſe videamus?* Placuit conſilium, & admovemus manus, quibus libenter ceſſit lapis, totumque ſepulchrum intus inſpeximus. Ubi prorſus nihil erat, niſi oſſiculorum cumulus, vix duorum pugnorum craſſitudine: quo diſperſo, os vix ullum digiti longitudine invenimus. Quare repoſito, ut antea fuerat, fragmento, riſimus inter nos Monachi vel inſcitiam vel impudentem mentiendi audaciam.

Fuerunt autem & ante Rolandum multi Comites Palatii apud Franciæ Reges, quos ſua lingua *Magiſtros Curiæ* & *Præfectos Palatii* vocabant; veluti Pipinus major, pater Caroli Martelli, qui genuit Pipinum, ex quo genitus eſt Carolus Magnus Imperator, à quo deſcenderunt Comites Palatini ad Rhenum. Quod ut liquidò appareat, neceſſarium eſt ſcire, Pipinos & omnes Caroli Magni majores ex Francis Germanis ortos, & ad Rhenum ac Moſam tum ſedes poſuiſſe, quum primum Franci in Galliam transmiſſo Rheno venerunt. Ex primoribus illorum autem fuiſſe certum eſt indicium, quod apud Reges Francorum ſupremas ſemper dignitates adepti ſunt, atque curiæ præfecti, primarii gubernatores, vicarii, majoreſque domus, hoc eſt Palatii Comites fuerunt, ad regaleque poſtmodum faſtigium pervenere. Sedes autem (ut dixi) ad Moſam habuiſſe teſtis eſt Pipinorum regia Jopilla, è regione Heriſtalli, dimidio milliari ab urbe Leodio: ubi toties nunc Paſcha, nunc Natalem Domini celebraſſe perhibentur. Accepit ex Antio pago vicino Leodio concubinam Alpaidem, ex qua Carolus Martellus avus Caroli Magni ortus, & cujus cauſa divus Lampertus occiſus eſt. Poſtmodum vero Carolus Magnus Aquisgranum,

Vide eund. Hubertum in Eburonib. pag. 123.

granum, Duriam, Tulbiacum, aliaque vicina loca, utpote patrimonialia, libenter incoluit. Sed non ſolum eum tractum totum ad Moſam & circa Leodium Pipini Comites Palatini poſſederunt; verum & totum Juliacenſem, Clivenſem, & Bergenſem; totamque inſuper Brabantiam, Marchionatum Antverpienſem, & deinde ripam utramque Rheni ab exitu illius in Oceanum, uſque ad Argentoratum fermè tenuerunt. Quod ita evidenter me probaturum ſpero, ut non habeat in poſterum de quo dubitet probus lector.

Et quidem à Cancore illuſtri Rhenenſis pagi Comite ſumam initium, qui ſub Pipino primo circa Wormatiam & Heidelbergam longe lateque regnaſſe legitur. Cujus mater Willisvvinda, vidua Roberti Comitis, filia Adelhelmi Comitis, uxor vero Angila nominabatur. Fundavit autem hic anno Domini DCCLXIV. regni Pipini anno XII. Monaſterium Laureshamenſe, quatuor ab Heidelberga diſtans miliaribus, ſuper fluvium tunc temporis *Wisgoz*, nunc verò *Weſchniz* nuncupatum: qui ortus in Ottonica ſilva, juxta oppidum *Weinheim* è montibus erumpit, & apud Stenum infra Wormatiam Rheno miſcetur. Habuit verò Cancor filium Heimericum, & fratrem nomine Turincbertum. Turincbertus verò filium Rutbertum, qui omnes dictum monaſterium vehementer locupletarunt. Donaverunt enim Cancor & Angila monaſterio Eccleſiam in Scarra cum ſuis appenditiis: item prædium admodum dives circa Moguntiam, & villam *Hagenheim* cum omni integritate in pago Wormatienſi ſuper fluvium Saluſiam: item *Birſtat* pagum è regione Wormatiæ, ne quis putet eos non fuiſſe potentes & divites. Habuit etiam Cancor conſanguineum Rutgangum Metenſis eccleſiæ archiepiſcopum, cui monaſterium inſtituendum commendarunt, nullius Epiſcopii vel Eccleſiæ juri aut dominio ſubjicientes: qui quidem eccleſiaſticis & regalibus occupatus negotiis, fratri ſuo Gundelando *Laureshamm* committit, & ita ſecundus Abbas factus eſt. Et (ut hoc quoque addam) idem Rutgangus Gorzienſe Mona-

Cancor.

hod. Lorſch

Scharr.

ſterium tribus à Metenſi urbe miliaribus fundaſſe, & corpus beati Gorgonii ibidem recondiſſe dicitur, & in Eccleſia Hylariacenſi ſanctum Naborem, * in Laureshaimenſi vero divum Nazarium. Quæ tria Monaſteria Pipinus poſtmodum ſumtuoſis auxit ædificiis. Quapropter & *Fundator* aliquando nuncupatur. Hæc ex antiquiſſimo libro ante ſexcentos (ut putatur) annos ſcribi cœpto erui, in quo & literæ Caroli Magni continentur memorantes *Heppenheim oppidulum eſſe ſitum in pago & Comitatu Rhenenſi.* Et hinc facilis conjectura, Comites Palatinos *ad Rhenum* eo tempore nuncupatos, & ex Pipinorum proſapia ortos eſſe. Quandoquidem Cancori ſucceſſiſſe poſtmodum Carolum Magnum facile colligitur, ut qui filiam ſuam Immam de bonis in eodem pago Rhenenſi jacentibus, poſtquam ſecretario ſuo Eginhardo nupſit, dotavit. Quod ne quis miretur, aut exiſtimet me fabulam recenſere, adponam eam * ad verbum ex eo quem ſupra dixi veteri libro, ut etiam ſit lectori tædii levamen, ſi quod ex his concepiſſet: *Qualiter verò Cella Michelenſtat ſub hoc piiſſimo Principe Carolo Magno, per venerabilem Einhardum Laureshaimenſi monaſterio acceſſerit, prout à majoribus noſtris memoriæ traditum eſt, perſtringamus. Eſt enim res tum cognitu & admiratione digna, tum quanta vel qualis olim Imperialis excellentiæ & erga ſubditos pietas, & erga devotos liberalitas, & erga ſuorum exceſſus clementia fuerit, evidens exemplum. Hic igitur Einhardus Archicapellanus notariusque Imperatoris Caroli, cùm in aula regia laudabiliter ſerviens, diligeretur ab omnibus, à filia quoque ipſius Imperatoris Imma nomine, Regi Græcorum deſponſata, amabatur ardentius. Aliquantum temporis fluxerat, & amor alternus cotidie inter ambos per augmenta creſcebat. Utroſque enim timor retardavit & offenſio Regia, ne tam gravia conveniendi inirent conamina. Sed amor improbus omnia vincit. Denique cum idem vir egregius inremediabiliter amando æſtuaret, aureſque virginis per internuncium appellare non præſumeret, noviſſimè ſumpta de ſemetipſo fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidemque pulſans clanculum*

[Margin notes:]
* *Hod.* Xanterſor.
Chronicon Laurishamenſe, à nobis editũ Tomo 1. German.
Einhardus.
* *Videſis eandem ſtylo Lipſii deſcriptã, in Monit. Polit. lib. 1. cap. 12.*
Imma Caroli M. F.

culum & intrare permiſſus, tanquam allocuturus juvenculam de Regali mandato, ſtatim verſa vice ſolus cum ſola, ſecretis uſus alloquiis & datis amplexibus, cupito ſatisfecit amori. Interea cum jam appropinquante luce diei, per ſilentia noctis unde venerat regredi vellet, de improviſo nivem haud modicam decidiſſe cognovit; & ne per veſtigia pedum virilium agnitus proderetur, foras exire timuit: amboſque pro conſcientia facti, anxietas ſimul & formido intus remanere compulit. Cumque nimia ſollicitudine fluctuantes, quid facto opus eſſet deliberarent; tandem elegantiſſima juvencula, quam audacem faciebat amor, conſilium dedit, ut ipſa quidem ſuper ſe inſidentem inclinata exciperet, eumque usque ad locum illius hoſpitio contiguum ante lucanum deportaret, ibique eo depoſito rurſum per eadem veſtigia cautius obſervata rediret. Eam noctem Imperator divino (ut creditur) nutu inſomnem duxit, diluculoque conſurgens, eminusque de aula proſpiciens, intuitus eſt filiam ſuam ſub præfato onere nutanti greſſu vix incedere, & ad condictum locum depoſita, quam geſtabat ſarcina, celeri repedare recurſu. Quibus multo intuitu perſpectis, Imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen abſque divina diſpoſitione id fieri reputans, ſeſe continuit, & viſa interim ſilentio ſuppreſſit. Interea Einhardus ſibi conſcius, certuſque rem nullo modo Dominum ſuum Regem diu latere poſſe, tandem inter anguſtias reperto conſilio Imperatorem aggreditur, flexis genibus miſſionem poſtulans, aſſerens tot & tantis ſervitiis ſuis condigna non rependi præmia. His auditis Rex diſſimulato rei & eventu & exitu diu conticuit: dehinc eum certificans ſe poſtulationi ejus quantocius reſponſurum, diem conſtituit; ſtatimque Conſiliarios primoſque ſui regni & cæteros quoſque ſibi familiares paſſim evocatos convenire juſſit. Congregata itaque magnifica diverſarum dignitatum frequentia, ita exorſus eſt: Imperatoriam, inquiens, majeſtatem nimis injuriatam eſſe & deſpectatam, in indigna filiæ ſuæ Notariique ſui copulatione, & exinde non mediocri ſeſe agitari perturbatione. Quibus nimio ſtupore perculſis, & de rei novitate & magnitudine quibuſdam adhuc ambigentibus, Rex innotuit eis evidentius, referens eis à primordio

Simile exemplum Henrici III Imp. apud Vinc. Beluacens. in Spec. Hiſt. lib. XXV. cap. 10.

 quid

quid per ſemetipſum oculata fide cognoverit, conſiliumque eorum atque ſententiam expoſtulans ſuper hoc. At illi inter ſe diverſi diverſa ſentientes, in præſumptorem hujus rei duras & varias dedere ſententias; aliis ſine exemplo puniendum, aliis exilio damnandum, aliis alio modo diſperdendum, ut cuique impetus erat, adjudicantibus. Porrò quidam ex eis tanto mitiores, quanto ſapientiores, habita ſecum deliberatione quàm intimè Regem exoravère, quatenus ipſe rem per ſemetipſum examinare, & ſecundum divinitus ei collatam ſapientiam diffinire dignaretur. Verum ubi Rex ſingulorum circa ſe affectum ponderavit, & inter diverſorum ſententias, quid potiſſimmum conſilii ſequeretur expendit, ſic eos alloquutus eſt: Non ignoratis, inquit, humanum genus variis ſubjectum eſſe caſibus, & frequenter evenire, ut res nonnullæ quæ contrariis initiis inchoantur, meliorem aliquando ſortiantur exitum. Proinde non eſt deſperandum, ſed potius ſuper hac re, quæ & gravitate & novitate ſui noſtrum exuperat ingenium, divinæ providentiæ quæ nunquam in ſui diſpoſitione fallitur, quæque etiam malis bene uti novit, pietas eſt exſpectanda & expetenda. Quapropter tam triſtis facti à Notario meo non exigam pœnas, per quas infamia filiæ meæ magis videbitur augeri quàm minui. Unde dignius & laudabilius imperii noſtri gloriæ arbitramur congruere, ut data adoleſcentiæ venia, legitimo eos matrimonio conjungam, & rei probroſa honeſtatis colorem ſuperinducam. Regis igitur audita ſententia, fit incomparalile gaudium, magnitudoque animi ejus ac manſuetudo ſummis effertur laudibus. Interim Einhardus juſſus adeſſe, ingreditur: quem Rex exopinato ſalutans, ita eum placido vultu alloquitur: Jam dudum auribus noſtris à vobis delata eſt querimonia, quod ſervitiis veſtris regali munificentia hactenus dignè non reſponderimus. Sed (ut verum fatear) maxime ſuper hoc culpanda eſt veſtra negligentia: quandoquidem licet ſuſtineam tot & tanta negotia ſolus, tamen ſi quid voluntatis veſtræ conceptum haberem, ſervitia veſtra digno fuiſſem proſecutus honore. Verum ne vos diuturno ſermone protraham, querimoniis veſtris ampliſſima donatione ſatisfaciam: & ut vos etiam fidelem

mihi

mihi ut prius & benevolum poſthac ſentiam, juri veſtro nuptui tradam meam filiam, veſtram ſcilicet portatricem, quæ quandoque altè ſuccincta veſtræ ſubvectioni ſatis ſe morigeram exhibuit. Protinus ad Regis edictum cum multo comitatu adducta eſt ejus filia, quæ roſeo vultu perfuſa rubore, tradita eſt per manus patris in manus prædicti Einhardi, cum dote plurima, prædiorum quoque nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisque donariis, aliiſque pretioſis ſuppellectilibus. Quibus etiam piiſſimus Imperator Ludovicus poſt obitum patris, prædia ſua videlicet Michelenſtat & Mulenheim, quæ nunc appellatur Seligenſtat tradidit. Ubi monaſterium poſtea Einhardus conſtruxit, Mulnheimque donavit: Monaſterio autem Lauresheimenſi Michlenſtat teſtamento reliquit, reſervata tamen ſibi donec viveret & ſuis hæredibus poſſeſſione, qua adhuc fruuntur Comites de Erpach: qui ſe ab illo originem ducere arbitrantur, & ſepulchrum illius nuper aperiri in Selingenſtat fecerunt, veramque hanc hiſtoriam tabella plumbea teſtante paucis voculis deprehenderunt. In literis autem hujusmodi donationis Ludovici Pii *Michelnſtat* dicitur ſita *in Odonevvalt in Pago Plumgovve, ſuper fluvium Mimigun:* Mulenheim autem ad Mœnum fluvium. *Erpach.*

In quibusdam literis Lotharius primus filius Ludovici Pii *Anſfridum fidelem ſui Palatii Comitem* appellat, & ob egregia in ſe merita prædium in *Geizefurt* in pago Hattuarenſi, ſuper fluvium Nerſe, in Odenheimer marca donavit. In literis verò Ludovici Pii *Mulnheim* fuiſſe poſſeſſionem Drogonis Comitis, nempe Palatini, memoratur: & *Wiſſenloeh* in Comitatu Conradi Comitis. Fuit autem Drogo ex Pipinorum majoribus. Hæc ego ſcribo, ut ſciatur Comites Palatinos multa ad Rhenum & ad Mœnum juxta Wormatiam circa ejusdem Caroli Magni tempora poſſediſſe. Item *Briſach* legitur ad eos pertinuiſſe. Supradictus Anſfridus Comes Palatinus multa poſſedit in pago Taxandria, nempe villam *Empele*, quam donavit eidem monaſterio, *Hunſeto, Hatalle, Orcinon,*

Anſfridus Com. Pal.

Drogo.

Vide Chron Laurisham fol. 73.

Orcinon, *Roſmala*, *Herpina*, *Angriſa*, *Oſterol*, *Maruilde*, *Palete*, *Hamaritta*, *Driella*, qui ſunt adhuc vici non procul à confluente Rheni & Moſæ, juxta oppidum *Graben*, *Meghen*, & *Ravenſtein*. Hîc neſcio an debeam confiteri errorem, qui ſecutus Leodiorum annales Viſetum oppidum inter Leodium & Maſtricum Taxandriam eſſe volui, in Eburonibus meis, * quum ſit Taxandria pagus circa Buſcum ducis, & opinor oppidum ipſum, quod eſt antiquiſſimum (ut veteres muri indicant) eſſe Taxandriam, eo quod anno DCCCLXIX. triceſimo quarto Ottonis primi, quum requireret Abbas Laureshеimenſis ab Epiſcopo Leodienſi Erkaro ſive Eberhardo, ubinam *Taxandria* & vicus *Empele* foret, cujus Eccleſia ad ſe pertineret, nec haberet Epiſcopus certi quicquam quod reſponderet, congregari fecit totius ſuæ diœceſis ſynodum, in quo ſeptem viri Illuſtres juramento atteſtati ſunt, Taxandriam pagum eſſe circa Buſcum ducis, & vicum Empele in illo, in ripa fluvii Moſæ, cujus alluvio Eccleſiam totam pene avulſiſſet: quam ita inventam ipſe Epiſcopus & Abbas reædificarunt, & in honorem ſanctorum Lamberti & Nazarii dedicarunt. Non tamen ignoro, pagum fuiſſe ampliſſimum Taxandriam, & forſan extenſum Viſetum usque. Donavit etiam Ansfridus monaſterio, quicquid habebat proprietatis in pago *Durnau* in villa *Sodoia*, ſuper fluvium *Geldiun*, in Comitatu Geiſelberti (qui etiam ex majoribus Caroli Magni fuit.) ad Auſtrum fluit *Sambra*, ad Occidentem res ſancti Lamperti, ubi villa Baldanis. Annales autem Antuerpienſium, ſeptem nominant ante Carolum Magnum ex Pipinorum familia Marchiones.

Taxandria *pag. 120. Bois le Duc.

Vide d. Chron. fol. 20.

Præterea certum eſt Pipinos totam Brabantiam (ut nunc dicimus) poſſediſſe, atque ipſam Arduennam ſilvam, præſertim ubi Rhenum attingit, & *vetus Palatinatus* etiamnum hodie appellatur. Qui fuit ampliſſimus, etiam ſi ea quæ ſunt adhuc juris Palatini duntaxat adnumerentur, hoc eſt quæ in feudum à Palatinis hodie accipiuntur: videlicet quidquid ferè eſt inter Confluentes & Andernacum, totus Comitatus *de Virnenberg*, *de Nue-*

Alte Pfaltz Wallentz.

de Nuenar, *de Wida*, *de Seinis* *de Manderſchld*, potiſſima fere pars Ducatus Iuliacenſis: in quo Palatinatus (cuius nomen non occurrit) Monaſterium poſtmodum ædificavit, cui nomen *Bruvveiler*, uno à Colonia Agrippina diſtans miliari. Et Ezelinus Comes Palatinus Rheni, frater ſanctæ Kunigundis, Eccleſiam *in Keyſersvverd* intra eandem Coloniam conſtruxit: quæ omnia cum tota Lotharingia Eberhardus & Geiſelbertus, qui ex poſteritate Caroli Magni & Comites Palatini fuerunt, ſub Ottone primo poſſidebant, ſub quibus Leodium, Caprimons, Trajectum, Iupilla, Harſtallum, Marſna, Litta, pleraque alia continebantur. Godefridus Comes Palatinus Rheni ſeptem principalia beneficia, quæ vulgo appellantur *Vahnleben*, morte ſeptem nobiliſſimorum Eccleſiæ Laureshamenſis fidelium obtinuit à Bennone Abbate: & ad generum illius Welephonem pervenerunt ſub Henrico quarto. Fuerunt Fredericus & Sigefridus Comites Palatini ad Rhenum, ſub Henrico tertio Imperatore. Et ut clariora hæc omnia fiant, adponam quæ antiquitati faventiſſimus Princeps, Iohannes Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ & Comes in Spanheim, ſua diligentia, in veteri Palatinatu requiſita mihi tradidit: *Henricus*, inquit, *Comes Palatinatus Rheni, & dominus de Lacu, quod ſine liberis eſſet annuente uxore ſua Adelheida, ædificavit Monaſterium ad Lacum patrimonium ſuum, Anno ſalutis* MXCIII. *regnante Imperatore Henrico tertio: deditque eidem Rhenla, Bella, Bedendorf, Kruſt, Alke, & Lacum* Et in literis fundationis ad finē habetur: *Adſuerunt Sifridus privignus meus, Henricus, Dux de Limpurg & [illegible] Comes de Lutzelb. cognati mei* &c In literis vero privilegii Henrici IIII. Romanorum Imperatoris hæc verba continentur: *Poſt mortem vero predicti Palatini Comitis Henrici, Sigefridus qui ei in comitatu Palatii ſucceſſit de patrimonio ſuo Mylen in Brabantia, Onerhouen & Geneheiden Monaſterio ad Lacum dedit.* Neque propterea (quod aliqui hic facere nituntur) quisquam putet, extra lineam Palatinorum Comitatum deveniſſe: ſed potius credendum, ipſam Adelheidam, & priorem eius maritum patrem Sigefridi, Palatinos quoque fuiſſe; qui multi tum ſupererant, exulantes hinc & inde propter noviſſimum bellum per Eberhardum & Geiſelbertum Palatinos cum Ottone primo geſtum. Sigiberti autem coniunx Gertrudis vocabatur, & eſt in monaſterio Lacenſi depicta, geſtans in capite coronam. In veteri quoque Palatinatu, in quodam ſacello divæ Virgini dedicato ſcriptum invenitur: Sigefridum Comitem Palatinum arcem nunc dirutam, non procul ab oppido Meyen & monaſterio Lacenſi, quam *Hohenſimereg* appellant, inhabitaſſe, habuiſſeque in uxorem Duciſſam Brabantiæ Genovefam,

Margin notes: *Ecelinus.* — *Godfriaus.* — *Henricus.* — Zum Loich. — Frawen kirchen.

X quam

Extat hiſtoriola M.S. quam conſilio & ſuaſu cuiusdam equitis, cui nomen erat Golo, voluit igni tradere. Cauſæ non referuntur, ſed ſunt qui adſerant, cum puerulo in ingentem ſilvam expoſitam, & poſt aliquot menſes ſine omni humana ope, ſanam & incolumem repertam, & à Deo in ſignum innocentiæ conſervatam. Idem Sigefridus monaſterium in Brabantia fundavit nomine *Haffligenium*, de quo quidam Cardinalis ſingulis annis novendecim millia florenorum accipit, & adhuc triginta monachi cotidie ibidem aluntur. Eſt autem non procul ab oppido Aloſto, Comitatus titulo nobili. Supradicta *Aliſt.* Adelheidis in eodem monaſterio coronata etiam juxta maritum ſuum cernitur depicta. Et eſt notatu dignum, quod licet prædictus Princeps Henricus ſe duntaxat *Comitem Palatinum & dominum ad Lacum* ſcribat; nihilominus tamen inſignia Bavariæ in dextro ſuæ chlamidis latere, & in ſiniſtro flavum leonem ſine corona in nigra planicie cum duplici cauda, depicta cernantur: ut credibile ſit, eum ex Bavarorum & Palatinorum progenie deſcendiſſe, ex ſtemmate Comitis Wernheri de Scheyren. Veteres enim ſua inſignia non curioſè, ut hodie, obſervabant. Siquidem Rupertus cognomento Senior, Comes Palatinus & Princeps Elector invenitur depictus equo inſidens, & inſignia Bavariæ pro ſcuto tenens, & ad equi antilenam leonem Palatinum ſine rubeo ſcuto, quod eſt inſigne Electoralis dignitatis. Scilicet *pictoribus atque poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas,* neque ab illis petendum judicium. Fuit *Guilhelmus Palatin.* & in hoc veteri Palatinatu Princeps Guilhelmns, Comes quoque Palatinus, qui ſepultus eſt in *Sprenckersbach*: quorum omnium epitaphia adſcripſiſſem, niſi reveritus eſſem illa non placitura palato noſtri temporis hominum, eo quod media ætate ſcripta illis dura, rancida, & ruſtica plane viderentur. Qui volet ea legere, poterit Lacenſe Monaſterium adire, quod ab Andernaco uno, à Confluente tribus diſtat milliaribus.

Etſi jam ſatis ſuperque probatum exiſtimem, Arduennam ſilvam ad Pipinos & per conſequens ad Præfectos Palatii ſeu Comites Palatinos pertinuiſſe, & veterem Palatinatum ad Rhenum partem Arduennæ eſſe: nihilominus tamen ut hæc liquidiora fiant, *Arduenna ſylva.* adponam quæ hac de re doctiſſimus & antiquitatis amantiſſimus, vetus congerro meus, Chryſantus Boyſs ad me ſcripſit. De Arduēna ſilva, inquit, hæc habeto. Et primo ex Caii Iulii Cæſ. deſcriptione, *Arduenna ſilva*, inquit, *quæ eſt totius Galliæ maxima, atque ab ripis Rheni Treverorum ad Nervios pertinet, amplius quingentis millibus paſſuum patet.* Regino monachus Prumienſis Anno DCCCLXXXVI. ſcribit,

Ludovicus

Ludovicum Regem tranſmiſſo inter Confluentes & Arduennam ſilvam Rheno, in pago Meginenſe (hoc eſt *Meyenſelt*) *non longe ab Andernaco caſtello*(id eſt in veteri Palatinatu) *cum Carolo fratre conflixiſſe & viciſſe, licet Carolus plus quam quinquaginta millia hominum in ſuo exercitu haberet.* Eodem auctore, regio quæ hodie *Eiflia* dicitur, caſtrum *Sleiden*, oppidum *Duren* in Arduenna eſt; imo totus Ducatus Lutzelburgenſis, Limpurgenſis, Iuliacenſis; item bona pars Archiepiſcopatuum Colonienſis & Treverenſis: in hac Pipinus Caroli Magni pater Monaſterium Prumiam conſtruxit. Et quia non dubitem quam plurimos fore, qui antiquitatibus Arduennæ & præſertim veteris Palatinatus, ubi *Eyflia* appellatur, oblectabuntur; libenter adponam quæ idem Chryſantus mihi dedit, & primum à ſe repertum lapidem candidum in vico *Ripstorſ*, & in ædibus ſuis adſervatum huiusmodi. Meyfeld. Eyfel. Prüm.

MARTI. ET. GENIO
TALLIATIVM
CLAVDIVS. VERINVS
AD. PERPETVAM. TVTELAM. ÆDIS
TALLIATIBVS. DEDIT. XCCL
QVAM. ÆDEM. L. MARCIVS
SIMILIS. DE. SVO. POSVIT.

Gruteri Inſcript. fol. I.V.8.9.

Item fragmentum hoc:

PRO.
IMP. DIVINÆ
ANCAM. MARTI
TALLIATIVM.

Porro hi lapides non longe inventi ſunt ab area *Dollendorff* Ibidem ſunt adhuc mirabiles ſubterraneæ teſtudines. Paulum ſupra Monaſterium Eyffliæ eſt hic lapis: Münſter-Eyfel

CORNICEN. AN. XXXVI
STIP. XVIII.
COLLEGÆ. HÆREDES
POSVERVNT.

Paulum infra oppidum *Idan* in vico *Iuerneshein* lapis fuit pulcherrimus literis Latinis inſculptus, ut ex fide dignis comperi, ſed hic mihi præreptus eſt. Non longe inde in vico *Antvveiler* inventus eſt lapis, in quo ſunt ſuprà tres virgines ſedentes cum ſpòrtulis, in quibus roſæ, ſub virginibus verba ſunt hæc:

MATRONIS. VACALLI
NE. HIS. TIB. CLAVDI
MATER. NVR. IMP. IPSA.

Poſt verba hæc, imo ſub ipſis, primum ſtat virgo longa veſte decenti, habens in manu (ut apparet) virgam florentem: ad cujus caput eſt adſcripta litera L. Livia ſcilicet, quæ fuit mater Tiberii, & nurus Imperatoris Iulii, utpote quæ filio illius adoptivo Auguſto nupſerat. Juxta Liviam ara ſtat, in qua ignis cum flammis; juxta aram ſtat juvenis habens acerram in manibus; poſt juvenem ſtat longior vir habens quippiam in manu, idque imponens in ignem ſuper aram. Ego crediderim eſſe ſacrificium Liviæ à matronis factum, idque ſecutus C. Tacitum, qui in initio primi ait, *Liviam non contentam honoribus humanis, ſe per ſacerdotes & flamines effigie deorum & numinum coli voluiſſe.* Eiusdem formæ lapis eſt & alius, habeoque ego in ædibus meis cum ſuperioribus. Hæc ille.

Non ſolum autem ſuprema Comitum Palatinorum dignitas apud Pipinos & Caroli Magni poſteritatem permanſit: verum etiam

Vicariatus. *Vicariatus* ſublimitas etiamnum hodie perdurat, quam pene eandem dixerim. Vt enim præſens Imperator Comiti Palatino negotia diſponenda permittebat, vicesque ſuas prorſum commendabat. Quapropter inde effectum eſt, ſi contingat Imperatorem trans Alpes aut Pyræneos montes commigrare, ut illico quicquid eſt rerum Imperalium citra montes ad Comitis Palatini curam pertineat, & Vicarius Imperii appelletur: mortuo verò Imperatore, & alio nondum electo aut ſuffecto, Comes Palatinus ad Rhenum, & ea quæ ſunt juris Suevici & Franconici, cauſa & ratione Palatinatus, ſingula quæque adminiſtrat & diſponit. Et quod magis eſt, & ſemper fuit Comitum Palatinorum excellentia, ut Imperialis Majeſtas ſi qua controverſia illi cum quopiam exiſtat, ſub Comite Palatino judicium ſubeat, ut aperte Bulla Aurea Caroli quarti Imperatoris declarat & continet. Et hinc factum nemo dubitet, quum de conſtituendis Principibus Electoribus ageretur, primas partes Comiti Palatino attributas, ut excellentiſſimo ex Caroli Magni progenie Principi: quas poſtmodum idem Carolus quartus Bohemiæ Regi adſcripſit, & aſſignavit volens conſulere poſteritati ſuæ. Tanta autem ſemper apud veteres Comitum Palatinorum ratio, honor & reverentia habita eſt, ut mortuo Henrico Comite Palatino Henrici Superbi filio, unica relicta filia, quam

Otto. Otto Dux Bavariæ & Comes à Scheyren in uxorem duxit, Comitis Palatini titulo is Elector habitus ſit, licet utrumque Principa-

Electoratus tum poſſideret. Cujus ex filio nepos Ludovicus quum duos haberet filios, Rudolphum & Ludovicum, huic Bavariam, illi verò Palatinatum cum Electoria dignitate & parte Ducatus Bavariæ

donare

donare voluit, hac adiecta conditione, *Viviciſſitudinario jure eandem Electoriam dignitatem poſſiderent.* quod obtinere non potuit. Neque enim Imperii Principes & ſubſequentes Imperatores ferre voluerunt, tantam auctoritatem & dignitatem, quæ ſolis Comitibus Palatinis debebatur, & ad eos pertinebat, à quopiam quàm qui Comes Palatinus Palatinatumque poſſideret, uſurpari aut vindicari. Quod ipſum Carolus quartus Imperator poſtmodum Nurimbergæ publico judicio, aſſidentibus omnibus Electoribus, declaravit, & edicto cavit; *Ne quis ad Electoriam & Archidapiferi dignitatem jus ſibi vindicare præſumeret, niſi qui prius Palatinatum ipſum jure obtinuiſſet.* Et hinc factum ut Comites Palatini continua ſerie novem Reges Romanorum ſive Imperatores, ſine Ducum Bavariæ aut quorumcunque aliorum contradictione, elegerint, & ſuis ſuffragiis ad Imperiale culmen promoverint. Licet enim ipſe Rudolphus per fratrem Ludovicum Imperatorem & Ducem Bavariæ: e Palatinatu pulſus, omnibuſque bonis & dignitate ſpoliatus fuerit, eo quod ei ſuffragium ſuum in electione denegaverit, & Friderico Auſtriaco dare maluerit, & in exilio in Anglia mortuus ſit; filii tamen ejus ſpoliati non remanſerunt, ſed in omne jus paternum & dignitatem ſucceſſerunt: videlicet Rudolphus, Adolphus & Rupertus. Hic Rudolphus in *Nova Civitate* Eccleſiam collegiatam conſtruere incepit, ſed morte præventus fratri Ruperto perficiendam, & Palatinatum Electoriamque dignitatem regendam reliquit. Adolphus enim ad ea non ſatis aptus judicatus eſt. Habuit autem Rupertus duas uxores, primam Eliſabetam Comitis Namurcenſis filiam, alteram Beatricem de Bergis. Et univerſale (ut vocant) Studium in oppido Heidelbergenſi inſtituit Anno MCCCXLVI. cui ſine herede mortuo Anno MCCCXC. & in Nova Civitate cum ſuis uxoribus ſepulto, filius Adolphi fratris Rupertus brandits ſucceſſit & Princeps Elector factus eſt. Qui ex Beatrice Siciliæ Regina genuit Rupertum Romanorum Regem, Eccleſiæ regalis S. Spiritus Heidelbergenſis fundatorem. Et ille ex filia Burgravii Nurenbergenſis plurimos filios, Ottonem, Fridericum, Rupertum, Ludovicum. Johannem, & Stephanum procreavit. Ludovicus factus eſt Elector, qui quoque tres filios reliquit, Ludovicum, Fridericum, & Rupertum. Ludovicus Elector moriebatur Wormatiæ Anno MCCCCXLIX. relinquens unicum filium Principem Electorem Philippum, qui multos reliquit liberos filios & filias: inter quos Ludovicus Elector, & Fridericus, cujus vitam & res geſtas ſcribere nunc aggredimur. Hoc ſaltem

Neuſtatt.

Academia Heidelberg

præfati, nobiliſſimam hanc familiam à Pipinorum & Caroli Magni temporibus ſemper floruiſſe, multa poſſediſſe, & nunquam defeciſſe. Quod male opinatus eſt MVNSTERVS *. Niſi dicere volumus, agnatos & cognatos de familia non eſſe, & jura ſanguinis per filiam non conſervari. Quod ipſum etſi Romana jura contineant, non tuliſſent tamen Romulus & Remus Rheæ Silviæ filii, & ab iis originem ducens IVLIVS, Romani Imperii primus fundator & auctor.

*Lib. III. Coſmogra. cap. 550.

DE HEIDELBERGÆ
ANTIQVITATIBVS.

Per eundem Hubertum Thomam Leodium.

QVidam Heidelbergam vel deſcribere vel laudare conati, & antiquitatem ejus requirentes, nihil verò de ea ſcriptum obviam habentes; è Ptolomæi qui tempore Traiani & Antonini Pii vixiſſe perhibetur, viri Alexandrini, docti ſanè, ſed qui coactus quæ ab aliis audiebat ſcriptis tradere, ſatis infeliciter de Germania retuliſſe deprehenditur (ſi non depravata, quæ de illius civitatibus reliquit, exiſtunt infinita nomina) inter quæ *Budoris* oppidum memorat, quod Heidelbergam fuiſſe autumatur: non ſatis perpendentes, Ptolomæi ætate Heidelbergam in rerum natura non fuiſſe, nedum nomen habuiſſe. Quare huiusmodi nænias relinquens, quæ de Heidelbergæ antiquitatibus habeo, deſcribere adgrediar, & à quibus ea ſumpſerim, liberius forſan depromam. Fuit ea tempeſtate, qua primum Heidelbergam veni, vir non admodum doctus, ſed inveſtigandæ antiquitatis inprimis diligens perſcrutator, & circa repertam prudens annotator. Huic nomen erat Johanni Bergero. Is à me interrogatus, quæ de Heidelbergæ nomenclatura & antiquitatibus ſciret, depromſit libellum vetuſtiſſimis characteribus deſcriptum, quem diligentiſſime perlegi, & memoriæ quantum potui commendavi. In eo inquam libello ſcripta fuere quæ ſequuntur. *Heidelberga* ſeu potius *Heidenberga* nomen accepit à Romanis, qui hunc locum incoluerunt; quos Germani, ut omnes qui non ſunt ſuæ religionis, *Heiden* ſolent appellare, id eſt Paganos. Deinde more Græcorum N in L mutantes, *Heidelbergam* dixerunt, id eſt Paganorum mons, quod nomen uſque in hodiernum diem

Budoris.

Heidenberg

num diem retinet. Incoluiſſe autem hunc locum Romanos multa ſunt indicia, atque adeo *mons de cunctis cœlitibus* (inquit Hermannus Buſchius inſignis Poëta, in Hypantico) *nomen habens*: ubi multa inſunt argumenta, & inter cætera fonticulus, quem *ad Bachi aras* nuncupant, & item ciſternæ quæ adhuc apparent: item inſcriptiones Romanis literis: & in vicino pago *Hentſchuchsheim*, talis inſcriptio: Heiligenberg.

Appianus 456. & Herold. de ſtat. legion in vet. Ger. c. 12. 13. 14.

MERCVRIO. .
BASEM. CVM . .
L. CANDIDIV . .
CATO. R. D. C
V. S. L. L. M

Item in proximo pago, quem vocant Burgum Latinorum, *Ladenburg* Germanicè, talis inſcriptio: Ladenburg

IVNONI. Reginæ
MINERVÆ Dea
BVSQVE ::: pro
SALVTE. ET. incolumitate
D D. NOSTRORVM Diocletiani &
MAXIMIANI. feliciſſ.
AVGVSTORVM. Conſtanti
ET. MAXIMIANI nobb. Cæſſ.
CIVITAS. MOC. . .
: VRE IN : EAV . .
. . . IAL . . . . .

Non procul inde eſt ſatis magnus pagus *Heidelsheim*, ſic quoque appellatus, quod ibi habitârint Romani, qui Germanis *Heiden* appellantur. Quo tempore Velleda virgo in Bruchteris imperitabat, vetula quædam, cui nomen Iettha, collem eum ubi nunc eſt arx Heidelbergenſis, & *letthæ collis* etiam nunc nomen habet, inhabitabat, vetuſtiſſimumque phanum incolebat, cujus fragmenta adhuc nuper vidimus, dum Comes Palatinus Fredericus factus Elector egregiam domum conſtruxit, quam *Novam-Aulam* appellant. Hæc mulier vaticiniis inclita & quo venerabilior foret, raro è phano in conſpectum hominum prodiens volentibus conſilium ab ea petere, de feneſtra non prodiens vultu reſpondebat, & inter cætera prædixit (ut inconditis verſibus canebat) ſuo colliâ fatis eſſe datum, ut futuris temporibus regiis viris, quos nominatim recenſebat, inhabitaretur, coleretur, & ornaretur, vallisque ſub ipſa multo populo inhabitaretur, & templis celeberrimis ornaretur. Heidelsheim. Iettenbühel.

Erat eo tempore Heidelberga ſine nomine ſilva, & feris duntaxat inhabitata. Quo autem tempore Iulianus Imperator apud Tabernas tres, Alemannos ad internecionem gentis propemodum vicit & delevit, curavit ubique fieri & conſtrui munimenta, ne rurſum convenire, rurſumque provincias Romanas vexare poſſent. Poſtquam autem Romani inter Rauracos, id eſt Baſileam, & Coloniam Agrippinam ad Imperii protectionem infinitas arces & propugnacula ad Rheni ſupercilia ædificarunt, præſertim in ripa Galliæ, & ſequentibus temporibus Rhenum transgreſſi bonam partem Germaniæ occuparunt; viſum eſt illis opus inprimis eſſe, ut loca per quæ e Germania ingreſſus in provincias Romanorum eſſet, munirent. Quà autem unicum erat iter juxta Nicrum flumen, ubi ſe ex Hercinia ſilva extra montes exonerat, duas extruxerunt arces; unam ſupra Ietthæ collem, alteram è regione, in excelſo monte & undique abrupto, quem *Abrinsberg* eo tempore nominabant, nunc autem *Omnium Sanctorum* vocatur: & ut nusquam pateret iter, murum ab phano Ietthæ ad flumen usque conſtruxerunt, qui modo pro mœnibus ſervit; juxta verò aquam turrim excelſam, ne per flumen eſſet deſcenſus, ubi domus nobilium eſt qui hodie nomine Euleri gaudent: è regione autem ultra flumen ad pedem Abrinsbergi montis, ubi nuper phanum Divæ Virgini conſtructum eſt, pons fuerat, qui ſublevabatur & recludebatur, ne illac tranſitus inſciis Romanis pateret.

Heiligenberg.

Eulerhof.

Sed ut tandem fabuloſæ antiquitati valedicamus, lubet adſcribere, quæ is liber de infelici morte ipſius Ietthæ continebat. Egreſſa quondam amœniſſimo tempore phanum, ut deambulatione recrearetur, progrediebatur juxta montes, donec pervenit in locum denſis ſilvis conſitum, quo montes intra convallem declinant, & qua multis locis ſcaturiebant pulcherrimi fontes, quibus vehementer cœpit illa oblectari, & aſſidens ex illis bibebat. Cum ecce lupa famelica cum catulis è ſilva prorupit, quæ conſpectam mulierem, necquicquam divos invocantem dilaniat & fruſtulatim diſcerpit, quæ caſu ſuo fonti nomen dedit. Vocatur quippe in hodiernum diem, *Fons luporum*, ob amœnitatem loci omnibus notus: quem Princeps Fredericus ſalientibus fontibus exornavit, & vivariis ſalaribus refertis jucundum reddidit, quem tempore æſtatis inviſeret, & plerique ſcholaſtici voluptatis cauſa ſæpe adeunt.

Wolffsbrun.

Quis poſtmodum Heidelbergam mœnibus cinxerit, non facile invenitur, Epiſcopum Wormatienſem nullo modo recipiunt.

Ecquis

Ecquis enim unquam audivit Epiſcopos eam curam ſuſcepiſſe, ut mœnia & urbes munitas eſſe velint? non facile probatur, nempe magis crapulæ & luxui deditij, quàm de Republica cogitarunt. Niſi dicamus Romanos, quo tutiores & parvis copiis locum hunc ad egreſſum Nicri continerent, eam munitionem perfeciſſe, & poſtea phanis conveſtiviſſe.

De Coenobio Avgvstinorvm.

IN primis Auguſtinorum cœnobium juxta mœnia conſtruxiſſe quosdam ante quingentos & triginta annos, ut ſe vidiſſe in literis quibusdam Irenicus * teſtatum reliquit, & *beatam Virginem in ſolitudine* appellatam dixit. Ibique Rex Rupertus nondum conſtructis ædificiis in Ietthæ colle habitaſſe commemoratur. Plura de ejus conditoribus reperire non potui. Incoluiſſe autem multos præclaros viros in Theologia prælatos memoratur. Inter quos revocator veræ religionis, quæ jam diu neglecta jacuerat & obſurduerat, D. Martinus Lutherus prima fundamenta jecerat: & alii complures, ut Caroloſtadius, Munſterus, Melanchthon, ex hac ſchola velut ex equo Trojano emerſerunt. Nunc vero à Monachis deſertum Fridericus Comes Palatinus, in ſcholam Sapientiæ erexit: Dii faxint melioribus avibus. *Lib. III. Exegeſ. German. cap. 51.*

De Coenobio Minorvm.

Poſtea Minorum cœnobium infra Heidelbergam ad Nicrum conſtructum eſt, quo anno ſcire non potui. Invenio tamen literas Rudolphi Comitis Palatini & Ducis Bavariæ anno 1298.
milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo, quibus ſcribit eo tempore *Heidelbergæ fuiſſe, & viam ſive tranſitum a Monaſterio ad Neccarum conceſſiſſe.* Deinde literas Ludovici Regis Romanorum, quibus ſcripſit ea *tempeſtate extra muros Heidelbergenſes adhuc fuiſſe*, Anno mille- 1303.
ſimo trecenteſimo tertio, regni ſui anno tertio. Item literas Ludovici Comitis Palatini & Ducis Bavariæ, datas in *Leyenfeld* anno 1286.
milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto. Item literas Johannis viceſimi ſecundi Papæ de anno milleſimo centeſimo octuageſimo 1184.
quarto. Item literas Sifridi Epiſcopi Curienſis ſuper tranſlatione Monaſterii Anno MCCCXXII. 1322.

Transferebatur autem tunc temporis cœnobium in ſuburbium civitatis, ſed non diu ibi manſit, quia Mechtildis Duciſſa Sabaudiæ tranſtulit, ubi nunc ſunt, & ordinem Franciſci aſſumere conſuluit:

quæ fuit mater Friderici Comitis Palatini, qui in eodem monaſterio cum filio notho requieſcit in ſingulari capella. Et inter cæteros non procul inde Germanorum decus Rodolphus Agricola, cum huiusmodi inſcriptione. Primum Hermolai Barbari Patriachæ Aquilegienſis:

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſii ſpemque decusque ſoli.
Scilicet hoc uno meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

DE BACCHARACO.

SVper nomenclatura huius oppidi, egregio vino nobilis, cui Bacharaco nomen, multa ſciſcitanti, oblata eſt cæteris (meo judicio) verior ſententia, quâ affirmatur olim Romanos, admiratos vini quod apud hocce oppidum creſcit præſtantiam, erectâ arâ in eâ parte montis, ubi Divus Wernherus requieſcit, ad Bachi aram nuncuparunt, quæ & ſubjectum vicum ejusdem nominis eſſe fecit, Bacharacumque, id eſt, à Bachi ara nuncupatum arbitrantur.

MONVMENTA QVÆDAM QVORUM Auctor mentionem fecit, veneranda ſanè vetuſtatis, & ad rem illuſtrandam plurimum facientia, viſum eſt integra ſubiicere.

EX CHRONICO LAVRESHAMENSI.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXIV. Pipini verò Regis Francorum XII. Cancor illuſtris Rhenenſis pagi Comes, cum matre ſua religioſa & Deo acceptabili Williſwinda vidua Ruperti Comitis, Monaſterium Laureſham in inſula, quæ nunc appellatur Aldenmunſter, initiantes venerabili Rutgango Metenſis eccleſiæ archiepiſcopo ad inſtituendam inibi monaſticæ profeſſionis militiam tradiderunt: nullius quidem epiſcopii ſeu cuiuslibet eccleſiæ juri aut dominio ſubiicientes. ſed quia minus id per ſe poterant, tanquam conſanguineo, & tum in Dei rebus viro ſpectatiſſimo perficiendum gubernandumque ſub traditionis titulo commendantes. Qui ut deſiderii ſui promtiorem ſortirentur

effectum, famulorum Dei qui illic adunandi erant, providentes commodis, eccleſiam in Scarra cum ſuis appendiciis, prædium ſuum in Mogontia, villam quoque in Hagenheim cum omni integritate in poſſeſſionem ejusdem monaſterii contulerunt. Cujus donationis forma fuit talis:

Donatio dominæ Williſvvindæ, & filii ejus Cancronis Comitis, de Hagenheim.

ANno duodecimo regnante domino noſtro Pippino rege, ſub die IIII. Id Iulii, ego Williſwinda Deo ſacrata, & filius meus Cancor Comes, pro Dei intuitu vel pro animæ noſtræ remedio ſeu & pro æterna retributione, ut non inveniat in nobis ultrix flamma quod devoret, ſed Domini pietas quod coronet, ideoque nos in Dei nomine donamus ad ſacroſanctam eccleſiam ſancti Petri ſeu cæterorum ſanctorum, quæ eſt conſtructa in loco nuncupato Lauresham, in pago Rhenenſe, ſuper fluvium Wisgoz, quam nos propter nomen Domini à novo ædificamus, ubi præeſt vir venerabilis Ruodgangus archiepiſcopus & abbas, donatumque in perpetuum eſſe volumus & promtiſſima voluntate confirmamus. hoc eſt villam noſtram in pago Wormatienſe, in loco qui dicitut Hagenheim, ſuper fluvium Saluſiam, quæ mihi de parte genitoris mei nomine Adelhemi legibus obvenit, vel undecunque tam de alode quàm de comparato, ſeu de quolibet adtractu ad nos noſcitur perveniſſe, cum integritate ſua, terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, vineis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, farinariis, litis, libertis, conlibertis, mancipiis, mobilibus & immobilibus, peculio utriusque ſexus tam majore quam minore genere vel ætate, quicquid dici aut nominari poteſt, re inexquiſita, cum omni ſuppellectile, ſicut à nobis moderno tempore poſſideri dignoſcitur, donamus, tradimus atque transfundimus: ita ut ab hac die tam dictus dominus Ruodgangus, vel ſui monachi qui ibidem in ipſo monaſterio habitare videntur, vel ſucceſſores eorum habeant, teneant, atque poſſideant, & quicquid exinde facere pro oportunitate loci ipſius voluerint, liberam & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem. Si quis verò quod futurum eſſe non credimus, ſi nos ipſi, vel aliquis de heredibus vel proheredibus noſtris, ſeu quælibet ulla extranea perſona, vel quicunque contra hoc teſtamentum, quod nos ſpontanea voluntate fieri decrevimus, venire temptaverit, aut id infringere voluerit; ante tri-

bunal Chriſti in die judicii rationem cum ipſo ſancto Petro deducat, & inſuper inferat partibus ipſorum monachorum unà cum partibus fiſci auri libras v. argenti pondera decem, & quod repetit, hoc omnino evindicare non valeat, ſed præſens donatio teſtamenti hujus omni tempore firma & inviolata permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum Laureſham publice ſub die & tempore dicto ſupra. Signum † Williſwindæ Deo ſacratæ, & ſignum † Cancronis filii ejus, qui hoc teſtamentum fieri & firmari rogaverunt. Signum Heimerici filii Cancronis. Ego Automadus Treverorum epiſcopus ſubſcripſi. Ego Albericus epiſcopus. Ego Johannes epiſcopus. Ego in Dei nomine Helmericus notarius ex juſſu domini Ruodgangi archiepiſcopi cartam hanc ſcripſi, diemque & tempus ut ſupra deſignavi.

Donatio Cancronis, de Birſtat, & termino ipſius villæ.

Ego in Dei nomine Cancor, & Angila conjux mea, cogitantes caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata noſtra poſſimus minuere (donante Domino) & ad æterna gaudia pervenire: idcircò pro animæ noſtræ remedio, ut dominus Jeſus Chriſtus veniam de peccatis noſtris tribuere dignetur, donamusq; tradimus, vel firmamus ad monaſterium Sancti Petri quod appellatur Lauham, ſeu & ſanctum Nazarium martyrem, qui ibidem in corpore requieſcit, vel id illam congregationem monachorum quæ ibidem converſari videtur, ubi vir venerabilis Gundelandus abbas præeſſe videtur, donatumque in perpetuum eſſe volumus & promptiſſima voluntate confirmamus; hoc eſt terram & ſilvam quæ eſt in illa marcha de Birſtat, ſeu in ipſo fine: de illo rubero qui eſt de eccleſia ſancti Nazarii ad partem meridianum inter partem ſancti Petri, per Agiloſum & ſuos conſortes pro ſigno inciſa: & inde ad partem orientalem usque in fluvium Wisgoz, ubi marcha de Baſinsheim conjungit: & de ipſo rubero ad partem Aquilonis, ſicut ipſa inciſio arborum in ipſa die facta fuit, quæ vulgo Lachus appellatur ſive diviſio: & ſic ad illam ligneam crucem quæ eſt poſita juxta illam viam quæ venit de Birſtat, & inde ad partem Aquilonis: ſicut illa inciſio arborum ſeu lachus in ipſa die facta fuit, usque ad illum monticulum qui quaſi terminus apparet: & inde per ipſam inciſionem arborum ſive lachum usque in certum Wisgoz, ubi marcha de Baſinsheim conjungit: quicquid infra illam inciſionem arborum ſeu lachum ſive diviſionem usque ad mar-

cham de

cham de Baſinsheim, de dote Angilæ, vel de qualibet parte noſtra ibidem videtur eſſe portio, ſive poſſeſſio vel dominatio, tam terris, quam ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, omnia & ex omnibus totum & ad integram ad jam dictum monaſterium ſive ad ſanctum Nazarium à die præſente donamus, tradimus atque transfundimus in Dei nomine perpetualiter poſſidendum: ita ut ab hac die ipſi monachi vel ſucceſſores eorum habeant, teneant atque poſſideant, & neque nos neque ullus de heredibus noſtris, neque ulla obpoſita extranea perſona, de ipſa terra vel de ipſa ſilva ullo unquam tempore ipſos monachos vel ſucceſſores eorum eiicere nec contradicere poſſit, nec ullam inquietudinem vel calumniam generare præſumat; ſed ad jam dictum monaſterium omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero (quod futurum eſſe minimè credimus) ſi nos ipſi aut ullus de heredibus noſtris ſeu quelibet ulla extranea obpoſita perſona contra hanc donationem à nobis factam venire tentaverit, aut eam infringere vel immutare voluerit, caveat ne iram Dei omnipotentis acquirat, & inſuper inferat unà cum ſocio fiſco auri libras II & argenti pondo V. multum ſuſtineat, & quod repetit evindicare non valeat; ſed præſens donatio iſta omni tempore firma & inviolabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum in monaſterio Lauresham publicè, ſub die Kal. Junii, anno ſecundo regnantibus glorioſiſſimis regibus Karolo & Karlomanno. Signum Cancronis Comitis & Angilæ conjugis ejus, qui hanc donationem fieri & firmari rogaverunt. Signum Thurincberti fratris ipſius Cancronis, & Heimerici filii ſui, & aliorum. Ego Guario lector hanc donationem ſcripſi.

DE ANSFRIDO PALATINO.

Ex Chronico Laureshamenſi.

LOTHARIUS *Ludovici Pii Imp. filius natu maximus, qui in diviſione cum fratribus ſuis Ludovico & Carolo ſortitus eſt regnum quod ab eo traxit nomen, & provinciam, & cum Italia tota Romanum Imperium; hic Lotharius Ansfrido tunc Palatino Comiti, illuſtri & ſpectabili viro, ob egregia merita prædium ſuum in Geizefurt jure proprietatis contradidit, quod poſtea idem Ansfridus Laureshamenſi monaſterio ſub Abbate Dietrocho contulit. quæ regia donatio Ansfrido conlata talis eſt.*

Donatio Lotharii Imp. Anſfrido in Geizefurt.

IN nomine omnipotentis Dej ſalvatoris noſtri Ieſu Chriſti, Lotharius divina præveniente clementia rex. Dignum eſt ut regalis celſitudo procerum ſuorum petitionibus tanto libentius annuat, & annuendo ad effectum perducat, quando eos viderit ac noverit in ſuis obſequiis perſtare efficaces. Idcirco magnitudo noverit omnium fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ ac noſtrorum præſentium videlicet ac futurorum induſtria, quia Hucbertus abbas noſtram deprecatus eſt magnitudinem, ut cuidam fideli Comiti palatii noſtri Ansfrido nomine aliquantum ex rebus juris noſtri, quas ipſe jure beneficiario detinet, ad proprium concederemus, ac per præceptum noſtrum largiremur. Cujus precibus libenter ob utrorumque ſinceriſſimam devotionem & famulatum adquieſcentes, hos eminentiæ noſtræ apices fieri decrevimus, per quos memorato Ansfrido in pago Hattuarienſi, * & in villa quæ vocatur Geizefurt, ſuper fluvium Nerſe, manſos quatuor cum omnibus ſuis appenditiis, terris ſcilicet cultis & incultis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, exitibus & regreſſibus, necnon & mancipiis utriusque ſexus ibidem aſpicientibus: ſeu etiam & in pago Laumenſi in villa Sodeia ſuper fluvium Geldione, manſum unum cum omnibus ad ſe pertinentibus, terris ſcilicet cultis & incultis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, exitibus & regreſſibus, necnon ab mancipiis utriusque ſexus ibidem pertinentibus, ei ad proprium tribuimus, & de jure noſtro in jus & dominationem ipſius perenniter manſurum transfundimus: quatenus per hanc noſtram authoritatem potiſſimam habeat ex eisdem rebus vel mancipiis faciendi licentiam quicquid elegerit vel voluerit, ſicut & de reliquis proprietatis ſuæ rebus, remota cujuslibet inquietudine vel contrarietate: ita tamen ut nusquam à noſtra diſcedat fidelitate. Et ut hæc noſtræ largitatis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora melius conſervetur, manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum Lotharii glorioſi regis. Hrothmundus notarius recognovi. Data v. Id Novembris, anno Chriſto propitio Imperii domini Lotharii piiſſimi regis primo, indictione IIII. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

* *Hunc locum allegat Lindebrog. ad Am. Marcellinum pag. 93.*

Donatio

Donatio Anſfridi Palatini Comitis in Geizefurt.

SI aliquid ex facultatibus noſtris ad loca ſanctorum condonamus, hoc nobis procul dubio in æterna retributione profuturum eſſe confidimus. Idcirco ego in Dei nomine Anſfrid Dei gratia Comes, cogitans de timore Dei vel futura retributione pro remedio animæ meæ, ſeu dominorum meorum, per quos ad me res perveniſſe dinoſcitur, dono per hoc teſtamentum ad ſanctum Dei martyrem Nazarium, qui requieſcit in corpore in pago Renenſe, in monaſterio cognomento Laureſham, ſito ſuper fluvium Wisgoz, ubi moderno tempore vir venerabilis Theotrohus abbas regulariter præeſſe videtur, & veneranda congregatio monachorum die noctuque domino Deo deſervire videtur, donatumque in perpetuum eſſe volo & promptiſſima voluntate confirmo. hoc eſt trado res proprietatis meæ in pago Hattuaria, in Odenheimero marca, in villa quæ dicitur Geizefurt, quæ ſita eſt ſupra fluvium Nerſa, hoc eſt manſum indominicatum cum ædificiis atque omnibus utenſilibus habentem hobas tres, hobas ſerviles XVIIII. & ſilvam in quam mittere poſſumus mille porcos perfectè ſaginari, & eandem ſilvam determinat ab oriente fluvius Lusgochesbach usque in Nerſchinam, & à Nerſchina usque in Nerſam, & à Nerſa usque ad ſilvam campumque qui dividit Odehaimero marcam, & quicquid in eadem marca villave habeo proprietatis, exceptis tribus hobis, unam quam habet Wolfkraft, & in eandem ſilvam debet mittere porcos x. alteram habet Thadolf, tertiam Sigebinus, & etiam debet mittere in ſilvā uterq; porcos x. & nullam aliam utilitatem, ſive ad exſtirpandum, ſive in cæſura ligni, unusquisque autem de ſervis ipſis de ſua huba debet mittere in ſilvam porcos v. Hæc omnia ſuperius comprehenſa in ea ratione ad ſanctum Dei martyrem N. trado, quatenus has easdem res ad dies vitæ meæ habeam: & quicquid ad præfatum monaſterium pertinet in loco vel villa qua dicitur Gannida*, tam de quæſitis quam de inquiſitis, ſeu in quibuſcunque ibidem locis aut terris conſiſtant res præfati martyris Chriſti. quæ hactenus ſervierunt præfato monaſterio, de vinejs quoque ad carradas quatuor, Spondeo quoque memetipſum in cenſum annis ſingulis in feſtivitate ſancti Martini coria bovina ad opus fratrum quadraginta perſolvere. Hæc omnia ut diximus ſub integritate cum omnibus appenditiis & terminis ſuis & cum omnibus ad ſe pertinentibus, id eſt baſilica, domibus, cæterisque ædificiis, terris, pratis, campis, ſilvis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, cultis locis & incultis, mobilibus rebus & immo-

* Hod. Gentrul. Gandærum.

immobilibus, ac ſe ipſas moventibus, vel quicquid denominari poteſt aut non poteſt, mancipiis diverſi ſexus & ætatis numero LXIV. Hæc veró omnia ſuperius denominata à die præſente de jure meo in jus & dominium ſancti N. rectorumque ipſius monaſterii dono trado, atque transfundo in Dei nomine perpetualiter poſſidendum: ea videlicet ratione donationem memoratam atque traditionem faciens, ut quamdiu in hac mortalitate divina juſſione vixero, habeam prædictas res in mea poteſtate & ſub mea ordinatione, abſque ullius perſonæ aut poteſtatis contradictione vel impedimento, tam ipſam hereditatem à me traditam, quàm illam quam ab eodem monaſterio precariam accepi. Poſt obitum veró meum utreque memoratæ res cum omni integritate ad prænominatum venerabile monaſterium abſque ullius contradictione recipiantur, & in ejus poteſtate atque dominio permaneant, fratribus ſpecialiter ad ſuſtentaculum, & nulli unquam in beneficium detur. Quod ſi factum fuerit, heredes mei illud inde abſtrahere licentiam habeant atque inter ſe diſpertiri: excepto ſi major utilitas eidem monaſterio per præſtariam acquiri poſſit. Et ſi aliquis contra hoc noſtræ devotionis teſtamentum reſultare voluerit, atque illud convellere aut evacuare tentaverit, primitus Chriſtum & ſanctum ejus martyrem Nazarium nefandis auſibus ſuis contrarium ſentiat, & inſuper fiſco diſtringente multam de rebus propriis parti prædicti monaſterii coactus exſolvat, auri videlicet libram unam, argenti pondo XII. & nec ſic quod conatus repetere, evindicare poſſit; ſed hæc donatio omni tempore firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum publicè in monaſterio Lauresham, anno incarnationis Dominicæ MCCCLXII, regni Ludovici regis XXVI, ſub die III. Non. Octobr. Signum Ansfridi Comitis Palatii. Signum Fridolohi. Signum Ruodleichi, & aliorum. Ego Walthere indignus presbyter & monachus hoc teſtamentum ſcripſi, diemque & tempus ut ſupra notavi.

Item alia donatio ejusdem Ansfridi, in pago Darnau.

EGo in nomine Ansfridus gratia Dei Comes, dono per hoc teſtamentum ad ſanctum Dei martyrem Nazarium, ut ſupra, quicquid habeo proprietatis in pago Darnau, in marca vel villa Sodoia, quæ ſita eſt ſuper fluvium Geldiun, in comitatu Giſelberti, hoc eſt hubam indominicatam unam, ſerviles VIII. & ſilvam in qua ſaginari poſſunt porci c. quam determinat ab oriente res Liutberti,

res Liutberti, ad auſtrum fluit Sambra, ad occidentem res ſancti Lamperti, ad aquilonem item res Liutberti, cum mancipiis XXXIX. Hæc omnia in ea ratione ad ſanctum Dei martyrem N. trado, quatenus has easdem res ego & Hildiwardus filius meus ad dies vitæ noſtræ habeamus: & inſuper quicquid ad præfatum monaſterium pertinet in villa vel marca quæ dicitur Baldanis, & in cenſum annis ſingulis in feſto ſancti Martini ſolidos tres fratrum uſui perſolvamus. Poſt obitum verò noſtrum utræque memorate res . . . *ut ſupra omnia*. Actum loco tempore, & die. *quo ſupra.* *Ita in V. C.*

Præſtaria ejusdem Ansfridi Comitis.

Diligendo in Chriſto filio ſanctæ Dei Eccleſiæ, Ansfrido venerando Comiti Palatii, Thiotrochus gratia Dei humilis abbas. Honorabilis tua fuit petitio, & fratrum noſtrorum decrevit benivolentia, ut res proprietatis tuæ in Geizefurt, pro eleemoſyna tua & dominorum regum Lotharii & Ludovici à te ſancto Nazario traditas, ſimulque res noſtras ad Gannita pertinentes, rem quoque proprietatis tuæ in villa Sodoia ſimiliter traditam, cum rebus ſancti Nazarii in villa Baldanis, quæ in utroque teſtamento tuo plenius continentur inſcripta, tibi & filio tuo Heldiwardo ad dies vitæ veſtræ beneficiaremus. Quod quia rationabile fuit perfecimus, & hanc præſtariam * vobis conſcribi juſſimus: ut quandiu vixeritis, utrasque res abſque omni inquietudine teneatis & excolatis, & nihil exinde minuere aut deteriorare, ſed potius augmentare & meliorare in omnibus ſtudeatis; & ſingulis annis ob recordationem in feſto S. Martini de primo beneficio XL. coria bovina, de ſecundo tres ſolidos ſolvere non neglegatis. Poſt obitum verò veſtrum utræque res melioratæ & auctæ ad ſanctum Nazarium revertantur. Data præſtaria die & tempore quo ſupra.

* i. Lehen, *beneficium.*

DE MONTE ABRINSBERG, CVIVS

*Auctor mentionem fecit**, *documenta antiqua & notatu digna ſequuntur.*

* *Vide ſup. pag. 25.*

LARGITIO LUDOVICI III. IN ABERINESBURG.

IN nomine ſanctæ & individuæ trinitatis. Hludowicus divina favente gratia Rex. Notum eſſe volumus omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus noſtrisque, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter

qualiter nos ob amorē Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pro animâ pii genitoris noſtri, & pro mercedis noſtræ augmento, quaſdam res proprietatis noſtræ concedimus ad monaſterium dictum Laureſham, quod eſt conſtructum in honore ſancti Nazarii venerabilis martyris Chriſti, cui nunc venerabilis abba Waltherus præeſt; hoc eſt in pago nuncupato Lobodengowe locum quendam qui nominatur Abernnesburg, ſicuti ipſum cariſſimæ conjugi noſtræ Liutgardi huc uſque præſtitum * habebamus, & quicquid ad ipſum locum jure ac legitimè pertinere videtur, cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, campis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, viis & inviis, acceſſibus. Hæc ergo omnia jam dicto Abbati præfatum monaſterium & fratribus ibidem Domino famulantibus in proprietatem & dominationem perpetuam condonavimus, & juſſimus eis fieri hoc noſtræ auctoritatis præceptum, per quod volumus firmiterque præcipimus, ut de his omnibus nunc & deinceps omni tempore liberam habeant poteſtatem faciendi quicquid eis placuerit: quatenus eos pro nobis, conjuge, proleque noſtra, miſericordiam Domini melius exorare delectet. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius credatur & diligentius obſervetur, manu propria noſtra ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Arnolfus cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognovi & ſubſcripſi. Data xv. Kal. Febr. anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXII. Indictione x. anno vi. Hludowici ſereniſſimi regis. Actum Franconofurt palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

* geliehen

Donatio Gernivve & Grimoldi, in Hantſcuesheim.

EGo in Dei nomine Heriger, pro remedio animæ Grimoldi & Gerniwæ, trado ad ſanctum Nazarium martyrem, qui requieſcit in corpore in pago Renenſe in monaſterio quod nuncupatur Laureſham, vel ad illam congregationem monachorum quæ ibidē ſub venerabili viro Gerharto abbate deſervire videtur, donatumque in perpetuum fore volo & promtiſſima voluntate confirmo, hoc eſt rem quam habuerunt in pago Lobodonenſe in villa vel marca nuncupata Hantſcuesheim, id eſt aream unam & molendinum & vineam, & quicquid legitime & jure ad illam videtur

detur pertinere: ea verò ratione, ut ad baſilice, quæ ſtructa eſt in monte nominato Abrahæ mons, in honore ſancti Michaelis Archangeli, ſervitium conſtet. Hæc omnia ſuperius comprehenſa à die præſente de jure meo in jus & dominium ſancti N. dono, trado, atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad poſſidendum, ita ut ab hac die jure habeatis habendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmiſſimam in omnibus habeatis poteſtatem: Et hæc donatio omni tempore firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum in monaſterio Lauresham, ſub die VI. Id Ian. anno IIII. regnante Arnolfo rege. Signum Gerhardi abbatis, & Herigeri, qui hanc traditionem fieri & firmari rogavit. Signum Huſi pr. & mo. Signum Engilberti & aliorum. Ego itaque Chazo indignus ſubdiaconus & mo. hanc traditionem depinxi, diemque & tempus ut ſupra notavi.

Alia donatio Ruotſvvind.

EGo in Chriſti nomine Ruotſwind, pro remedio animæ meæ trado ad aulam ſancti Archangeli Michaelis, quæ conſtructa eſt in pago Lobodunenſe in monte qui vocatur mons Abrahæ, ſuper quem venerabilis Gerhardus abbas poteſtatem habet, donatoſque in perpetuum eſſe volo, in Ebbelenheimero marca jurnales X. & dimidium, & IIII. ad monaſterium ſancti Nazarii martyris Chriſti tradidi in Dei nomine perenniter poſſidendos, ſtipulatione ſubnixa. Actum publicè in cacumine montis Abrahæ XV. Kal. Ian. Signum Gerhardi abbatis, & Ruotſwindæ, qui hanc traditionem fieri & firmari rogaverunt. Signum Huſi presbyteri, Geraldi, Walamari. regnante Arnolfo rege IIII. regni ejus.

Donatio Cunradi Regis primi, ad monaſterium Abrinsberg.

IN nomine ſanctæ & individuæ trinitatis. Cunradus divina ordinante providentia Rex. Quicquid Dei ſervorum exhortatione locis divinis cultibus aptatis devota mente conferimus, in extremo examinis die centuplicatum à ſummo judice nobis repræſentari absque dubio confidimus. Idcirco omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ noſtrisque fidelibus præſentibus & futuris notum eſſe volumus, qualiter noſtræ pro mercedis augmento, ac parentum in

eleemoſina meorum, atque pro quorundam fidelium noſtrorum, Thiedelachi epiſcopi, nec non & Erkangeri Comitis ac cæterorum, Eidolfi & Folnandi rogatu, quasdam res proprietatis noſtræ concedimus ad ſanctum locum Aberinesburg dictum, qui eſt conſtructus in honore ſancti Michaelis Archangeli omnipotentis. hoc eſt quicquid Folcmar proprietatis viſus fuit habere in marcha & in villa Hanſcuhesheim nuncupata. VI. hubas ſerviles; & hoc totum Sigolfo noſtro quoque monacho abbatis ſui licentia ad dies vitæ ſuæ ſibi in proprium habere noſtra concedo poteſtate. hoc eſt in pago Loborungowe: in comitatu Luitfridi Comitis, & quicquid ad ipſum locum jure ac legitimè pertinere videtur; cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, campis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decurſibus, viis & inviis, acceſſibus & adiacentiis, finibus, exitibus ac regreſſibus. Hæc ergo omnia jam dicto monacho ad præfatum locum, ac poſt ipſius de hac vita diſceſſum fratribus in monaſterio Laureſham domino ſanctoque Nazario famulantibus, in proprietatem & dominationem perpetuam condonamus, & juſſimus eis fieri hoc noſtræ auctoritatis præceptum, per quod volumus, firmiterque præcipimus, ut de his omnibus nunc & deinceps omni tempore liberam habeant poteſtatem faciendi quicquid eis placuerit: quatenus eos pro nobis miſericordiam Domini melius exorare delectet. Et ut hæc noſtre conceſſionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum Chunradi ſereniſſimi regis. Wodelfridus cancellarius ad vicem Pilegrini archicapellani recognovi. Data x. Kal. Septemb. in monte Abirinesburg. Anno Dominicæ incarnat. DCCCCXII. Indictione XIII. anno I. regni Chunradi gloriſiſſimi regis. Actum ad Triburiam palatio regio, feliciter, Amen.

Præceptum Ottonis I. Imp. de mercato in Wezenloch.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina auxiliante clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm futurorum induſtria, qualiter nos ob mercedem retributionis divinæ, interventu dilectæ conjugis noſtræ Adelheidæ, venerabili abbati Gerbodoni fideli noſtro

noſtro, qui cœnobio ſancti Nazarii in Lauresham præeſſe videtur, in quadam ejusdem cœnobii villa Wezinloch nominata, in comitatu Cunradi Comitis, mercatum * publicũ fieri conceſſimus;& quicquid in thelonei lucris, vel alia aliqua utilitate exinde proventurum eſſe videtur, ad ſervitium ſancti Michaelis in Abramesberg, ſeu ſancti Nazarii in Lauresham, Imperatoriæ noſtræ largitatis munificentia donavimus. Et ut hoc auctoritatis noſtræ donum ſive præceptum ſtabile ac inconcuſſum permaneat, hanc cartam conſcribi & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum domini Ottonis magni & invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Luidolfus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi. Data II. Non. Maii, anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXV. Indictione VIII. anno regni domini Ottonis XXX. Imperii verò IIII. Actum Hereſtein palatio, in Dei nomine feliciter, Amen.

i. ſorum marckt.

Confirmatio immunitatis monaſterii S. Michaelis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus ſecundus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si venerabilia eccleſiarum Dei loca alicuius commodi utilitate ad laudem Dei ſtabilire, confirmare ac ſublimare ſtuduerimus; nobis id ad animæ remedium, regnique noſtri ſtatum profuturum eſſe minimè dubitamus. Quapropter noverit omnium Chriſti fidelium noſtrorumque univerſas, qualiter Reginbaldus Laureshamenſis eccleſiæ venerabilis abbas noſtram adiens ſerenitatem omni à nobis ſtudio poſtulavit, quatenus ſub noſtræ confirmationis atque immunitatis auctoritate liceret ſibi ſub ſancti Michaelis archangeli & omnium ſupernorum civium honore monaſterium ordinare in monte ſancti Abrahæ pretitulato nomine, ſito in pago Lobotengowe, in comitatu verò Heinrici Comitis. Rogavit etiam nos eidem monaſterio confirmare, ad uſum fratrum ibidem ſub regula ſancti Benedicti ſervientium, loca cum pertinentiis ſuis his nominibus deſignata: Furde, Ereſſam, Wezzenloch, in Wibelinga IIII. manſos, Scrizesheim, in Paphenhoven unam eccleſiam cum IIII. manſis in Pergeheim VIII. manſos, in Niwenheim VIII. manſos in Hanſcuesheim VII. manſos, in Cilulfesheim III. manſos. Cuius petitioni quia rationabilis atq; religioni dedita videbatur, aurem libentiſſimè accommodavimus, atque eidem eccleſiæ ab ipſo conceſſa per hanc noſtram Imperialem paginam concedimus atque confirmavimus. Interdicendo itaque

interdicimus, ut nullus poſthinc abbas eidem monaſterio de præ-nominatis locis aliquid aufferre & ad ſuos uſus conferre, ſive alicui militi in beneficium dare præſumat. Si autem hoc (quod abſit) fecerit, Dei omnipotentis offenſam, & ſancti Michaelis archangeli omninumque ſupernorum civium inprimis incurrat, & ut banni noſtri trangreſſor auri optimi libras centum ad Cameram noſtram perſolvat. Et ut hæc noſtræ ingenuitatis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni poſthinc permaneat tempore, hoc præceptum inde conſcriptum manu propria confirmantes ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri, Signum domini Heinrici Romanorum invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Gualterus cancellarius vice Aribonis archicancellarii recognovi. Data Idus Decemb. Indict. VI. anno Dominicæ incarnationis MXXIII. anno vero domini Heinrici ſecundi regnantis, XXIII. Imperii autem X. Actum in Triburia regia villa.

Venerabilis quoque abbas Vgo præfatum monaſterium ſua donatione ſublimavit, & hoc modo confirmavit.

VGo Dei gratia abbas Laureshamenſis. Sanctæ Dei eccleſiæ profectui tanto diligentius procurare debemus, quanto in cœleſti curia excelſius ſublimari cupimus. Ecce in Hanſcuesheim ob æternæ retributionis mercedem jura conſtitutionum quæ ad noſtrum ſervitium pertinent, ſine ulla interdictione, fratrum noſtrorum petitione, in præſentia primatum noſtrorum ad ſervitium ſancti Michaelis archangeli conſtituimus, quatenus inibi regularem diſciplinam juxta fratrum ſancti Nazarii conſuetudines eiusdemque loci conſtitutiones ad plenum firmaremus. Et ne hanc conſtitutionem ſucceſſorum noſtrorum iniuſtitia vel inclementia ſubvertat, hanc cartam fecimus ſcribi & legaliter confirmari. Anno autem incarnationis Dominicæ MXXVI. Indict. VII. regnante Imp. Heinrico II. acta ſunt hæc feliciter, Amen.

De montis Abrinsberg fundatione & dotatione per Anshelmum abb.

NOtum eſſe volumus omnibus in Chriſto fidelibus tam præſentibus quàm futuris, qualiter ego Anshelmus Dei gratia Laureshamenſis eccleſiæ abbas, cum communi fratrum & miniſteria-

miniſterialium, cæterorumque amicorum noſtrorum conſilio & auxilio cellam novam in monte Abrinsberg, ſcilicet in eccleſia ſancti Stephani protomartyris ab Arnoldo præpoſito prius fundata conſtruximus, & quomodo fratribus ibidem Deo famulantibus ſtipendia circumquaque accumulavimus & quam partem montis & ejus ſilvæ eidem monaſterio deputavimus. In præſentia enim Bertolfi advocati ſenioris & totius familiæ in Hantſcuhesheim nos concedebamus, & confirmatione banni & inceſſione populi terminum ejusdem loci hoc modo prætitulavimus. Ab origine fontis qui dicitur Heiminisbach, per callem ad utriusque montis medietatem pene dirigentem ſummum: à ſummo usque deorſum in amnem qui vocatur Dagrisbach*, & exinde quia via publica circumflectitur usque ad collem qui dicitur Hohenbuhel, & ſic in aſcenſum ejusdem collis per illum locum qui cognominatur Lar, per latera montis usque ad vineam quæ vocatur Buſendal, & ita in aſcenſum per ſummitatem ejusdem vineæ usque ad originem prioris fontis, id eſt Heiminisbach tendit. In hac verò determinatione diſpoſuimus cum Tietperto monacho, & Gerlacho converſo cæterisque fratribus, tunc tempore ibidem degentibus, ut in radice montis vinearum jugera metiremur, ea videlicet ratione, ut quot jugera tot ſolidi prelato eccleſiæ in feſto ſancti Remigii perſolverentur. Sed quoniam ad cameram noſtram mons totus & ſilva pertinuit, decimationem vinearum ſive frugum aliarum absque omni contradictione clericorum vel laicorum ad eandem eccleſiam præſentari conſtituimus. Interdiximus etiam quod nullus hominum, ſive majoris ſit natu, ſive minoris, audeat in determinatione illa quicquam ſibi uſurpare, neque in terra neque in vineis, neque in arboribus, neque in lapidibus, neque in ulla utilitatis cauſa, præter hoc quod à magiſtro loci vel à fratribus hereditario jure poſſit appetere. Ad confirmandam autem hanc inſtitutionem & eccleſiæ noſtræ honorem fecimus hanc cartam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri. Et ut poſteris noſtris fidelibus firmius & ſtabilius videatur, domini noſtri Heinrici Imperatoris clementiam imploravimus, ut in defenſionem potentiæ ſuæ eandem cellam ſuſciperet, & omnia quæ vel à nobis conceſſa vel adepta, ſive ab aliis fidelibus adquirenda, ſingulas donationes in ſuis locis prænotatas, propria manu, regnique banno & ſigilli ejus munitione coram principibus confirmaret. Si quis autem hæc annihilare, vel ſibimet quicquam ſibi uſurpare, vel minuere ſtuduerit, iram

* *Hod.* Darsbach.

iram Dei & omnium ſanctorum ſe habere ſciat, pro præſumptione autem dilecti imperando dijudicamus, ut ſi liber eſt, x. talenta; ſi miniſterialis, v. talenta; ſi ex familia, totam ſubſtantiam ad cameram noſtram perſolvat. Nomina teſtium hæc ſunt: de monachis, Geroldus, Berengerus, Hartmannus, Godebertus, Libelinus, Zundeboldus, Trutwinus, Tietbertus. De militibus, Bertholfus Comes, Gerhardus, Rifridus, Gerlacus, Ernoſt. de ſervientibus, Heribertus, Salemannus, Tietericus, Hildebertus, Arnoldus, de familia, Willo, Haimo, Razecho, & alii quamplurimi. Anno Dominicæ incarnationis M X C I I I I. Indictione I I. regnante Heinrico I I I. Imp. ſunt hæc acta, & in monte Abrinsberg conſcripta feliciter, Amen.

Eiusdem Anshelmi donatio penſionum ad idem monaſterium.

NOtum ſit omnibus in Chriſto fidelibus, qualiter ego Anshelmus ſanctæ Laureshamenſi eccleſiæ licet indignus abbas, cum Zundeboldo præpoſito Abirinesbergenſi, manu advocati Berthofi aream & vineas in Scriezesheim hobariis atque curtariis, præter ea quæ jam in ſervitio habuerunt, ſub annua & determinata penſione jure hereditario contradidi, eisque conceſſi; ut cum aliquis hobariorum obierit, heres ejus tantum quinque ſolidos Wormatienſis monetæ ſupradicti loci præpoſitio, & unciam ejus villico tribuat, ac hereditatem ſuam poſſideat. Perſolvere autem debent hobarii unam carradam vini & XXX. malter ſiliginis; curtarii vero I I I I. amas vini, & XX. malter ſiliginis. noſtræ autem conſtitutionis novi heredes XXV. urnas vini, X V I I I. malter ſiliginis & unum tritici. quæ ſimul ſunt duæ carradæ vini & dimidia, malder L X X I. Præterea hobarii ſolvunt villico præpoſiti in feſto ſancti Martini VI. uncias, & de molendinis ſolvuntur VI. unciæ. Porro in Heteneshein & in Cilolvesheim perſolvuntur LXV. malder tritici: ſed V I I I. malder tritici in Cilolvesheim dedimus in concambium pro molendino in Scrizesheim, quod pertinebat ad Aldenmunſter. In Wibelingen de area & de vineis in feſto ſancti Lucæ perſolvuntur L I I I. malder tritici: De tribus manſis XXX. malder tritici, ex aliis autem bonis XXIV. malder tritici. quæ ſimul ſunt CVI. malder tritici in Wibelingen. In Niwenheim ſolvuntur XV. malter tritici, XVIII. ſiliginis, De Rorbach

bach ſolvuntur XXXVI. malder ſiliginis, II. malder leguminum, & X. unciæ. De Etingen in feſto ſancti Remigii I. libra argenti. De Wezenloch in feſto ſancti Remigii perſolvuntur duo talenta & dimidium de curtibus: in feſto autem ſancti Martini & in Paſcha de hubaris tria talenta perſolvenda ſunt. De monte autem ubi argentum foditur I. marca, & de mercato XX. marcæ. De molendino verò XXVI. malder tritici. In feſto S. Martini de Blankeſtat perſolvitur cenſus VI. unciæ & dimidia. In feſto ſancti Remigii perſolvitur cenſus de Bergeheim XXXIIII. unciæ in Paſcha ibidem XXXI. unciæ. De Hanſcuesheim in feſto ſancti Remigii hic cenſus perſolvitur: de XII. hobariis pro ſervitio & reditu ſolvuntur VIII. libræ. de dimidiis verò hobariis & molendinariis & aliis curtariis VIII. talenta & XIII. ſolidi, carrada quoque vini & duæ urnæ. item in feſto ſancti Martini perſolvuntur VIII. unciæ præter IIII. denarios. Ipſo die de Etingen VIII. unciæ. Summa igitur totius cenſus eſt LIIII. talenta, V. unciæ & VI. denarii: ſiliginis LXXXVIII. malder; vini IIII. carradæ & dimidia & duæ urnæ. *Nota argenti fodinas.*

Item deſcriptio hubarum & penſionum ad curiam Furde pertinentium. In vico Columbach ſunt XI. hubæ, quorum X. quælibet annuatim perſolvit in feſto ſancti Michaelis XV. nummos, in feſto verò ſancti Martini de ſingulis ſolvuntur XX. denarii, itemque X. ova & unus pullus in paſcha. undecima verò huba villicationi adtinet, quatenus inde VIII. parapſides, VIII. ſtaupi*, unum mortarium in natali Domini, XL. quoque ſcutellæ in Paſcha fratribus à villico miniſtrentur. In Crumbenbach X. hubæ ſingulæ ſolventes XV. denarios in feſto ſancti Michaelis, X. ova & unum pullum in Paſcha. Item manſus unus perſolvens XII. denarios in die ſancti Martini. In Branbach ſuperiori III. hubæ ſingulæ den. XV. in die S. Michaelis, in Paſcha X. ova & pullum. In inferiori Branbach IIII. manſi perſolvunt villico II. uncias. In vico Wisgoz VII. hubæ ſingulæ ſolventes XV. denarios in feſto S. Michaelis, in Paſcha X. ova & unum pullum. In Krechlenbach VIII. hubæ ſolvunt ſingulæ XII. denarios in feſto S. Michaelis, in Paſcha X. ova & pullum. Ad Varenbach VI. hubæ ſingulæ XX. denarios in feſto S. Michaelis, in Paſcha X. ova & pullum. Ad Furden XI. hubæ ſingulæ ſolventes XXX. nummos in feſto S. Michaelis, in Paſcha x. ova & pullum inſuper XII. camiſilia, quorum unum villico aſſignatur. In vico Aldenlehter IIII. hubæ ſingulæ V. den. in feſto S. Michaelis, in Paſcha X. ova & pullum. Redemtio verò operum quæ ex *i. ſcyphi.*

A a hishubis

his hubis principali curiæ in Furden tribus in anno menſibus, videlicet Februario, Maio & Sebtembri jure exhibentur, talis eſt: In Varenbach VI. hubæ ſolvunt his ſingulis menſibus ſingulæ VI. den. in Furde XI. hubæ ſingulæ III. den. in Crumbenbach X. hubæ duæ ſimul III. denarios., in Branbach III. hubæ ſimiliter. in Wisgoz VII. hubæ ſimiliter. in inferiori Branbach IIII. hubæ IIII. denarios. in Creklenbach VIII. hubæ ſingula I. den. in Aldenlehter IIII. hubæ ſimiliter. Duæ vero partes omnium decimarum ad eccleſiam Furde aſpicientium ſunt in manu præpoſiti præter ſalicas decimas *, quæ reſpiciunt Laurenſem portarium, & præter decimas in Erlebach, quæ ad villicationem in Furde pertinent: ex quibus idem villicus fratribus in Abrinsberg uno anno caldariam, altero patellam in feſto omnium Sanctorum exhibeat. Hæc quoque ad villicationem pertinent, videlicet anno decimale fœnum in Colunbach, Wisgoz, Branbach, Steinbach, Aldenlether. item molendinum in Wisgoz, ſolvens duos ſolidos, cum huba ſua quæ ſolvit XV. den. & tota ipſius hubæ decima. Item in Branbach II. unciæ, in Aldenlehter II. ſolidi cum huba. Item capitales cenſus familiæ ad Furdon pertinentis, & ſi quid in ſuppellectili morientium ſolidum aut minus valet: nam quæ maioris pretii ſunt, Præpoſito deputantur. In hereditatum quoque ſuſceptione de V. ſolidis villicus accipit unciam, de XXX. denariis X. denarios. Item molendinum in Varenbach ſolvens XXXIII. denarios, & IIII. manſi qui conjunguntur, ſolvunt IIII. ſolidos, & areola una III. den. Item in Furde II. ſolidos, item ibidem XVIII. denarios. Bubo ex duobus manſis & prato quod dicitur Rutbrehtesbruel, & de una Biunda XXX. denarios, & de molendino in Furden V. uncias ſolvere debet.

Hunc locum allegat Fr. Pithœus, in notis ad leg. Salic. pag. 135.

Aliæ quoque poſſeſſiones & villulæ, videlicet Ezzilsbach, Erſam, Rameſonna ad idem monaſterium pertinent, Wezzenioch quoque, cum aliis quæ memoriæ non occurrunt.

Confirmatio præcedentium auctoritate Heinrici III. Imp.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clemẽtia Romanorum Imp. Auguſtus. Notum ſit omnibus Chriſti noſtrisq; fidelibus tam futuris quàm præsẽtibus, qualiter quidam abbas Lauriſſenſis nomine Anshelmus quandam cellam in monte

monte Ebrensberg in honore Dei & S. Stephani conſtruxit, & quibus potuit bonis ditavit, donans videlicet in villa quæ dicitur Leimheim novem jugera vinearum, in villa quæ dicitur Rorbach quinq; jugera vinearum, in villa quæ dicitur Bergeheim tria jugera vinearum, in villa quæ dicitur Niwenheim VI. jugera vinearum, in villa quæ vocatur Hanſcuhesheim XX. jugera vinearum, in villa quæ dicitur Doſſenheim VI. jugera vinearum, in villa quæ dicitur Liuthereshuſen duo jugera vinearum, in villa quæ vocatur Sahſſenheim duo jugera vinearum, in villa quæ vocatur Wininheim novem jugera vinearum, in villa quæ vocatur Bertholdesheim xx. hubæ, in villa quæ vocatur Vlvesheim IIII. hobæ, in villa quæ vocatur Etingũ IIII. hubæ, in villa quę vocatur Hẽſcuhesheim V hobæ, in villa quæ vocatur Hetenesheim IIII. hobæ, in villa Wibelingen una hoba, in Strazheim una, in Leimheim una, in Gneſſa una, in Cunigga una, in Butinga una, in Winenheim una, in Sahſſenheim VI. hobæ. Quam nos cellam ut defenſionem ſuſciperemus, rogavit; ſed antequam hoc fieret, viam univerſæ carnis intravit. Quo defuncto ſucceſſor illius abbas Geroldus ſimiliter noſtram clementiam adiit, & pro eadem cella in noſtram tutelam ſuſcipienda rogavit. Cuius petitioni adquieſcentes, pro amore Dei, & remedio animæ noſtræ & avi noſtri Cunradi, & patris noſtri Heinrici Imperatoris, & aviæ noſtræ Giſilæ, & conjugis noſtræ Berthæ Imperatricis, pro ſtabilitate regni & imperii noſtri, ac filii noſtri regis Heinrici, ac petitione regni Principum, videlicet Brunonis Treverenſis, Friderici Colonienſis archiepiſcoporum, Johannis Spirenſis, Burchardi Monaſterienſis, Adelberonis Metenſis, Albuini Merſeburgenſis, Cunonis Argentinenſis epiſcoporum, Stephani Wizeburgenſis abbatis, Friderici, Sigefridi Palatinorum Comitum, & aliorum fidelium noſtrorum, prædictam cellam cum univerſis bonis quæ jam acquiſita ſunt vel acquirenda ſunt, cum omnibus appenditiis, areis, ædificiis, pratis, paſcuis, agris, vineis, ſilvis, venationibus, aquis aquarumque decurſibus, piſcationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, ac cum omni utilitate quæ vel dici vel nominari poterit, in noſtræ defenſionis mundiburdium ſuſcepimus, ea ratione ut nullus ſucceſſorum noſtrorum Imperator vel Rex, Epiſcopus vel abbas, Dux vel Marchio, vel Comes, vel aliqua perſona magna vel parva, hanc eandem cellam in aliquo moleſtare vel inquietare, vel inde aliquid aufferre præſumat: ſed monachi ibidem

Deo ſerviétes bonis prætatis quæſitis vel inquirendis liberè utâtur. Et ut hæc noſtræ deſenſionis munitio firma & incôvulſa omni ævo permaneat, hanc cartam inde conſcriptam, & (ut infra videtur) propria manu noſtra corroboratam, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Signum Domini Heinrici tertii Romanorum Imperatoris invictiſſimi. Actum IIII. Non. Martii. Anno ab incarnatione Domini MCIII. Indictione XI. regnante Heinrico tertio Romanorum Imp. Auguſto anno XLIX. imperante autem XVIII. Actum Spiræ in Chriſti nomine ad ſalutiferam memoriam Heinrici tertii Romanorum Imp. Auguſti, feliciter, Amen.

Commutatio inter fratres Laurishamenſes, & fratres S. Stephani.

SCiat univerſitas Chriſti fidelium tam præſentium quàm futurorum qualiter ego Diemo Laureshamenſis Dei gratia abbas, quorundam conſilio & generali fratrum noſtrorum conſenſu, quandam rerum noſtrarum commutationem fecimus, quæ utilior videbatur & nobis & eccleſiæ noſtræ & fratribus. Majoris igitur eccleſiæ fratres, ſcilicet Laureſham, vineam dederunt quam in villa Hanſcuesheim habebant, illam ſcilicet quæ vulgo vocatur Dalwingart, quæ etiam per manus eiusdem villæ villici colebatur, & in ſervitium eorundem fratrum impendebatur. E contrario fratres minoris Eccleſiæ, quæ vocatur Abrinsberg, ad ſanctum Stephanum, V. hubas in villa Sahſſenheim maiore reddiderunt, XVI. videlicet uncias perſolventes, quas dominus Anshelmus piæ memoriæ abbas ex proprio ſuo exemit & eidem eccleſiæ pro anima ſua contradidit. Hoc autem coram Domino teſtificamur, quod prædicta vinea quando tradebatur, in tantum fuerat annihilata & devaſtata, ut nec dimidia ama vini poſſet inde extorqueri. Ad hoc etiam ne fratres noſtri defectum præbendæ ſentiant, & ne villici quiddam querimoniæ amplius inferant, decimationis partem ex juſtitia noſtra in monte qui cognominatus eſt Mulenberg, addidimus: quæ ſingulis annis quando minus eſt, pluſquâ carradam, quando autem maius, pluſquam duas vel etiam tres perſolvit. Quoniam verò decimatio ejusdem vineæ ab anteceſſore noſtro Geroldo abbate fratribus, qui etiam ſunt in Abrinsberg in ſuperiori monaſterio prius beneficiata fuerat, ex alia quæ ad menſam noſtram adhuc pertinet uinea, ſcilicet Butenſtal, decimationem ſimili modo concambi-

concambitam cum eisdem fratribus aſſenſu eorum benigno extorquebamus, & ita omnia in vnum contracta prænominatis fratribus (ut dictum eſt) dono donavimus. Vt hæc autem commutatio firma ſit & inconvulſa, primum confirmata eſt coram fratribus in Capitulo, deinde apud præfatam villam Hantſcuhesheim coram Advocato & univerſa familia in placito. Et quia commune fratrum fuerat conſilium, & ex utraque parte utilitas, placuit eandem confirmationem litteris per ordinem conſcribi & ſigillo ſancti Nazarii inſigniri. Huius vero rei teſtes ſunt Diemo abbas, & de monachis Diemo camerarius, Wezel præpoſitus, Burkardus decanus, Erinbertus portarius, Marquardus, Gerlach, Diemarus, Ludewicus ceterique per ordinem. De laicis autem Cunradus advocatus. De ſervientibus Arnoldus, Rumhardus, Gernod, Hartbertus. De familia Hildebertus, Marcolfus, Anshelmus, Ebbo, Reginbodo, item Marcolfus, Hildibertus, Bobbo, Diepoldus, & alii plures. Acta ſunt autem anno Dominicæ incarnat. MCXXX. regnante Lothario Romanorum Imperatore Auguſto. Marquardus ſolo nomine monachus ſcripſit hæc feliciter, Amen.

Privilegium ALEXANDRI *Papæ III.*

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Sigehardo abbati monaſterii ſancti Nazarii Laurishamenſi, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur, quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii noſtri juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium, in quo divino eſtis obſequio mancipati ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus qui ſecundum domini & beati Benedicti regulam in veſtro monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata

permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum in quo præſcriptum monaſterium conſtructum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, vetus monaſterium cum pertinentiis ſuis, Abrinesberg cum pertinentiis ſuis, Michelſtat cum pertinentiis ſuis, Capellam cum pertinentiis ſuis. Sanè novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumtibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus omninò à vobis decimas vel primitias exigere præſumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos è ſeculo fugientes, liberos, & abſolutos recipere ad converſionem, & in veſtro monaſterio absque contradictione qualibet retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in loco veſtro profeſſionem fas ſit de eodem loco abſque licentia abbatis ſui niſi obtentu artioris religionis diſcedere: diſcedentem verò ſine communi litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, non pulſatis campanis, excluſis interdictis & excommunicatis, ſubpreſſa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati, vel interdicti ſunt nullus obſiſtat: ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumunt. Adhæc vobis ex benignitate ſedis Apoſtolicæ indulgemus, ut ſine damno vicinarum Eccleſiarum cellas in locis veſtris, vel oratoria conſtruendi cum aſſenſu diœceſani Epiſcopi licentiam habeatis. Prohibemus inſuper, ne tu fili Abbas, vel alius, poſſeſſiones, decimas, oblationes, ſeu alia bona ipſius monaſterii ad menſam abbatis ſive ad victualia fratrum, juſtitias obœdientiarum, aut ad præpoſituras pertinentia inbeneficiare, vendere, locare, vel alio modo quolibet ſine communi fratrum conſenſu vel majoris & ſanioris partis alienare præſumat: quod ſi factum fuerit, juribus carere ſancimus. Præpoſituras cellarum veſtrarum & obœdientias monaſterii tantum monachis capituli veſtri ſapientibus viris, ſalvis earum rebus, ſtatuimus committendas. Advocatis etiam ipſius monaſterii ſub interminatione anathematis prohibemus, ne cuiquam liceat in poſſeſſionibus ipſius monaſterii caſtella vel munitiones alias conſtruere, familiamque ſive colonos eccleſiæ novis & indebitis exactionibus fatigare, vel Abbati in juſtitiis eccleſiæ requirendis ſeu obtinendis auſu temerario contraire. Obeunte verò te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum

quo-

quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendam. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat ſupradictum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra & illibata ſerventur eorum quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate, ſub cujus jure & patrocinio conſiſtunt. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemtoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicē præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Ego Alexander Catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Ego Hubaldus Hoſtienſis epiſcopus. Ego Cunradus Salzburgenſis eccleſiæ humilis miniſter & Sabinenſis epiſcopus, &c. Data Lateranis per manum Alberti S. Romanæ eccleſiæ presbyteri Cardinalis & Cancellarii VII. Idus April. Indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno M C L X X I X. Pontificatus verò domini Alexandri Papæ III, anno ejus X X.

DE SYLVA OTTONICA HOC

Documentum adiicere viſum.

Donatio Heinrici II. Imp. de banno foraſtis in Otenevvalt.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Si noſtræ pietatis aurem maximè in eccleſiaſticis rebus augendis præbemus petitionibus noſtrorum fidelium, divinæ pietatis ſuper nos reſpectum magis inde credimus affuturum, eosque circa nos ſagaciores ſerviendo efficimus ac devotiores.

devotiores. Quapropter omnium tam præſentium quam futurorum noſcat induſtria, quod Bobbo ſancti Laureshamenſis cœnobii venerabilis abbas noſtræ celſitudinis adiit culmen, ſibi ſuæque eccleſiæ in honore ſanctorum martyrum conſecrata Naboris & Nazarii, exorans foreſtem bannamque ſilvarum concedi. Cui pium præbentes aſſenſum, foreſtem cum banno conceſſimus, ab Aquilone in Cunthichun tendentem, & inde ſurſum in longitudine in Orientalem ſcilicet plagam per medium ſaltum Nobbenhuſon dictum, & inde ſe habentem ad rivum qui dicitur Branbach, uſque ad arborem Lachbuocha* dictam, inde vero in meridianam plagam ad Lutram, atque inde deorſum uſque in fluvium Nekar dictum. inde autem uſque ad villam Niwenheim, hinc vero deorſum ad villam Bikinbach dictam, iſtinc autem ad aliam villam Richinbach vocatam, & ſic quidem per deorſum uſque ad locum Cunthichun primitus dictum: eo rationis tenore, ut ipſe prædictus abbas ſibique ſuccedentes in perpetuum habeant atque poſſideant, nulluſque in ea ſine ipſius licentia venandi aut capiendi aliquid poteſtatem habeat. Hæc ergo quo firmius atque inconvulſius per futura tempora poſſint perſiſtere, propria manu firmantes inſigniri juſſimus ſigilli noſtri impreſſione. Signum domini ſecundi Heinrici Regis invictiſſimi. Guntherius cancellarius vice Erchambaldi archicapellani recognovi. Data IIII. Id. Maii. Indict. X. anno Dominicæ incarnarionis MXII. anno vero domni ſecundi Heinrici regnantis X. Actum Bauenberg feliciter, Amen.

* i. fagi terminalis.

Item de terminis ejuſdem foraſtis.

SI quis vero ſcire deſiderat evidentius, quorſum tendat foreſtis bannus in ſilua Ottenewalt, Laureshamenſi eccleſiæ regia auctoritate conceſſus; ſubdeterminata loca vallium, montium, ſaltuum, rivulorum, fluminum, arborum diligenter conſideret. Tenet namq; bannũ in loco qui dicitur Getwinc. inde ad montẽ Malſcũ inde extenditur ad Velisberg. deinde ad Betenkiricha, poſtea ad Luddera. Deinde ad Wintercaſto. dehinc in Lutenhaha. inde in Eberbach. poſt in Gaſpéza. inde in Abbatisbach Deinde ultra Cuninges, bach. poſt in Birkunhart, tunc in Kincicha. Deinde ultra fluvium Mininingaha: poſt in Widelabach. Deinde in Branbach. tunc in Aranbach, inde in Wallendenbrunno. Deinde ad magnam quercum, deinde per deſcenſum Bremaha. per Wllonobach aſcenſum,

& per

& per deſtructam W llonoburg. Inde in fluuium Enteraha, tunc per ejus deſcenſum in flumen Nekar. inde per deſcenſum Nekar uſque Nuinheim. Inde in plateam montium*, & per hanc usque ad ſupradictum locum Getwinc. Quisquis igitur in his locis vel infra hos terminos quippiam venationis ſeu piſcationis abſque licentia Laureshamenſis abbatis exercere præſumerit, ſciat ſe ipſi Abbati compoſiturum Imperialem bannum.

Hodie Bergſtraſſe.

DE HEIDELBERGA

& vicino agro,

JOHANNIS BASILII HEROLDI

Obſervatio

E libro, De ſtationib. legionum in veteri Germania, cap. XII.

MErcurium inter deos, Germanos præcipuè coluiſſe novimus, eique nomen illud quo divinam bonitatem effamur, indiderunt, Gůt ſive Gott illum appellantes: ſilvæ quoque Martianæ eam partem eidem dedicarunt, quam hodie Gůdenwald ſive Odenwald dicimus. Ipſum verò Deum abſque ulla ſpecie earum rerum quæ videntur, in ſecreto colebant, perſuaſi reverentia quadam loci, & mentis oculis ipſum videri: quod quidem apud primos Germanos, veri Dei verum cultum repræſentabat. Ob id quoque religio locum illum adeò nobilitarat, ut mons in quo illi à Druyde operabatur, der Heyligeberg (quod nomen adhuc retinet) diceretur. Extat autem locus ille ſacer, ſpecu horrendo tremendus, Heydelbergæ oppoſitus. At majores noſtri, qui armis Romanorumque potentiæ ceſſerant, ſive Imperatorum quorundam benevolentia devincti, & ritus & ſacra externa quoque nonnullis in locis recipiebant. Erat, de quo ſupra diſſeruimus, Antoninorum temporibus Iulianus Didius, vir Conſularis, qui quidem ſub Pio Evocatorum ordines ducebat. Bello verò quod cum Marcomannis à Pio ſuſceptum erat, exercitus Rom. in acie jam procinctus & paratus, morbo, vulneribus, ardore Solis & ſiti divexabatur, adeò ut ipſe Imperator magna ſollicitudine diſtraheretur: cum Legio XII. (quæ ex eventu *Fulminatrix* poſtea dicta fuit) Chriſtianis ſacris imbuta, precibus ſuis magnum Dei Opt. Max.

beneficium impetraret, tempeſtatem ſcilicet ac aëris horrendam perturbationem, in qua ad ſitim extinguendam imbres vehementiſſimi Romanis effundebantur, fulmina verò horrenda & tonitrua deferebãtur in hoſtẽ. His parta victoria. Qui perſuaſioni Chriſtianæ adverſabantur, ii rem tantam Mercurio tribuebant, ac exoratum ab Arnulpho quodam Ægyptio pluviam demiſiſſe. Quapropter in periculo conſtitui, cum permulti (ut fieri ſolet) ſuperum auxilia votis interpellarent; Didius huic Mercurio, quem à vicinioribus Germanis colere didiciſſet, quod tum voverat, eo in loco ſignum poſuit, quo reverentia maxima & plurimum colebatur Deus. Signi verò poſiti monimentum adhuc extat, inſertum parieti ſpectanti ad occidentem, in æde quam nunc vocant *Omnium Sanctorum*, in ipſo monte de quo antea diximus. Quæque adhuc legi ex eo poſſunt, ita ſe habent:

MERCVRIO
BASEM CVM SIGNO
IVLIAN. DIDIVS
EVOCATORVM DVX
V. S. L. L. M.

Evocati autem, ut de iis nonnihil dicam, à Dione lib. LV. ita deſcribuntur: *Batavorum equitum exprimere nequeo numerum, neque evocatorum: hi enim ingruente vi majori, tumultu deligi ſolent. Horum opera uti cœpit Auguſtus, ſecundo contra Antonium bello. Erant autem milites qui ſub patre ejus C. Iul. Cæſ. meruerant. hos etiam deinde alere cœpit. ordines habebant à cæteris diſtinctos. omnes quoque more Centurionum, cum vitibus incedebant.* Hæc ille. In ſequentibus annis in ordinem Evocatorum recipiebantur Equeſtris ordinis juvenes, qui circa Principẽ excubias agebant, loco militum, aut qui ex nobilioribus in Provinciis urgente hoſte, tumultuariò conſcribebantur, ſive qui beneficio Principis in militiam legebantur; quibus homines ſago & toga clariores, item fortitudine aut gratia apud Principes valentiſſimi præficiebantur. Talis erat Iulianus hic noſter, qui deinde Principis juſſu, & ſanctè & diu hanc regionem rexit, præfectus ſcilicet Legioni XXII Antoninianæ. Quo tempore & ædiculam illam quæ ſupereſt, extruxiſſe eum puto: quam cum Romani *Sacellum* vocarent, noſtri ut in hiſce vocabulis fieri aſſolet, Zum Capelle dixerunt, deinde Romani iterum in *Capellatium* detorſerunt. Antoninus interim Philoſophus in Sarmatas exercitum parabat. Iulianus juris ſtudio clarus, & ſacrorum avitorum obſervantior, ſub monte Mercurio ſacro,

Prætorium

Prætorium ædificat (ſolebant autem Romanis *Palatia* dici, ubicunque manſio ſive domus Imperatoris aut Præfecti erat) cuius veſtigia ampliſſima, & ædificia vetuſtiſſima viſuntur eo in loco, ubi nunc neſcio cujus ſodalitatis * domus magnificæ extant. Ab incolis igitur, quod in plano extructum erat, ædificium Die Palatz dicebatur, quod deinde in Pfaltz commutatum fuit. Id quidem Ammianum minime fugit. ejus enim verba ſunt: *Ad regionem, cui Capellatii vel Palas nomen eſt.* Per eos etenim cc. annos, quæ Iuliani hujus I. & Iuliani II. Imperatoris tempora interceſſerant, legionum Germaniam cuſtodientium Prætorium Palatinum, hoc in loco perdurasse, conſentaneum eſt. Vnde fœlici ſydere Palatinatus jacta fundamenta fuiſſe prima, circa annum Chriſti CLXXVII. temporum certa ratione comprehendi eſt. Nomen quoque acceſſiſſe tractui illi, atque prærogativam, qua divina benignitate Principes noſtri in hunc diem usque ornantur, ut ſacroſancta poteſtate, à Principe, Præfecto Palatii nemo alius habeatur proximior.

* *Benedictinorum.*

Hunc totum Heroldi locum carmine expreſſit Bernhardus Mollerus in Deſcriptione Rheni lib. II.

DE MANHEIMIO

Ex eodem lib. cap. XV.

SOlebant equidem Romani, præcipuè iis in locis ubi fluviorum erant confluentes, ad tutandas res, propugnacula & munimenta erigere, eaque ad exornanda templa cultu & ſacris religioſiſſima extruere. Hoc ipſum confirmant Iuliani & Annii Veri, in Cantſtat ubi Rems Neccaro, in Manheym ubi Neccarus Rheno ſe infundunt, elogia reperta. qui quidem viri Conſulares, ad Imperium ambo evecti ſunt. At audiantur inſcriptiones:

IN. H. DD. IOVI ET	IN. H. DD. IOVI ET
IVNONI. REG. ET.	IVNONI. REG. ET.
GENIO· LOCI. ET. GRI-	GENIO. LOCI. ET. DD.
ONIS. S. R. AN. VER	OMNIB. P. S. F.
VS. MIL. LEG. XXII.	DIDIVS. IVLIANVS.
ANTONINIANÆ. BF.	LEG. VIII. AVG. AN-
COS. PRO. SVA ET.	TONINIANÆ. BF.
SVOR.	COS.

SVOR. DIV. ANTON. COS. PRO. SAL. SVA.
ET. SVOR. STAT.
ITERATO. POSVIT.
IMP. D. ANTON. AVG.
PII. ET VERI.

Legiones VIII. & XXII. cæteris in Germania prælatas fuiſſe, qui hujusmodi inſcriptiones judicio aliquo conſiderant, Germaniam quoque Antoninorum præſentia & majeſtate exornatam, intelligunt. Pius ſiquidem, Philoſophus, & nobis Germanis ſuper omnes commodus hanc unam provinciam, dignam exiſtimarunt, in qua & multum viverent, & exercitum nobis conjunctiſſimum ſplendidiſſimumque alerent.

INDEX CAPITVM.

* P. PITHOEI IC. Obſervatio de Comitibus Palatinis, tam Germaniæ quam Galliæ, & aliis, e Gallico tranſlata. pag. 1

* Hiſtoriola de exordio Capellæ Travvenbachæ. 16

I. Comitis Palatii dignitas antiquitus quæ fuerit apud Romanos & Francos: item de Curopalate, & Majore Domus. 24.

II. De diverſis generibus Palatinorum: & unde dictos putent Palatinos hodiernos. Vbi de Palatio Treverenſi, & Capellatio, aliiſque locis. 32.

III. De Rheno fluvio, limite Romano. Comes Rheni olim. Palatini Rheni unde ſignanter dicti. Pagi Rhenenſis Comes. Rheno illabentia flumina præcipua. 39

IIII. De Nicro fluvio, limite poſteriore. Præſidia ad eum Romana, in montibus Abrinsberg & Heidelberg. Lupodunum Auſonii, poſtea Lobdeburg dictum. Manheim. 46

V. De veteri Germaniæ in Pagos diviſione, & Centenas. Pagorum eorum Noticia ſub regno Francorum. 54

VI. De Pago Rhenenſi, & in eo Cœnobio Lauriſhamenſi. Sepulchra ibi Regum & Principum veterum. Noticia villarum ejuſdem Pagi, cum quibuſdam earum antiquis terminationibus. 63

VII. De Pago Lobodunenſi. Caſtrum Lobodo, quod olim Lobodunum Auſonii. Noticia Villarum ejus Pagi, & Pagi Neccergovve. 73

VIII. De Monte Abrinsbergo. & in eo cellis S. Michaelis, & Stephani. Hodie Mons Sanctus unde dictus. 81

VIIII. PAVLI MELISSI Franci Commentatiuncula de Etymo Haidelbergæ, & monte Myrtillifero. 86

X. De origine & incrementis civitatis Heidelbergæ Palatinorum ſede. Caſtrum, burgum, Suburbium, Templa, Academia, alia. 96

XI. Veterum Palatinorum ſedes ad Rhenum, Moſellam, Nicrum. Pallentiæ. Advocatia Treveris. Meineſeld. Stalecke. Bacharacum. Pfalzgreveſtein. Alia. 105

XII. De familia Ducum Boiariæ, inſerta Palatinæ, per connubium Ottonis Ludovici F. Boiariæ Ducis cum Agnete Henrici Palatini F. 114

XIII. De inſignibus armiſque utriuſque familiæ, Palatinæ & Boiaricæ. Leo Palatinus. Boiorum virgata ſagula. 117

XIIII. De admirandis incrementis potentiæ Palatinæ, in hocce præſertim

tractu. 121

XV. *De ampliſſimis dignitatibus familiæ Palatinæ, Archidapiferi Imperii, ejusque inſigni globo crucifero; Electione Regis & Imperatoris; Vicariatu in tractu Rheni; & Cognitione in ipſum Imperatorem.* 122

XVI. *Iterum de Vicariatu Imperiali in tractu Rhenenſi. Formula ejus ſub Ruperto Palatino Rege. Cognitio ſuper cauſis Regi vel Cæſari intentatis.* 131

XVII. *Catalogus Electorum Palatinorum è domo Bavarica. Eorum Conjuges, emortuales, ſepulturæ indicatæ.*
Cum additione ſequentium Electorum ex eadem domo a Friderico V. uſque ad id tempus quo hic liber denuo recuſus eſt. 14[illegible]

ORIGINUM.
PALATINARUM
PARS SECUNDA.

DE COMITIVÆ PALATINÆ origine & dignitate. Palatia Imperialia. Comites Palatini inter Principes. Palatinatus Rheni juſtus Ducatus.

CAPUT I.

UT ROMANORUM DIGNITAtum titulos & pompam, quibus illi tantopere ſibi placebant, Germani faſtidiebant, quod Anonymus ille auctor Theodoſiani temporis teſtatur, *Cum Barbaræ nationes*, inquit, *neque facundia polleant, aut dignitatibus illuſtrentur:* ita veterem illum in ſua gente receptum Comitum ordinem, cujus Tacitus & Cæſar multam mentionem habent, retinebant & amplificabant. Itaque in aula & palatio ſuo Reges Gothi, Franci, Longobardi officia honoratiora pleraque in Comites dividebant. Unde natum Comitem Stabuli videmus, qui deinde corruptè *Coneſtablus* & Κοντοςαυλὸς: & Comitem Scancziarum ſive triclinii & abaci, qui hodieque Gallis *Eſchanſon*, â noſtro *Schencken:* & ante omnes Comitem Palatii, qui olim apud Romanos Cæſares Magiſter & Decurio Palatii, & Cuſtos,

ſtos, & Cura palati; poſtea Francis Rector & præpoſitus præfectusve Palatii, Comes Aulæ, Major domus: quæ omnia ſive unius ejusdemque ſive affinium certè & junctarum dignitatum nomina, forte fruſtra fuerit ſubtilius diſtinguere. Summam certè ejus poteſtatem & proximam à Rege dignationem fuiſſe conſtat: & argumento eſſe poteſt vel illa Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi literarum inſcriptio ad Grimoaldum Majorem ſive propoſitum Palatii ſub Sigeberto Rege: *Domino inluſtri, totius aulæ imoque regni rectori, Grimoaldo Majori Domus, Deſiderius exiguus ſervus Dei.* Et Stephanus Abbas Leodienſis in vita B. Modoaldi: *Ea tempeſtate Dagobertus rerum potiebatur; ſub quo idem Dux, dignitate modicum à ſublimitate Regia differente præditus, omnia regni negotia prudentiſſima diſpoſitione ordinabat.* Et quod Sangallenſis Monachus in vita Caroli M. ſcribit de Legatis Regis Græcorum: *Quo cum venirent, videntes Comitem Palatii in medio procerum concionantem, Imperatorem ipſum eſſe ſuſpicati, terra tenus ſunt proſtrati.*

Lib. 1. cap. 9.

Quod autem proprium & potiſſimum Palatii Comitis munus & officium fuerit, quis nobis melius exponet Adhalardo, quem ſenem & ſapientem Domini Caroli Imp. propinquum, & monaſterii Corbeiæ Abbatem, inter primos Conſiliarios primum ſe vidiſſe teſtatur Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus: eundemque Comitem Palatii ſui fuiſſe ipſe Carolus alicubi meminit. Is librum compoſuit (cujus nonniſi exiguum fragmentum apud me ſupereſſe, ſeriò doleo) hoc titulo: *ORDO Palatii & Reipublicæ diſpoſitio, qui ſub Imperatoribus Pipino & Karolo Francorum gerebatur, per Adhalardum venerabilem Abbatem literis commendatus ad memoriam & inſtructionem futurorum.* Summam tamen ejus Hincmarus illo loco conſervavit, & in ea, quæ huc faciant, iſta: *Comitis Palatii inter cætera penè innumerabilia in hoc maximè ſollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium Palatium ingrediebantur, juſtè ac rationabiliter determinaret, ſeu perverſè judica-*

Epiſt. 3. edit. Moguntiæ cap. 12. Lib. V. Capitul. cap. 151.

judicata ad æquitatis tramitem reduceret; ut & coram Deo propter juſtitiam, & coram hominibus propter legum obſervationem cunctis placeret. Si quid verò eſſet tale, quod leges mundanæ hoc in ſuis definitionibus ſtatutum non haberent, aut ſecundum gentilium conſuetudinem crudelius ſancitum eſſet, quàm Chriſtianitatis rectitudo vel ſancta authoritas meritò non conſentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur: ut ipſe cum his qui utramque legem noſſent, & Dei magis quàm humanarum legum ſtatuta metuerent, ita decerneret itaque ſtatueret, ut ubi utrumque ſervari poſſet, utrumque ſervaretur; ſin autem, lex ſæculi meritò comprimeretur, juſtitia Dei conſervaretur. Ex quo loco inter alia apparet, eum ſubinde ad ipſum Regem pro cauſarum gravitate retuliſſe. Quo pertinet Lex Carolina: *Neque ullus Comes Palatii noſtri potentiores cauſas ſine noſtra juſſione finire præſumat.* *Lombard. lib. 1 1. Tit. 46.*

Porro ut olim Auguſti Cæſares tam extra Urbem quàm in ea, diverſa palatia & prætoria habebant, ut Mediolanenſe, Aquileienſe, Trevirenſe, alia, omnia ſummæ venerationis & majeſtatis, ut leges eorum paſſim ſanciunt; ita & noſtri hac quoque parte illos ſecuti, inter Regalia retulerunt *Palatia in civitatibus conſuetis.* Et Romæ quidem Lateranenſe ſummæ antiquitatis principatum tenuit, auctore Onuphrio Panvinio: quod certum & peculiarem quendam in Urbe Comitem habuit, cujus inter alia eximius ille honor & munus fuit, Imperatori conſecrando in actu inaugurationis aſſiſtere & miniſtrare. Quem Comitatum ab uſurpatione Pontificum receptum, & Imperio vindicatum, Caſtrucio Caſtracani primo Duci Lucano Ludov. Bavarus Imp. contulit Romæ an. MCCCXXVIII. ut in ejus vita apud Aldum Manutium edita inſertum diploma fidem facit. Fuit & Ravennate palatium, quod Exarchos nomine Byzantinorum Cæſarum; & Papienſe, quod Longobardorum Reges; & Agrippinenſe, quod Pipinum Majorem Domus habitaſſe legimus, in loco ubi hodie eſt monaſterium S. Mariæ in Capitolio. Sed & Trevirenſe illud quanti nominis fuerit, alibi eſt à nobis expoſitum. A quo tamen ſi originem duxiſſe

L. XVI. C. de operib. publ. L. 1. C. de palatiis, &c. Tit. Quæ ſint regalia.

Orig. Palat c. 2. & 11. & ad Chrō. Bav. p. 11.

duxiſſe noſtros Palatinos (ut aliqui vetuſtiores volunt) quis pertendat; ratio quærenda fuerit, quandoquidem illud ad Moſellæ fluenta ſitum eſt, unde hiſce Rheni poſtea agnominatio adcreverit. Quod non mirabitur, qui viderit Palatium quidem in urbe Treverica, & ad ſecundum inde lapidem Palatiolum in ſiniſtra Moſellæ ripa extare; Pallentiam autem utramque (regionem & comitatum ita dictum) à Moſella ad Rhenum uſque extendi, & plurimas inſuper ad utramque Rheni ripam in ea orâ poſſeſſiones Palatini juris jam tum fuiſſe: ut non abs re Guntherus de Palatino dixerit:

Pallaſt. Pfalßel. Groß und klein Palleng.

Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

Illud interea obſervatu dignum eſt, Comitivam Palatii ob tantam muneris excellentiam, jura principatus & prærogativam ſupra communem Comitum ſortem continuiſſe: quod in Palatinis Rheni, Saxoniæ, Elſatiæ, Burgundiæ, Campaniæ, Hannoniæ, Selandiæ, & aliis eſt manifeſtum. Atque ideo nonnullos etiam Comites ſub Palatini nomine Principatus ἀξίωμα geſſiſſe. Ut non abs re Livius ille Bojorum, Andreas Ratiſponenſis, quod ſcripſerat; *Arnolfus igitur Rex caſtrum Scheyrn in terra Bavariæ conſtruens, Comitatus Palatinos ibidem inſtituit;* idem in Teutonica verſione reddiderit, Gefürſtente Graffſchafften. Ex quorum genere fuit & Ottho ille Palatinus de Wittelſpach, cujus in diplomate quodam mentio, inter alios teſtes: *Otto Comes Palatinus de Wittelinſpach, & alii ex Principibus quamplurimis.* Lego etiam (quod in honorem illuſtriſſimæ ejus familiæ lubens merito adſcribo) Rapotonem Comitem Palatinum, & fratrem ejus Henricum, Comites de Ortenberg, inter alios teſtes rei geſtæ adhibitos, in diplomate quodam Friderici II. Imp. de Anno MCCXXX. Et eosdem alibi: *Ego Rabodo Comes Palatinus, & ego Heinricus, Dei gratia dicti Comites de Orthinburg, univerſis, &c. Actum ſolemniter Ratiſponæ, coram Rege Friderico, & Principibus ſubſcriptis, maximè autem procurante Ludovico Duce Bavariæ, anno MCCXVII.* Quibus

Chron. Bavar. pag. 31.

Chron. Reicherſperg. An. 1154.

Apud W. Hund. in Metrop.

bus locum addam Coſmæ Pragenſis, de Palatino quodam, vix dixero cujus gentis aut regionis, tempore Henrici III. Imp. Loquens enim de Wratislao Duce Bohemiæ, qui Romam legatos miſerat, *Ut tutius* (ait) *iter agere poſſent, committit eos Romani Imp. Palatino Comiti nomine Rapotæ, rogans eum nimio ſupplicatu, quo ſui Legati irent Romam, & redirent ſub ejus conductu. Nam tantæ poteſtatis hic Comes erat, quod uſque Romam per continuata loca proprias villas ſeu prædia, & per caſtella milites ſibi devotos habebat; qui & ex parte Ducis prædicti* CL. *marcas argenti annuatim pro beneficio accipiebat.*

Lib. 11. hiſtor Bohem. fol. 38. & 47.

Quantum autem inter Comites eminebant iſti Palatini, tantum inter ipſos Palatinos & Principes aliqui Archiduces Palatini. Ita vocavit Fridericus Imp. illos majorum (ut ita dicam) gentium Principes, qui Palantias poſſidebant, & ipſi Illuſtres ſubvaſallos habebant: de quibus inſignis eſt locus in Speculo Saxonico: *Qualibet provincia Teutonicæ terræ ſuum habebat Palantzgravionatum, Saxonia,* * *Bavaria, Franconia & Suevia: quæ antequam a Romanis ſuperabantur, Regna fuerunt, à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata. Attamen Illuſtres in vaſallos, & vexillorum feuda obtinuerunt.* Quibus exæquavit Fridericus Imp. Duces Auſtriæ, in nobili illo privilegio: *Si quibusvis Imperii Curiis publicis Dux Auſtriæ præſens fuerit, unus de* PALATINIS *Archiducibus eſt cenſendus: & nihilominus in conſeſſu & inceſſu ad latus dextrum Imperii poſt Electores primum obtineat locum.*

Lib. III. Artic. 53.
* Die Pfaltz Sachſen.
Vide edit. Zamoſciens. fol. 429.
Apud Cuſpinian. & Lazium.

Addo, quod ſi juſtus ex veteri Francorum lege Principatus adeoque Ducatus fuit, qui duodecim Comitatus contineret, ut eſt ab eruditis annotatum; optimo jure veterem Palatinatum Rheni vel inter primos eo nomine cenſeri debuiſſe: cujus hæc originaria & patrimonialia (ut Comitatus ſaltem enumeremus) ab antiquo erant membra; in ſuperiori quidem hac parte Comitia Stalbuhel, pagus Lobodunenſis, Comitatus Erpacenſis, Alzeianus & Bretheimenſis; in inferioribus verò Comitatus in Treveri urbe, utraque Pallentia, Meinefelde, Kirch-

P. Pith. 1. adverſar. cap. 8.

 berg,

berg, Spanheim, Veidentz, Wieda, Seyna, Nevvenar, item Solmes, Virneburg, Moubach, & alii: item Dominatus de Lacu, de Hengbach, Bilſtein, de quibus ſuo loco. Quæ tamen pleraque Comitum familiis jure beneficiario conferre, ſalvo principatu ſuo potuerunt.

DE RHENI PATRIS NOBILItate. Virdomarus Princeps, Rheni ſoboles. Imperii negocia ad ripas Rheni peragi ſolita. Periegeſis ditionis Palatinæ.

CAPUT II.

RHENUS fluvius veterrimis Græcorum diu incognitus manſit: Romanis bellando cognitus, atque ideo inviſus odioque habitus fuit. Unde pro horride, aſpero, inculto; ipſam regionem pro barbara; gentem pro effera, feroci, perfida traducunt; cœlum denique ipſum inclementiæ, rigoris & frigoris arguunt. Ut Gallus ad Lycorin ſuam apud Vergilium:

Ecloga ult.

Alpinas ah dura nives & frigora Rheni
Me ſine ferre potes? & Plutonis ſocrus apud Claudianum:

III. de raptu Proſerp.

Non Rheni glacies, non me Riphæa tenebunt
Frigora, non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.

Calumniâ tam frivola & delicata, ut ab homine Italo diſſimulari non potuerit: *Ad II. Kal. Julias*, inquit, *Colonia diſceſſi tanto ſole ac pulvere, ut ſæpe alpinas nives ac frigora Rheni a Vergilio requirerem.* Ille vero

Petrarcha Lib. I. epiſt fam. 4.

Nympharum pater amniumque Rhenus,
Quicunque Othryſias bibunt pruinas,

Martial X. epigr. 7

Germanorum Deus & numen patrium habitus. Tacitus V. Hiſtoriarum: *Rhenum & Germaniæ Deos in aſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam.* Cujus apud Coloniam Agrippinenſem ſigillum æneum repertum ipſi vidimus, ad figuram Tiberini patris,

patris, cum litteris, Deus Rhenus. Et quia Galliam à Germania à Barbaria (ut loquebantur) diſcriminabat; Latinis authoribus, præſertim Poetis, ſubinde pro hac ipſa uſurpatur, ut cum apud Petronium Julius jactat:

Pulſus ab urbe mea, Rhenum dum ſanguine vinco.

Martialis in apophoreto, *Victoria*, Domitiano de Germanici cognomento blandiens:

Hæc illi ſine ſorte datur, cui nomina RHENUS
Vera dedit, decies funde Falerna puer.

Atque en ipſum hujus nominis primum.

Sed omittere ſilentio non debeo antiquiſſimum ejus Principem Virdomarum (qui & *Viridomarus*, & Britomarus Floro, Oroſio, Jornandi, Ξ-ένιππον ſonat Scaligero) Gallorum, gæſatorum ducem, imo ipſius Dei Rheni progeniem & ſobolem. Ita enim Propertius meminit. VIRDOMARUS.

Virdomari, genus hic Rheno jactabat ab ipſo:
Nobilis erectis fundere gæſa rotis.

nimirum ut Nileus Nili, Aceſtes Crimiſi fluvii, Ocnus fatidicæ Mantûs & Thuſci filius amnis, imò & Achilles Thetidos natus habitus: quo exemplo & Meroveus Francus Neptuniam originem affectavit, quod alibi obſervavimus. Ut non abs re Nicobulus alicubi Rhenum εὐγενῆ vocet, & Nazianzenus, - - εὐγενέος Ῥήνου κελαδέντα ῥεέθροις. Quod Elogium hodierno etiam ſcribarum ſtylo obtinet. Der Edel Reinſtrom

Magna quoque deinceps inter Teutones Rheni patris reverentia ad majores uſque noſtros manſit: ex quo veteris imperii forma mutata, & - - *verſo Tiberim regit ordine Rhenus.* Neque abs re præcipua Imperii negocia ad rem publicam pertinentia in Rheni ripis peragi ſolita. Principes Electores ſuper caſibus Imperii conventus agere olim frequenter ad Renſe oppidum Rheni ſolitos, Annales notarunt; ubi ſedes regni Germanici *Guntherus 1 Ligurini* *Tomo meo German.*

manici

fol. 337. 427. 436. Königs-ſtuel bey Renſſe.

manici & thronus imperialis adhuc viſitur, cui electus Rex more majorum primò imponitur, & voce præconis (cujus tuba ibi à quatuor Electoribus Rhenenſibus in ſingulorum propriis caſtellis exaudiri poteſt) publicè pronunciatur, de quo alibi fuſius ſcripſimus. Palatinum ſuper querelis Cæſari movendis cognitorem futurum, ad Rhenum olim (quod poſtea Bulla Carolina catenus mutavit) Principes evocabant, ut Chronicon Altachenſe ad Annum MCCC. annotavit. Et Wenceslai exauctoratio apud Lanſtein oppidum, in ripa Rheni tribunali excitato, datâ (ut videtur) operâ ex adverſo ſedis illius regiæ, promulgata fuit. Viſuntur & hodie Regalis palatii apud Bodobricam reliquiæ, in ipſis ruinis majeſtatem veterem loci teſtantes. Jam telonea ad Rhenum, olim præcipuum Imperii nervum, & cenſum Cæſaris Cameræ deſtinatum: fœdus & conjunctionem quatuor Electorum Rhenenſium, eorumque monetam Rhenenſem quis neſcit? & memini alibi tetigiſſe.

Ad Andloi. pag. 80. & Bebenpurgu pag. 44

Königs-hauß bey Boxpard.

Rheinzölle

Churfürſt. Rheiniſche verein.

Rheiniſche gülden. *Præfat. de re monetar.*

Et hinc obſcurum jam eſſe non poteſt, quare inter alios Palatinos, quos Germania (ut dictum eſt) plures habuit, Rhenano plurimum honoris & prærogativæ fuerit delatum: cum is & ditiſſimus agri, ditionis, territorii eſſet, & quidem in optima illa & nobiliſſima totius Germaniæ provincia circa Rhenum utrinque rerum potiretur, jure bono gaudentem.

Hoc quoniam geminis frueretur judice ripis,

ut Claudiani verſiculum levi mutatione accommodemus. Præter enim bonam Franciæ Sueviæque veteris partem, quæque olim loca Catti, Tencteri, Bructeri tenebant, priſco patrioque jure poſſeſſam. Romanorum inſuper in portione Galliæ non pœnitenda (Germaniâ nimirum prima & ſecunda illis dictâ, & quidem ea ferè regione quæ olim V. S. Ducem Mogontiacenſem præfectum habebat) ſucceſſorem ſe jactare potuit; & illud quod Chariberto regi Franco Fortunatus poeta accinit, ſibi pro parte uſurpare:

Notitia Imp. fol. P.

Hinc mihi Barbaries, illinc Romania plaudit.

Et nos quidem dum tanti Principatus decora repetita iſta

ſcriptio-

ſcriptione, ex veteri quoad licet memoria illuſtratum imus, diviſionis hujus & interfluentis alvei memores, hunc certè patriæ honorem habebimus, ut quæ ad Orientalem iſtam ripam (ita enim reperio qui vocarent, & Romanæ Latinæque opponerent) ſita ſunt, ceu noſtro judicio nobiliora, priore loco expediamus. Quæ cùm ipſo fluminis rigore perſequentes, & Rheno deinde ad Belgii limitem tranſito, per adverſam ripam Romanis cultam remeantes, quandam velut periegeſin Palatini tractus, non inſuavem menti noſtræ (Deo bene juvante) abſolvemus.

DE FRANCIA ORIENTALI LATIſſimè patente. Theodeberti Francorum Regis ditio. Ludovicus Rex Germaniæ. Franconia hodierna, & Francicus circulus.

CAPUT III.

QUA in regione Francicum nomen primum natum ſit, quod ad æmulationem Romanorum, imò excidium, ſurrexit & excrevit, dubitare non poteſt qui cum veteribus auctoribus Vopiſco, Claudiano, Panegyricis, Tabulam illam veterem Itinerariam (quam magno rei litterariæ bono M. Velſerus edidit, & illa parte potiſſimum illuſtravit) contulerit, quo loco ſcriptum videbit: *Chamaui qui & Franci*, & Francia: quod quidem verſus Ubios & Bructeros uſque extendi animadvertet. Et quidem Francorum res in paludoſis & maritimis illis locis exortæ, magis magiſque in ſuperiorem & interiorem Germaniam ſe penetrarunt. Cujus rei idoneus inprimis teſtis Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 9. *Francos primum littora Rheni amnis incoluiſſe: dehinc tranſito Rheno Thoringiam transmeaſſe, ibique juxta pagos vel civitates Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe.* Et: *Chlogionem nobiliſſimum eorum Regem apud Diſpargum caſtrum in termino Thoringorum habitaſſe.* Ita quidquid Taciti tempore Chatti, Tencteri, Bructeri, Ubii, Uſipetes, Chauci illi, ſed

& Cheruſci, Hermunduri, Nariſci, Suevi denique ipſi tenebant, Franciæ nomen occupavit. Adeo proximum huic locum, quo hæc ſcribimus, ubi olim Gratianum Germana agmina in patentibus campis fudiſſe, & ultra Nicrum pepuliſſe certis veſtigiis obſervavimus, Auſonius gratulabundus ita tangit, precatione Conſulari:

Noti is ad geſta Friderici Palat. pag. 27. & ad Moſellam Auſonii.

Hoſtibus edomitis, qua Francia mixta Suevis.

Et Sidonius ad Nicrum noſtrum Francos ponit:

Bructerus, ulvoſa vel quem Nicer abluit unda

Prorumpit Francus - - ad natationem alludens, qua Germanos excelluiſſe Tacitus, Mela, Herodianus meminerunt. Claudianus vero ad Albin uſque progreſſos ſua ætate vidit,

- - *mediumq́; ingreſſa per Albin*

Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Et ad Viadrum tandem progreſſos, urbs clara domicilio Principis Electoris Brandeburgici, ab illorum vado ſive trajectu nomen habens, argumento eſt. Sed inſignis ante omnes eſt locus D. Hieronymi in vita Hilarionis Monachi, & expendi dignus: *Inter Saxones*, inquit, *& Alemanos gens extat non tam lata quam valida: apud Hiſtoricos Germania, nunc verò* FRANCIA *vocatur.* Quo quid aliud dicit, quam quidquid eſt gentium inter Oceanum Germanicum (cujus tunc accolas fuiſſe Saxonas, excurſionibus piraticis notos, nemo neſcit) & Rhætiis imminentes Alemannos, & quotquot olim Germanæ dictæ, in Francicum nomen tranſiiſſe. Neque aliud vult Agathias, illorum mentionem faciens: Προσοικοι τῆς Ιταλιας καὶ αγχιτέρμονες τὸ γένος τῶν Φραγγων εἶεν δ' ἂν ὗτοι οἱ πάλαι ὀνομαζόμενοι Γερμανοί.

Franckfurt an der Oder.

Nam & Saxones, & Friſii, Thuringique atque ipſi tandem Alemani Bajoariique, huic Franciæ tributarii facti. Habeo epiſtolam Theodeberti Francorum Regis ad Juſtinianum Imp. (quam cum aliis id genus ἀνεκδότοις, peculiari Tomo Francicorum rerum, Deo juvante edemus) ita inter alia profitentis: *Id vero*

quod

quod dignamini eſſe ſolliciti, in quibus provinciis habitemus, aut quæ gentes noſtræ ſint (Deo adjutore) ditioni ſubjectæ; Dei noſtri miſericordia feliciter ſubjectis Thoringis, & eorum provinciis adquiſitis, extinctis ipſorum tunc tempore Regibus, Norſauorum gentis nobis placata Majeſtas colla ſubdidit; Deoque propitio Wiſigothos, qui incolebant Franciæ Septentrionalem plagam Italiæque, Pannoniam cum Saxonibus, Eucis, qui ſe nobis voluntate propria tradiderunt, per Danubium & limitem Pannoniæ uſque in Oceani littoribus (cuſtodiente Domino) Dominatio noſtra porrigitur. Eaque Francia omnis diu poſtea Ludovico illi Germaniæ Regi, Pii F. Magni N. paruit, qui & Franciæ Orientalis, Franciæ transrhenanæ, item Germaniæ & Bajoariæ Regis nomen uſurpabat: & in monaſterio Lauriſhamenſi ad quartum hinc lapidem tumulatus quieſcit.

Ita in Cod. m. s. unico. Corrige quisquis potes.

Sed quorſum hæc tam multa de Francia? Nimirum ut illi hanc etiam regionem noſtram ab omni antiquitatis progreſſu, non temerè circa iſtam originem ambitioſi, adſcribamus: prout & nominatim in antiquis diplomatis hanc ipſam ita exprimi videmus: *Item in Francia in pago qui nominatur Lobodengovve* &c. Etſi non neſciam, etiam Franciæ nomen poſterioribus temporibus adhuc reſtrictiùs aſſumptum, de illa ſola ejus parte quæ ad Mœnum & Salam Fuldamque amnes ſita, modò *Franconia*, & ab ea ſignanter *Francicus circulus* dicitur: de qua in Gallo-Francia noſtra fuſiùs agemus.

Francken land. Franckiſch Kraiſe.

DE SVEVIA FRANCIÆ CONTERMINA. Pagus Creichgovienſis. Prurhein regiuncula. Obiter de Palatinatu ſuperiore.

CAPUT IV.

SED antequam Franciam iſtam propius ſalutemus, è Suevia primum, in qua degimus, bona cum gratia excedamus. Nam quod olim Auſonius de hac regione

dixit,

dixit, - - *quà Francia mixta Suevis*, id hodie etiam evidentius agnoſcimus; quando Nicer fluvius utramque regionem hoc ipſo loco diſcriminare creditur, & à dextra Franciam, læva Sueviam relinquere. Antequam igitur ponte tranſito Franciam ingrediamur, non omittenda nobis quæ in haccе Suevia juris Palatini agnoſcuntur: in queis præcipuus pagus Creichgovienſis, à fluviolo *Craich* perlabente nomen ſortitus, inter alia oppido Bretheim nobilis, patriâ ſcilicet Philippi Melanchthonis: in quem virum non minus convenit illud elogium, quam in quem ſcriptum eſt:

Scilicet hoc uno meruit Germania, quidquid
Laudis habet Latium, Græcia quidquid habet.

Greichgoviæ porrò accenſetur etiam regiuncula illa ad Rhenum tendens, quæ vulgo (neſcio qua nominis origine) *Prurhein* dicitur, Epiſcopo Spirenſi maximam partem ſubdita, nonnullis Palatinici juris interſperſis, quæ ad præfecturam Bretheimenſem pertinent, cum qua & Prurhenicus ille tractus paſſim permixtus. Oppidum in eo præcipuum Bruchſella, ſatis vetuſtum: quod olim auctoritate Henrici Imp. commutatione inter Ottonem Sueviæ Wormatiæque Ducem & Burchardum Epiſcopum Wormatienſem inita, pro domo ſeu caſtello ipſius Ottonis intra Wormaciæ muros ſito ipſi traditum fuit, ut in vita B. Burchardi legitur: *Iſtis ſimilibusque ſententiis res iſta eſt finita, & quædam villa quæ dicitur Bruchſella, cum omnibus utilitatibus & appenditiis, pro hac domo in commutationem Duci tradita eſt.* Poſtea circa annum M. V. à Conrado II. Imp. ejusque conjuge Giſela, ſub Gualthero præſule, Spirenſi Epiſcopatui cum adjacente ditiuncula donatum, Iſengrinius annotat. De hoc pago cum extet elegans oratio Davidis Chytræi, & ſæpius edita, & aliâs à nobis recuſa; nihil addam, præter Noticiam villarum aliquantulo locupletiorem.

Brueſſel.

In Spira pag. 177. Appendice tom. 1.

NOTI-

NOTITIA VILLARUM IN PAGO

Creichgovve, vel *Creickovve*, vel *Crebegaue*; ab inde temporibus Carolinis, & proximis ſequentibus.

Alaholfingen. Alaholfincheim.
Albingheim.
Aſchinbrunnen.
Autinesheim. Avvinesheim. Avvinsheim. in Comitatu Sigardi.
Barchuſen.
Bretteheim. Brethaheim. [Bretheim. patria Phil. Melanchthonis. Fuit aliquando comitatus, ut infra not. in *Odenheim.*
Burbach.
Cimbern.
Cudrincheim.
Dagoluingen.
Ecgerates.
Flancheim. Flanicheim. Flaningheim.
Geltolfelshuſen.
Gemmincheim. [hodie, Gemmingen.
Gosbotesheim.
Grunbach.
Hadendesheim. Hadandesheim.
Hadolfesheim. Heidolfesheim. [hod. Heidelsheim.
Helmolfesheim.
Hicbodesheim.
Hubeſtat.
Lobefeld cœnobium conditum à Buggone Epiſcopo Wormamatienſe: auctore Trithemio in Chronico Hirſaug. ſub Anno MCXXXV.
Mencinga, Menzingun. [Menzingen.
Munigoldesheim.
Mulinhauſen.

Muncinesheim.

Mulnen.

Nuzloh. [Nußloch.

Odenheim. Otenheim. Hodeheim. Tranſiit poſtea in cœnobium. Fridericus Imp. in fundatione ejus Anno MCLXI. *Cœnobium in Epiſcopatu Spirenſi ſitum, in pago Crehegaue, in comitatu Bretheim, juxta villam Odenheim, quod dicitur Wigoltesberge,* &c. Tandem translatum in oppidum *Bruchſal* vicinum, ubi hodie reſidet.

Oſtringen. Oſtrincheim.

Radincheim.

Rinkilinga. Rinchelingen. Rinchinling.

Reockheim.

Sickinheim. [Sickingen.

Turmenzer-marca.

Vckelingen. [Ufflingen.

Wezzenloch, villa, in comitatu Megingaudii Cunonis F. Comitis.

Wigoldesberg, vel *Weigelſperg.* Cœnobium poſteà in *Odenheim* translatum, hodie in *Bruchſal*, collegium Canonicorum nobilium.

Ziuternheim, *Ziuterna* villa. [Seitern.

DE PALATINATU SUPERIORE.

Denique dum in Suevia vagamur, haberemus etiam quæ de ſuperioris (qui vocatur) Palatinatus locis quibusdam inſignibus, Amberga, Neuburgo, Novoforo, cum præfectura Perngavv, aliisque diceremus: quæ quidem in Suevia magis quàm Bavaria ſita, donatione Conradini Conradi Regis F. ultimi Sueviæ Ducis, Palatinorum Ludovici & Henrici è ſorore nepotis, ad Palatinatum perveniſſe, eamque donationem à Rudolfo Rege

Ober-Pfaltz.

Rege & Electoribus confirmatam fuiſſe didici. Sed de hiſce remotioribus cum meminerim alibi à nobis actum, potius ad Franciam noſtram Orientalem tranſitum faciemus. *Epiſt. 2. ad D. Gerroldum.*

OSTRO-FRANCIÆ LOCA. Lupodunum. Veteranorum trans-rhenana prædia. Windoheim. Wiſogaſti patria. Windecke. Laurissa cœnobium. Triburia villa Regia.

CAPUT V.

IN Francia igitur iſta veteri Teutonica, primus memorabilis locus nobis occurrit civitas Lupoduna, Auſonii LUPODUNUM, pagi ſui caput. *Hod. Ladenburg.* Verè memorabilis; quia & vetuſtate nulli ſociarum vicinarumque cedit, & ſola unaque (adverte mi Lector) in omni Germania iſta cis-Rhenana, & barbarico veteri, nomen ſuum certo adſtruere & tueri poteſt. De qua cum & antehac ſatis annotaverimus, & nuper etiam peculiarem ei libellum tribuerimus, nihil hoc loco repetemus: *Orig. Palat. 1. cap. 8.* ſed ab iſto angulari monte, ad Nicri dextram liberioremque ripam, oppido noſtro imminente (*Abrinsbergum* Franca antiquitas vocavit. *Pyri montem* illum apud Marcellinum non abſurdè conjectant aliqui, neque vox *Abrinsberg* prorſus abludit) iter noſtrum exorſi, per continua montium juga, à quibus totus ille tractus amœniſſimus Stratæ montanæ, aut Viæ montium nomen accepit, impigre pergemus: & ſi quid in eundo, quod obſervationem mercatur, obvium habebimus, id velut ἐν παρόδῳ non indiligenter ſublegemus. *Ortel. in Theſauro.* *Bergſtraſſe.*

Generatim quidem & arces caſtellaque, iſtis jugis oportuniſſimè impoſita, antiquitatem quandam referunt, & Romanorum memoriam (quippe qui ſub Probo, ſub Gratiano, & Valentiniano, vanâ & fallaci dominandi cupidine Germanis negociũ faceſſere, quàm veteribus Imperii terminis contenti eſſe maluerunt)

runt) adhuc conſervant. Idque jam tum obſervatum Germaniæ illi Phœnici ſeriò lætor, & cum animi quadam voluptate hæcce ejus verba relego: *Sæpe gemens intueor & montes veſtros, & arces illas quas primùm à Valentiniano Imp. in Nicri ripis montibus veſtris impoſitas eſſe ratiocinor* &c. Et villæ quoque ſeu vici, tam ad radices montium, quàm in ipſa planicie verſus Nicrum Rhenumque poſitæ, ipſis nominibus primos poſſeſſores, veteranos dico Romanos, qui ex aſſignatione agros illos ex hoſtico acceperint, loqui videntur: & exemplum ſuppeditare ad locum illum Paulli J.C. *L. Titius prædia in Germania trans Rhenum emit, & partem precii intulit. Hæ poſſeſſiones ex præcepto Principis partim diſtractæ, partim veteranis in præmia adſignatæ fuerunt.* Quid enim iſtæ ordine villæ, *Nevvenheim*, *Doſſenheim*, *Scrieſheim*, *Weinheim*, *Heppenheim*, *Benſheim*, *Seeheim*, *Gernicheſheim*, *Bibelſheim*; niſi Nævii, Doſſeni, Sirici, Vinidii, Heppii, Baſini, Seii, Gernicii, Bibuli domos ſonant? Id enim eſt terminatio HÆMUM, quæ etiam in veteri illo *Bojohæmo* apparet, & *Magus* vel *Magum*, & *Dunum*, omnia Germanica vel Gallica.

Ph. Melan. epiſt. ad N. Ciſnerum 1540.

L. XI. D. *de evictiô.*

Böheim. *Regnum.*

Sed ante omnes illas obſervari mihi Weinhemium velim: cujus cum verum nomen prius reſtituero, deinde notabilem vetuſtatem indicabo. Scribitur enim in diplomatis Carolinis (ut antea notavi) *Winenheim:* & in fundatione Cœnobii Wiſenſteig data Anno DCCCLXI. regnante Ludovico Rege ſuper Orientales regiones, claris litteris ſcriptum lego: *Item in Francia in pago qui nominatur Lobetengavve, in loco qui dicitur Windenhaim, unam Eccleſiam ibi trado, cum mancipiis* &c. Idque verum & genuinum loci nomen eſſe, evincit caſtelli oppido incumbentis nomen hodieque manens, *Windecke:* eadem prorſus formâ oppido reſpondens, qua oppido *Lanſtein* ad Rheni & Loganæ confluentes, arx *Lanecke*, ita dicta quod in angulari & prominente monte ſita Loganam fluvium deſpectet, ut hocce fluviolum Wisgoz; qui ibi è faucibus montium in planiciem primùm effunditur, & pagum Rhenenſem pertranſit, donec

Orig. Pal. 1. cap. 7.

Windeck. Weinheim

Hodie Weſchnitz. *Ibid. p. 49.*

donec apud Stein villam Rheno miſceatur. Quod genus & alia, *Lautereck*, *Saneck*, *Vroneck*, habemus. Hoc conſtituto, cum in prologo Legis Salicæ legamus; *Extiterunt inter Francos electi de pluribus quatuor viri*, *Wiſogaſtus*, *Bodogaſtus*, *Salogaſtus*, *& Widogaſtus; in villis quæ ultra Rhenum ſunt*, *Salehaim*, *& Bodohaim*, *& Windohaim*, *qui per tres mallos convenientes* &c. Salogaſtum quidem è regione illa verè Francica ad Salam fluvium, Windogaſtum autem ex hacce Franciæ parte Rhenana & Nicrina, & quidem ex ipſo noſtro Windohaim oriundum, celeberrimæ legi condendæ adhibitum fuiſſe tamdiu credere libet, donec aptius & certius aliquid edoceamur.

De Lauriſſa perveteri & nobili cœnobio dixi alibi. Cujus *Orig. 1.*
vicinia monet aliquid annotare de Triburia, villa regia, in ſub- *cap. 6.*
ſcriptionibus diplomatum Carolini ævi ſæpe occurrente, & TRIBU-
Conciliis ſub illis Regibus non ſemel ibi celebratis cumprimis RIA.
nobili. Sita ea in pago illo Rhenenſi, inter Rhenum Mœnumque fluvios & ſtratam montanam; non longè à pagis Langen
& Geravv, qui quidem, *Geravv* inquam, hodie ditiunculæ e- Gerawer
jus ſive Centenæ caput eſt, & ſedes Centgravii. Relliquiæ no- Låndlein.
ſtro tempore loci olim tam clari & celebris, præter nomen, vix Treber.
ullæ ſuperſunt: niſi quod pratum vicinum portæ etiamnum à Houeſtat.
Curia nomen habet, & ſtagnum proximum, Cæſarem dominum refert. Templum poſitum in colle editiore, caſtellum Kåiſers.
vel prætorium ibi olim fuiſſe conjecturam præbet: cujus qui- weyer.
dem jus patronatus, eoque nomine decimas loci, ad Eccleſiam Moguntinam pertinere audio. Cæterum ipſe pagus juris eſt Haſſiaci, utpote ad Comitatum ſuperiorem Catzenelenbogen pertinens. Rivulus præterfluens, nullo nomine inſignis, lembis ſcaphisque deducit uſque in Rhenum, paullo ſupra Moguntiam, incolas ſingulis ſeptimanis mercatum urbis frequentantes. Ajunt quidquid ibi fuit ſaxorum, marmorum, cruſtarum, jam olim detractum ad Moguntiæ & Oppenheimii amplificationem & exornationem ceſſiſſe. Quam loci fortunam

 intuitus,

intuitus, cum aliquando viſendi gratia ab itinere meo iſthuc deflexiſſem, Rutilii illud animo repetii:

Cur indignemur mortalia corpora ſolvi?
Cernimus exemplis, oppida poſſe mori.

DE SYLVA DICTA OTTONICA

Ejus incola Eginhardus. Michelſtat. Saligeſtat cœnobium. Comitatus Erpacenſis.

CAPUT VI.

NOMEN ipſum memoriam ab Ottone aliquo veterem inſinuare videtur. Et putavit olim Conradus Celtes Protucius, poeta primus inter Germanos manibus Cæſareis coronatus, à donatione Ottonis Imp. cœnobio Amerbach facta nomen habere. Willichius & alii Germaniæ ſuo ævo illuſtratores, ab ejusdem Cæſaris venatione in eo nemore frequenti & grata. Quo retulit & Joh. Franciſcus Ripenſis, Lotichii noſtri coævus & ſodalis, in itinere ſuo Francico, ad Fridericum II. Daniæ Regem:

Luſtraque contigimus dumoſis horrida ſylvis,
Nobile quæ magni nomen Othonis habent.
Forte quod indomitos illic conſueverit urſos
Arbiter imperii per nemora alta ſequi.
Nam priſci ſtudiis Heroes talibus olim.
Ad grave firmabant corpora Martis opus.

Bilibaldo Pirkeimero ſua & peculiaris opinio fuit, quam ad B. Rhenanum ſcripſit in hæc verba: *Deceptus eſt optimus ille amicus noſter Celtes in quibusdam, quem & tu in Oddonis ſilva ſequeris: cum non ab Oddone, ſed ab Oriente Oſtervvald, quemadmodum ab Occidente Weſtervvald, nomen ſortita ſit.* Quæ conjectura ut & mihi aliquando ultro in mentem venit, ita nunquam ſatisfacere potuit. Ipſe autem Rhenanus feſtiva quadam conjectura

jectura ductus, quando Deorum maximè Mercurium Germani coluerint (ut Tacitus ſcribit) isque eorum lingua *Woda* appellatus, cogitandum ſcripſit, an non ab eo *Odenvvald* quaſi *Wodenvvald* nomen habeat, ut à Marte nemus Martianum, illud in Alemania notum. Alii denique quaſi vacuam & incultam dictam putarunt. Inter quos Joach. Camerarius in Hodœporico:

Et loca deſertæ peragrans deformia ſylvæ,
Unde etiam priſco dicitur Oda ſono.

Equidem ut de nominis ratione nihil adhuc liquidò affirmare poſſum, ita hoc ſaltem notabimus, memoriam ejus nemoris antiquiorem eſſe Ottone illo Cæſare: antiquiſſimam autem, quam ſciam, extare apud Eginhardum in aula Caroli M. & Ludovici ætatem verſatum, & hujus etiam munificentia latifundiis non aſpernabilibus ea in parte donatum. Quod apparet ex ipſis donationibus alio loco à nobis integrè exhibitis: & ipſius Eginhardi hiſtoria translationis SS. Marcellini & Petri, in qua non longè à principio ita ſcribit: *Cum adhuc in Palatio poſitus, ac negotiis ſæcularibus occupatus, ocium quo aliquando perfrui cupiebam, multimoda cogitatione meditarer, quendam locum ſecretum atque à populari frequentia valde remotum nactus, atque illius cui tunc militaveram pricipis Ludovici liberalitate conſecutus ſum. Is locus eſt in ſaltu Germaniæ, qui inter Neccarum & Mœnum fluvios medius interjacet, ac moderno tempore ab incolis & circumjacentibus Odonovvald appellatur.* Narrat deinceps, quomodo baſilicam ibi ædificaverit, & Sanctorum illorum reliquias Româ arceſſiverit. Alpibus enim ſuperatis, *ubi locum qui Caputlaci vocatur, prætergreſſi bivium quo itinera in Franciam ducentia dirimuntur, attingunt; dexteriorem viam ingreſſi per Alamannorum fines uſque ad Salodorum Burgundionum oppidum veniunt. Poſt Argentoratum urbem, quæ nunc Stratburgus appellatur, celeriter veniunt. Inde per Rhenum ſecunda aqua navigantes, cum ad locum qui Portus vocatur veniſſent, Orientalem fluminis ripam egreſſi, quinta manſione ad locum Michilunſtat nuncupatum perveniunt.*

Tomo I. German.

Extat Tomo VII. Surii, ad 2. Iunii.

Michlenſtat ſuper fluvi. Mimelingen.

Odenwald *vulgò.*

niunt, *Is eſt locus in eo ſaltu Germaniæ qui tempore moderno Odenovvald appellatur, & diſtat à Mœno flumine circa leugas ſex.* Nec de alio ſaltu accipiendus eſt locus Lupi Ferrarienſis Abbatis, qui Einhardo noſtro coævus & familiaris fuit, ad Altuinum: *Jam verò pene ſtomachor, quoniam non ſcripſiſti quid Probus noſter exerceat, utrum in ſaltu Germaniæ diſciplinas liberales ordine currat.* cum nimirum idem & monaſterii Saligſtat alibi meminerit. Eo enim nomine cœnobium ſtruxit idem Einhardus, è prædiis Mulenheim ſuperiori & inferiori, ſitis ſuper ripam fluminis Moyni (ut donatio habet Ludovici prædicta) in pago Moynecgovve: cujus colligi & primum Abbatem illum fuiſſe, Trithemius ſcribit.

Epiſt. 20.

Epiſt. 60.

Hæc igitur eſt antiquitas illius ſaltus, partis forte Hercynii nemoris non minimæ. Hi etiam termini, Mœnus nimirum & Nicer fluvii (ut ex Einhardo dictum eſt) & Alemanus, ut ex fide dignis hodie cognovi. Spatium terræ latiſſimum, & aliquot veterum illorum Pagorum capax. Nam & Michlenſtat cellam ſitam in pago Plumgovve ſuper fluvium * Mimilingun Einhardus, & Mulenheim in pago Moynecgovve Ludovvicus Imp. in donationibus ſuis meminerunt: & tractum quendam in eodem Otenvvald hodieque *Bacbgovve* dici inaudio. Idem in orâ ſive extremitate ſua, quæ eſt Strata (quam modo ſupra diximus) Montana, attingit pagos Lobodunenſem & Rhenenſem, & nonnullas eorum villas in collimitio iſto continet. In ejus medio ſitus eſt antiquiſſimus & ampliſſimus ille Comitatus Erpachenſis, quem à Palatinatu Electorali in feudum recognoſcunt illuſtres Comites ejus nominis, cum dignitate Pincernæ hereditarii. De quibus inferius ſuo loco.

Altmuhle.

Hod. Mubling.

Das Bachgau.

Bergſtraſſe.

Schencken von Erpach.

Vaſto nemore relicto, flumen non inamœnum, Mœnum nimirum, tranſeundum nobis video, ut ad Palatinas terras redeamus. Et ſive ſecundo alveo labentes, è regione Moguntiæ, ubi excitatum olim à Trajano caſtellum nomen retinet, vitiferum tractum Rhenanum ſequamur; ſeu terreſtri potius itinere monto-

Caſtel.

Ringkgau.

montoſam aſperamque plagam, maxima parte Haſſiaci Naſſoviique juris (quæ olim *Einrich*, hodie vulgò *Der Hayrich*, eruditis *Der Hoheruck*, aliis Henriciæ ſylvæ comminiſcendæ occaſionem dedit) fatigatis rhedis equisque perrepamus; ad Loganam fluvium (quem Lanum hodie perperam vocant) & deinceps oppoſitam Confluentibus vallem, acidulo fonte expetendam, ſub radices prælti montis fortiſſimo impoſito caſtro viſendi, penetrandum nobis eſt. Ubi (veterem an novam dicam?) gentem, quæ ab antiquo nos dominos ſociosque agnoſcet, reperiemus. Der Hayrich. Die Lohne. Mülheim im Thal. Hermanſtein.

DE BRUCTERIS VETERIBUS,

ubi hodie ſylva Heſperia. Frequentes in ea Comitatus & Dynaſtiæ, etiam juris Palatini.

CAPUT VII.

QUOS *Burcteros* Tacitus, Claudianus, Sidonius, alii; eos *Bructuros* ſcribit tabula vetus Itineraria, ſub Imp. Theodoſii majoris ejusque filiorum (ut videatur) ævo compoſita: eorumque ſedem, haud ſatis hactenus liquidò notam, ponit è regione Germaniæ ſecundæ trans Rhenum, à Colonia Agrippina ſupra Confluentes ad Mogontiacum ferè usq; protendens; qua parte flumina Sega, Luganus recepto Niſtria, Moganus, è Germania Rheno influunt; & regiones Rinckgavv, Wetteravv, Weſtervvald latè pateſcunt. Hanc ſylvam Heſperiam quidam vocant, quæ utique pars eſt veteris Hercyniæ, cujus & illa parte accolæ fuerunt Bructeri. Claudianus: BURCTURI. Weſterwald.

-- Venit accola ſilvæ

Bructerus Hercinia -- Et Aggrippinæ Ubiisque rectà oppoſitos, etiam inſignis locus Nazarii Panegyrico ad Conſtantinum docet, quem dilaudans: *etiam immenſam Bructeris vaſtationem feciſti*, ſtatim ſubjicit: *Inſuper Agrippinenſi ponte faciendo, reliquiis afflictæ gentis inſultas: ad facultatem, quoties*

 velis,

velis, in hoſtem tranſeundi. Atque etiam Sulpicii Alexandri vetuſti ſcriptoris, cujus locum nobis conſervavit Gregor. Turonenſis: *Eodem anno Arbogaſtes Agrippinam rigente maxime hyeme petiit.* Et mox: *Collecto ergo exercitu transgreſſus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, pagum etiam quem Chamaui incolunt, depopulatus eſt.* Ubi tamen *Bricteros* editiones antiquiores, & MS. Codices habent.

Lib. 11. cap. 9.

Sed non leviter tranſmittendum puto, quod in Tabula BURCTURI ſcriptum cernitur. Etſi enim minimè rara in eâ menda habeantur, quoad Germana potiſſimum, ut cum *Aplivarios* & *Elprancos* perperam ſcripſit; fieri tamen poteſt, ut iſtud rectè habeat: quod credemus, ſi alibi etiam ita ſcriptum inveniatur. Id autem inveniemus in loco quodam utut poſteriorum temporum, certè minimè ficto vel interpolato, & ad hanc rem unicè faciente; nimirum in Epiſtola quadam Gregorii II. Papæ pro Bonifacio ſcripta *Univerſis optimatibus & populo provinciarum Germaniæ, Thuringis, & Heſſis, Bortharis, Niſtreſis, Wedreuis, & Lognais, Sudnoſis & Grabfeldis, vel omnibus in Orientali plaga conſtitutis.* Nam quin iſti Borthari, adque adeo Boructuarii (quos in vita S. Suiberti legimus (cum Burcturis illis, & hi cum Bructeris vel Bricteris illis antiquis iidem ſint, dubitare nos non ſinit adjunctio cæterorum, qui illorum aut pars ſunt, aut vicini: in quibus equidem, qui partes illas Herciniæ non ſemel luſtravi & accuratè inſpexi, facile recognoſco Niſtreſos, fluvioli Niſtriæ accolas; & Wedreuos, quorum de pago Wettereiba alibi ſcripſimus; & Lognaios Logani accolas, quorum pagus Loganenſis, ſive *Loganehe* dictus fuit; & Grabfeldios denique (nam de Sudnoſis nondum liquet) quorum circa Fuldam nomen hodieque notum manet.

Ita editio Ingolſtad. & Mogunt. Othloni, melius quã Suriana concilior.

Hod. Wetterauw.

Neque verò pars illa Germaniæ quam Bructeri illi (quibus etiam Tecteri, Uſipii, Tubantes, ceu minorum gentium gentes, incluſi) tenebant, vel olim, vel hodie parum culta fuit. Et quod olim fortiſſimos populos habuerit, certo argumento eſſe poteſt, quod vix in aliâ tot illuſtres Comitum generoſiſſimorum

Wetterawiſche Graven.

morum familiæ reperiantur, atque ea in ipſa. Quin & ſi conjecturæ aliquid nobis, minimè aliàs in eo genere licentioſis, permittitur tribuere; certè non adeo alienum fuerit Bucturos à ſuis Burgis, frequentibus & claris, apud ipſos Romanos nomen accepiſſe, communi cum Burgundionibus etymologia. Pleraque enim omnia ibi loca ejus ſunt terminationis, ut Grammatici loquuntur. Et quidem ſtatim è regione Bonnæ, & ſic in ſtativorum Romanorum conſpectu, juxta Rhenum Septem-Burgi apparent, continuis ſeptem altiſſimis jugis impoſita totidem caſtella, *Levvenberg*, *Wolckenberg*, (omnium altiſſimus, ſic dictus quaſi nubila pulſans) *Drachenfels*, *Stromberg*, *Malberg*, *Dadunberg*, *Planckeberg*. Poſſis SEPTEM FRATRES vocare: quo nomine ad Gades tot numero monumenta totidem montibus pari altitudine impoſita, & ob ſimilitudinem *Fratres* dicta, Strabo, Pomponius, Plinius, Antoninus meminerunt. Et ut cætera ordine nullo, niſi literario, effundam potius quàm enumerem, habet Bructeria illa *Arenburg*, *Bensburg*, *Biggenborg*, *Berleburg*, *Cronburg*, *Dillenburg*, *Hachenburg*, *Homburg*, *Horneborg*, *Iſenburg*, *Limpurg*, *Lovenburg*, *Meraburg*, *Siburg*, *Sicamborg*, *Weilburg*, *Weſterburg*, omnia non ſolum caſtris fortiſſimis & oppidis populoſis nota, ſed etiam illuſtri Baroniæ vel Cometiæ titulis clara. Jam verò & montes veniant: quid enim amicius burgis & arcibus? ut taceam quod & ſunt quæ utramque terminationem recipiant, *Berg* & *Burg*. Inter quos primo loco eſt ipſe Montenſis ſive Montium Ducatus, Juliacenſi hodie junctus, olim ſeparatus. Deinde *Blanckenberg*, *Braunsberg*, *Bureberg* (quod poſtea *Vroneck*, tandem clauſtrum *Marienſtat* factum, ad Niſtriam) *Camperg*, *Cronberg*, *Fridperg*, *Freuſperg*, *Gliperg*, *Jſenberg*, *Kirperg*, *Molsperg*, *Stauffenberg*. Quin & cautes rupesque, quibus ἀκροπύργια impoſita, *Braunfels*, *Drachenfels*: & lapides denique (tot modis Germani in nominibus fingendis ludebant) *Arenſtein*, *Erenbreitſtein*, *Helfenſtein*, *Konigſtein*, *Greiffenſtein*, *Witgenſtein* &c.

Sibenbur-gen.

Hertzog-thum Ber-ge/Bergi-ſche Land,

Sed

Sed quid hæc ad Origines Palatinas? quæret forſan aliquis. Non omnino nihil: & tanti erat quacunque occaſione nobiliſſimam Bructerorum nationem, aut gentem potius, non ſatis vulgo percognitam, quantum in nobis foret, notam & illuſtrem reddere. Sunt autem in ea juris Palatini, præter varia vaſallagia à Comitibus Naſſovicis, Iſenburgicis, aliisque, & nobilibus equeſtris ordinis poſſeſſa; aliquot integri Comitatus, Seinenſis Wiedanus, Solmenſis, & alii, non minus amplitudine ditionis & copia ſubditorum hominum inſignes, quàm antiquitate, tam illuſtrium familiarum, quarum majores virtute & fide eos à Palatinis emeruerunt, quàm ipſorum veterum Palatinorum, quorum potentia eo uſque terrarum jam inde ab aliquot ſæculis ſe extendit. Inter quos Comitatus vel primo loco mihi recenſendus ille de Seyna: quem extincta veteri & primitiva proſapia Comitum Seynenſium (quos falluntur qui à Senis Hetruſcis deducunt) Ludovicus Elector Palatinus inclytus circa Annum MCCLXXIII. Godefrido Comiti, patre Spanheimenſi, matre vero Seynenſi Comitiſſa progenito, de novo in feudum conceſſit: à quo uſque hodierni illuſtres poſſeſſores Comites Witgenſtenii rectà linea geniturae deſcendunt. In quorum gratiam & honorem, ipſum Inveſtituræ ejus primæ Palatinæ, & Reverſalium tenorem hoc loco inſerere viſum eſt.

Grave-ſchafft Seyn.

NOS LUDOVICUS, *Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, tenore præſentium notum facimus univerſis præſentibus & futuris; quod dilecto fideli & conſanguineo noſtro, viro nobili Godfrido Comiti Seynenſi, propter ſuæ probitatis merita & ſervitia, quæ nobis & heredibus noſtris in poſterum eſt facturus, Comitiam Seynenſem cum omnibus ſuis pertinentiis de noſtra gratia liberaliter contulimus, titulo feodali: exceptis poſſeſſionibus & bonis, quæ Eberhardus fidelis & affinis noſter, Comes de Seyn, dominus de Eberſtein, recolendæ memoriæ patri noſtro & nobis ſolutas & libera dimiſit; ſicut in privilegiis ſuper hoc confectis plenius continetur.*

tur. Promiſimus inſuper eundem ab injuriis quorumlibet, tanquam noſtrum vaſallum efficaciter protueri. In cujus rei teſtimonium ſibi dari fecimus præſentes literas noſtri ſigilli munimine roboratas. Actum & datum Bacharaci, Anno Domini MCCLXXIII. XI. *Kal. Septemb.*

NOS GODEFRIDUS *Comes Seynenſis, tenore præſentium, univerſorum præſentium & futurorum notitiæ declaramus, quod cum ſereniſſimus dominus noſter, Ludovvicus illuſtris Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarie, nobis Comitiam Seynenſem, cum omnibus ejusdem pertinentiis, de ſua gratia liberè contuliſſet; promiſimus fide data, ad hoc corporali nos juramento nihilominus adſtringentes, quod eidem Domino noſtro contra omnes, nullo prorſus excepto, adſtabimus conſilio, auxilio, & favore, qui eidem Domino noſtro de actionibus, quas habet contra eosdem, recuſaverint facere juſtitiam & amorem. Ad hæc poſſeſſiones & bona, que bona memoriæ Eberhardus patruus noſter, Comes de Seyna, dominus de Eberſtein, memorato domino noſtro & patri ſuo ſoluta & libera dimiſit (ſicut in privilegiis ſuper hoc confectis plenius continetur) dicto Domino noſtro & ſuis heredibus, ſine noſtro deinceps & noſtrorum heredum, amicorum & fidelium impedimento, liberè remanebunt; omni juri & actioni que nobis in dictas poſſeſſiones competebant vel competere videbantur, renunciantes ſimpliciter & præcisè. In cujus rei teſtimonium ipſi Domino noſtro præſens ſcriptum dedimus, noſtri ſigilli munimine corroboratum, teſtibus ſubnotatis, qui ſunt: Otto Præpoſitus S. Widonis, Albertus Præpoſitus Ilinmunſterii, Fridericus Burggravius de Nurnberg, Emicho Comes Sylveſter, Gertholdus Comes de Eſchenboch, Fridericus de Erenberg, Hermannus de Hadmar, Philippus & Gerhardus dapiferi de Alzeya, Wernherus dictus Gutend, Rindelmannus de Diepach, Andelmanus Advocatus, & alii quamplures. Actum & datum Bacharaci, Anno Domini* MCCLXXIII. XI. *Kal. Septemb.*

TRANSITUS.

Poſt Bructeros, in quibus & Montenſis ducatus (ut dixi) continetur, ſunt Sicambri: nec longè abeſt divortium Rheni, & inſula Batavorum: qui eſt limes ille Belgicæ, ab initio nobis propoſitus. Etſi autem non eſt dubium, Palatinos veteres olim longius fines ſuos protuliſſe, & (Virgiliano verbo) imperium Oceano terminaſſe (neque enim otioſa videri poſſunt verba diviſionis fraternæ inter Ottonem IV. Imp. & Henricum Palatinum Anno MCCIII. initæ: INDE PER DESCENSUM RHENIUSQUE IN MARE) & veteres illos Palatinatus Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ, Zutphaniæ, ad Palatinos etiam Rhenenſes vel maximè pertinuiſſe ſit veriſimile, neque inſignia Leonum omnibus his communia reclament: quia tamen iſta ob nimiam vetuſtatem, & tot intercidentes mutationes, nondum ſatis nobis ſunt clara; & provinciæ iſtæ inferiores jam peculiares & accuratos ſcriptores ſuos invenerunt; nos illarum tractatione omni hoc loco abſtinemus, & ad iſtum limitem relicta veteri Germania & barbarico, tranſitum in Romaniam quærimus. Ubi autem commodius quàm apud Coloniam Agrippinam? ubi ſi laudatum illum Conſtantini pontem calcare amplius non poſſumus (ſuſtulit cum certo conſilio Magnus itidem Imp. Otho I. unâ cum munimento Divitenſe) pontones certè ad trajectum non deerunt.

In archivo ducali Brunovic.

Occurrent trans Rhenum inter Ubios primi, quos Ripuarios & Ripariolos Francorum ætas vocavit: in quibus & Colonia ipſa ſita. Epitome Greg. Turonici, de Theuderico Rege: *Cumque ſacramenta ab ipſis Francorum ſublimibus accepiſſet in Baſilica S. Gereonis Martyris, viſum fuit ei ut percuſſus fuiſſet in latere doloſè. At ille ait: obſervate oſtia, neſcio quis de iſtis perimat Ribo-ariis me percuſſit.* Et paullo ante: *Theudebertus læſum cernens exercitum ſuum, in fugam dilabitur, Coloniæ civitati ingreſſus. Theudericus autem terram Ripuarienſem ſuccendens devaſtat.* Ad hos ergo rectà imus.

Gall. Ribaroles.

DE RI

DE RIPUARIORUM TERRA.

In ea Aquisgranum, Tolbiacum, ad Aram fluvium Comitatus: Rigomagus, Briſacum. Feuda Juliacenſia.

CAPUT VIII.

RIPUARIOS media ætas vocavit qui inter Rhenum Moſamque & Moſellam amnes habitabant: credo quod ad ripam potiſſimum, commoditate fluminum utentes, oppida haberent; cum quidem interiora Arduennum nemus minus culta eſſe permitteret. In his ipſis ſitæ nobiles civitates Agrippina, Antonacum, Bonna, Rigomagus, Marcodurum, Juliacum, Noveſium, Tolbiacum: & paulo quidem recentior, ſed non minus illuſtris Aquisgranum; quam tertiam Romam, Francicam nimirum dicere libeat, à conditore ſuo eodem qui & Imperii in noſtra gente fundator, Carolo inquam Magno. Wipo in vita Cunradi Salici Imp. *Collecto regali comitatu Rex primùm per regionem Ribuariorum, uſque ad locum qui dicitur Aquisgrani palatium pervenit: ubi publicus thronus regalis ab antiquis Regibus, & à Carolo præcipuè locatus, totius regni archiſolium habetur.* De qua non repetam quæ alibi anno tavi, tetigiſſe contentus: cum circa eam, ſi non in ea, aliquid juris habuerint Palatini. Plus autem in Tolbiaco, vico Gugernorum (ut Itinerarium Antonini habet) jam tum Veſpaſiani ævo non incognito. Tacitus de Civili: *Tolpiaci in finibus Agrippinenſium agebat.* Sed magis poſtea multis ſæculis victoriâ Chlodovæi contra Alamannos nobili, quæ ipſi è voto ſuſcipiendi Chriſtianiſmi cauſa fuit, & in Francorum gentem inferendi: Sed & lamentabili fato Herminefredi Thoringorum Regis. Et præterea Tulpiaci oppidi è Francis poſterioribus meminit Frodoardus Rhemenſis annali DCCCCXXV.

Ad P. de Andlo pag. 62.
Hod. Zulich.
Lib. IIII. Hiſtor.
Gregor. Turon. lib. II. c. 30. & 37. Et lib. III. cap. 8.

Tam illuſtrem locũ Palatinos etiam noſtros præfectos agnoviſſe, mihi gaudeo quod repererim. Nam ultra quatuor ſæcula

Voaten. Kirchen-gifft. Die Pal-lenʒ. Houne-ſcheffen. Wildpan.

eſt, quod acceptam ſine dubio à Francis Regibus ipſi Prætorio præfecti iſtam poteſtatem & dignitatem, Comitibus tunc temporis Juliacenſibus in feudum conceſſerunt, & Marchionibus ac tandem Ducibus creatis in hanc diem continuarunt: *Advocatiam* inquam *Tulpechenſem, cum Eccleſia ibidem S. Mariæ; ſed & ſupremo judicio* PALLENTIA *dicto, intus & extra Zulpeche, cum omnibus pertinentiis; in quibus* XXIII. *curtes ad Schinelberg & Kempenſes attinentes: & banno foreſtis inter Moſam & Rhenum, alto & baſſo, ſupra & infra terram* &c. Quæ ut omnia diducere & perſequi hujus non eſt loci, ita illud interea obſervatu volupe, ſummum illud tribunal, jurisdictionis prætorianæ ſedem & mallum, Francica voce PALLENTIAM dictum: nimirum ut interpres vetuſtiſſimus Evangeliorum Otfridus prætorium ſive aulam Pilati Ducis reddit *Palinzhus*, his verbis:

Lib. IIII. cap. 20.

Ther Biſcof Kaiphas vvas thar,
Job ther Henrizoho in vvar.
Giang er ſelbo in gegin vz
Thar zi demo Palinzhus.

Die Ahr.

Porro Ripuariorum regionem percurrit fluvius Aara, qui apud Sintzig oppidum Rheno illabitur: ad quem aliquot non contemnenda oppida & caſtra ſita ſunt, in quibus præcipua Aldenaar, & Nevvenaar Comitatus titulo inſigne, & à Palatina domo feudi titulo ex parte recognoſcitur. Qui Comitatus ab Aara fluviolo, quo percurritur, (ut dixi) ut & caſtrum *Arbiorg*, & villa *Arvvyler*, nomen accepit: modernorum ineptiis poſtmodum in Novam Aquilam transformatus. Qui quidem præter alios viros illuſtres, Hermannum illum Comitem Nuenarium tulit, Præpoſitum Colonienſem & Aquisgranenſem, non minus litteris quàm dignitate clarum. Meminit & prædioli ſiti juxta fluvium Aram vocabulo, *Ludolveſtropf*, à Ludovico Cæſare martyribus Marcellino & Petro donati, Eginhardus in hiſtoria translationis illorum.

Aaren / *aquilæ vulgò.*

Ludesdorff

Hod. Rymágen.

In eadem regione occurrit præterea Rigomagum, quod

cum

cum vicinis oppidis Preyſig & Sintzig hodieque Juliacenſibus paret: oppidum à Romana adhuc memoria nobile. Eſt enim ipſum, quod in Ammiani loco illo controverſo editio Accurſiana, & manu exarati codices retinuerunt: *Apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi amnis Moſella confunditur Rheno, Rigomagum* oppidum eſt.* Idemque clarè conſpicitur in Tabula Itineraria à M. Velſero edita, in ripa Romana Burcturis ſive Bructeris oppoſita: *Lib. 16.* **Al. Rigodulum.*

Confluentes *VIII.*
Antunnaco *IX.*
Rigomagus *IX.*
Bonnæ *VIII.*
Agrippina *XI.*

Poſteriores corrupte *Regiomagum* fecerunt, in quis Godefridus noſter Pantaleonis monachus tribus locis: alii *Regiomagium.* Et ſuavis inprimis Belgici Chronici compilator, ita ſcribens: *Ex relatu intellexi, Julium I. Cæſ. ſecundam ad terras iſtas feciſſe expeditionem: & in prima expeditione fundaſſe oppidulum diocæſis Colonienſis dictum Reymagen, id eſt Homagium Regis. Et poſt ad ulteriora proceſſiſſe, & civitatem cum caſtro fundaſſe, dictam Noviomagum, id eſt Novum Homagium. Et ſic conſequenter ad Flandriam proceſſiſſe. Quod veriſimile* (addit) *nobis videtur.* Id oppidum cum Bonna & vicinis aliis, exuſtum bello civili inter Ottonem & Philippum Reges Anno MCXCVIII. notat Godefridus: & coævus ei Cæſarius Heiſterbacenſis, à Walramo filio Ducis de Limburg, Philippi Regis confœderato, Andernache, Remage, Bonnam, aliasque villas plurimas ejus regionis exuſtas, annotavit. Equidem cum aliquando Rheno ſecundo deſcendens, exſcenſa navi, locum viſendi gratia aſcenderem (eſt enim in colle poſitum oppidum) non dubiæ antiquitatis fragmenta domorum, portarum, columnarum, Romano ritu fabricata & figuris variis exornata, paſſim obſervabam, numiſmata etiam aurea & ærea ibidem reperta, ab incolis exhibita inſpexi.

Annalibus MCLXXII. MCXCVIII MCCVI.

Edit. D. Piſtor. fol. 48, 40.

Lib. 5. memorab. cap. 37.

Neque omittendus hoc loco Palatini juris inter cætera feu-

Breyſich. da Juliacenſia, vicus Briſacenſis, etſi ſcriptoribus vetuſtis, qui extent, non laudatus, tamen Romanorum ſtationibus haud dubie cognitus, vel oportunitate ſitus & fertilitate amœnitateque loci ſuadente. Multum ibi ruderum de vetuſtis ædificiis jam dudum apparet, indiesque detegitur: plurimum marmorum lapidumque inſcriptorum, ſcalptorum, Romanam antiquitatem teſtantium eruitur: quorum magnam partem Illuſtris Comes Hermannus Manderſcheidius in arcem ſuam Blanckenheimum tranſtulit. Ut planè ſtatuam, nihilo ignobiliorem olim locum fuiſſe altero ejusdem nominis in ſuperiori parte Rheni circa Rauracos, qui in ſolo Antonini Itinerario legi-

Breyſach in Breisgaw. tur, MONS BRISIACUS, olim in læva ſive Gallica ripa poſitus, ut bene B. Rhenanus conjectavit: à quo poſtea Pagus Briſacenſis, Brisgaudia ſive *Brisgovve* nomen accepit.

In Germania, folio 153. & ſeq Et cum toties hoc capite illuſtriſſimæ Domus Ducatusque Juliacenſis mentio inciderit, quid vetat inveſtituræ veteris Palatinæ exemplum, in utriusque inclytæ domus honorem, hoc loco apponere?

WILHELMUS *Comes de Guliche profitemur, quod nos ab illuſtri domino noſtro Ottone Comite Palatino Reni, Duce Bavariæ, feudum quod à patre ejusdem Ludovico egregio Duce Bavariæ tenebamus, ſub hac forma recepimus & pacto, quod nos de proprietate noſtra in redditibus* XX. *marcarum eidem reſignavimus, & cum priore feodo recepimus ab eodem, ita tamen, quod datis* CC. *marcis dicti redditus* XX. *marcarum ad nos redeant abſolute. Super horum autem effectu & robore fidejuſſores ſunt Præpoſitus Wilhelmus advocatus Aquisgranenſis, Chriſtianus pincerna de Nidecke, Heinricus Buuf, Carſilius milites de Guliche. Hæc utique infra ſpacium unius anni effectu debent compleri. Bona autem prioris feodi ſpecialiter & nominatim & localiter ſunt ſubſcripta; advocatia in Viletge, advocatia in Wesle, advocatia in Bercheim, advocatia in Pfaupfindorf, advocatia in Holvvilre, advocatia in*

Mueſle-

Munſtere, advocatia in Grezaich, advocatia in Vrochem, bona in Zulpeche, quibus attinet eccleſia S. Mariæ, advocatia in Dornich, Comitatus & jus nemoris. Bona verò pignoris ſunt allodium totum quod dictus Comes Bauuariæ habet, apud Flouercke. * *Hujus facti ſunt teſtes prædictus præpoſitus Aquisgranenſis, Hartmannus Comes de Dilingen, Lodevicus pincerna de Ouua, Wilhelmus dapifer junior de Alzeia, Hertvvicus de Hirzberg, Bruno de Alzeia milites, cum toto conſilio domini noſtri Comitis Palatini. Wilhelmus advocatus Aquisgranenſis. C. pincerna de Nidecke, cum toto conſilio noſtro. Ad hujus facti robur, huic litteræ noſtum fecimus appendi ſigillum. Datum apud Frankenfurt, anno gratiæ* MCCXXX. XVI. *Kal. Martii.*

* Al. Louenicke.

ILLUSTRI *principi & domino Ruperto ſeniori, Comiti Palatino Rheni, S. Imperii Archidapifero & Duci Bavariæ, Wilhelmus Dei gratia Juliacenſis Dux, & Falkenburgenſis Comes, obſequioſam & paratam in beneplacitis voluntatem. Magnifice Princeps & domine. Licet Sereniſſimus princeps & dominus noſter, Dominus Karolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, nos tunc Marchionem Juliacenſem ad altioris principatus gradum, videlicet in Ducem & principem Juliacenſem provexerit gratioſè, ac Dominatum in Falckenberg in verum Comitatum de novo ex ſpeciali innatæ Cæſareæ benignitatis clementia converterit, & eundem Comitatum nobis contulerit, prout hæc & alia in litteris Imperialibus ſuper eo nobis traditis plenius ſunt expreſſa: intentionis tamen noſtræ non fuit, nec eſt, quod per hujusmodi noſtram ſublimationem veſtris & heredum veſtrorum juribus, & ſpecialiter in feudis & bonis feudalibus quæ à vobis tenemus, præjudicium aliquod debeat generari. Nam univerſa feuda & bona feudalia, quæ prius ante dictam noſtram ſublimationem à vobis in feudum tenuimus, eadem feuda & bona feudalia a vobis & heredibus veſtris etiam in antea affuturis temporibus per omnia ſicut prius, & prout ex debito tenemur, nos & heredes noſtri tenere recognoſcere & ſuſcipere volumus & debemus, ſublimatione noſtra prædicta non obſtante quomodolibet in hac parte. In cujus*

rei

hoſpitis me facturum puto, ſi de ejus loci ſitu & qualitate non vulgari, quæ recordor, paucis hoc loco annotavero. Eſt enim Lacus ille ſive ſtagnum, à quo nomen habet, longè ampliſſimus, vix duarum horarum ſpacio circumeundus & emetiendus, cinctus undique monte perpetuo, nullo hiatu patente (niſi quà per anguſtiam quandam ab Andernaco aditus & introitus eſt) & quaſi naturali cuidam lebeti ſive aheno infuſus, & ſolo ſuo fonte contentus, nullis torrentibus rivulisque pervius. Aqua clariſſima, piſculenta maximè, ſemper limpida; & cum ſit gelidiſſima, nullo hiberno frigore, niſi graviſſimo inſolitoque & toti regioni noxio, congelatur. Uno loco per petram exciſum eſt foramen, unde aqua effluat ad *Nidermenig* vicum, aliàs creſcentem in infinitum ſtagno ipſam Eccleſiam in edito poſitam inundatura & obrutura. In ripis paſſim etiam lapillos elegantiores, & ſapphiros reperire eſt. Caſtrum olim in monte poſitum, & lacum circumquaque deſpectans, Comes ipſe demolitus, Eccleſiam monaſteriumque eſſe juſſit. Ædificium vetuſtum, & nihilominus elegans, columnis fuſilibus undulatis, partim nigris ornatum. Eccleſiæ chorus & abſis pulcherrima. Bibliotheca loco perſpicuo & Muſis digno, feneſtris perpictis à quodam loci Monacho, poſtea Abbate. Fundatoris Henrici tumulo impoſita ſtatua lignea, coloribus & auro inducta, manu præfert templum, pedes ſupra leonem & baſiliſcum tenet. Tabula pariete fixa Fundatorum imagines, & fundationum tenorem habet: quas tanti fuerit hoc loco apponere.

IN NOMINE *ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Henricus Dei gratia Comes Palatinus Rheni & Dominus de Lacu ad muniendam quietem humilium ſpiritu, Notum facimus cunctis Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quàm præſentibus. Quod cum abſque liberis eſſem, annuente & cooperante uxore mea Adleyde pro remedio animæ meæ, & æternæ vitæ conſecutione, de patrimonio meo ſcilicet Lacho, in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Nicolai, monaſterium regulæ monaſticæ cultoribus incolendum fun-*

 davi,

*davi, propriiſque bonis dotavi, ſub præſentia & cognitione domini Hilberti * venerabilis Trevirorum Archiepiſcopi. Advocatum verò non alium quàm me ipſum, quamdiu vixero huic Cenobio conſtituo: poſt mortem vero meam, quem fratres præfati Monaſterii ſive ex privignis meis, ſive in provincia, viribus & benignitate, ſed & ſubveniendi opportunitate idoneum prævidérint ejuſdem monaſterii familiis & poſſeſſionibus, præficiatur advocatus, quod dicitur* Dingvogt: *ſi tamen hoc decretum & ſubſcriptum ſe obſervaturum ipſe promiſerit, videlicet ſi bona Eccleſiæ viriliter tueri, & familiam ejus clementer & humane tractare voluerit. Noverit itaque omnino ſibi obſervandum, ne Advocatiam vel conjugi in dotem vel alicui in beneficium dare præſumat, nec alium pro ſe ſubſtituat, cum ſciat hunc honorem ſe hereditario jure non contingere, ſed hanc proviſionem pro remedio anime ſue ad tutelam monaſterii de manu Abbatis ſe ſuſcipere. Preterea nec aliquando in bonis Eccleſiæ hoſpitando Eccleſiam vel familiam ejus gravet, nec injuſta ſervitia ab ea neque violentas exactiones, quas precarias vocant, aliquando exigat. In cujus Advocati negocio non alius miniſter, neque Vicarius, neque ſubadvocatus præerit, niſi qui villicus Abbatis fuerit. Nunquam ad publicum placitum conſidebit, niſi à fratribus ſi res ita popoſcerit, invitatus fuerit. Cum invitatus venerit, ſerviatur ei, quod & honori ejus ſit congruum, & pati poſſit Eccleſia, ne vel ſumptuum ejus vel comitatus nimietate [illegible]tur, Ita verò agat, & tam pium, tam modeſtum, tamque benignum fratribus & familiis eorum ſe exhibeat, ut dignus honore ſui nominis exiſtat, & pro officio fideliter adminiſtrato remunerationem à Chriſto beata Maria interveniente ſuſcipiat, Quod ſi timoris Dei oblitus, quos fovere debuerat, violenter oppreſſerit, & admonitus infra ſex hebdomadas non ſatisfecerit, tandem eccleſiaſtico anathemate percuſſus Advocatiam amittat, & alium fratres potentia, nobilitia & defendendi poſſibilitate utilem & efficacem ſibi eligant, qui ſub prædicta conditione ipſam Advocatiam adminiſtraturus ſuſcipiat. De cætero deſidero, & quantum de mortuo vivens poſſum firmiter ſtatuo, ut ubicunque in provincia vita exceſſero, nuſquam niſi in præfato*

monaſt.

* Al. Herberti.

monaſterio ſepeliar. Item de Advocatis omnibus, & de uxore mea, fieri volo & conſtituo. Ne autem quiſquam heredum meorum vel ſucceſſorum aliquam injuriam Domino Deo & beatæ Mariæ quandoque inferre intendat, de bonis à me huic Monaſterio collatis ea nominatim ſupponi placuit, quæ & epiſcopali banno confirmari fecimus, ſcilicet Cruſt cum Eccleſia, Bedendorff, & Heimbach, & eorum adjacentia [illegible]e, Feide, Alkane, Willenburg: hæc inquam beatæ Mariæ tradidi, cum omnibus appenditiis, id eſt cum utriuſque ſexus mancipiis, edificiis, areis, exitibus & reditibus, agris, quæſitis & conquirendis, pratis, paſcuis, viis & inviis, aquis aquarumque diſcurſibus, molis molendinis, piſcationibus, vineis, vinetis, ſylvis atque cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit. Acta ſunt hæc anno incarnationis Domini milleſimo nonageſimo tertio indictione pri- MXCIII.
ma, regnante Sereniſſimo Imperatore Henrico tertio, anno autem regni ejus triceſimo octavo, pontificatus verò domini Hilberti Treverorum Archiepiſcopi quarto decimo. Ut autem hæc noſtra traditio firma & inviolabilis in perpetuum permaneat, cartam hinc inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri fecimus. Hujus conſtitutionis teſtes ſunt Dominus meus Hilbertus Treviorum Archiepiſcopus, Sigefridus privignus meus, Henricus dux de Limberg, Wilhelmus Comes de Lutzenberg, cognati mei: Walravus & frater ejus Volcko Comites de Arlo, Dudo Comes de Lucenburg, Hermannus Comes de Vierenburg, Meffridus Comes de Wiede, & frater ejus, Richzvinus de Kempenich, Burckhardus de Ulbruck & frater ejus Henricus, Reinboldus de Iſſenburg, Wolkoldus de Broel.

Cum autem operi cœpto Henricus immortuus eſſet, privignus ejus Sigefridus itidem Palatinus Rheni id abſolvit: ut in eadem tabula, ſed truncatim, ſcriptum habetur, & fortè aliàs ſupplebitur:

IN NOMINE *ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ego Sifridus gratia Dei Comes Palatinus &c. notum eſſe volo fidelibus, qualiter & à quibus Eccleſia quæ vocatur Lacus conſtructa ſit, & libertati tradita. Predeceſſor & dominus meus Henricus Comes Palatinus exhortante uxore ſua, Adleida videlicet matre mea, prædictam Eccleſiam ædifica-*

ædificare cupiens fundamentum ejus tantummodo poſuit, & jam morte imminente ſicut bonorum ſuorum, ita quoque hujus baſilicæ Eccleſiæ ſcilicet perficiendæ heredem me inſtituit. Quod primum quidem more juvenis neglexi, poſtmodum verò pœnitentia ductus, quod neglexeram devotiſſimè corrigere ſtudui, &c.

Hanc fundationem Henricus IV. Imp. ſuis quoque privilegiis ornavit, in quibus inter alia hæc verba continentur: *Poſt mortem vero prædicti Comitis Henrici, Sigefridus qui ei in Comitatu Palatii ſucceſſit, de patrimonio ſuo Myſen in Brabantia, Ogerhoven & Genebinden monaſterio ad Lacum dedit.*

Hujus Sigefridi, cujus conjunx Gertrudis fuit, facienda eſt diſtinctio ab alio quodam antiquiore Sifrido Palatino, qui fuit temporibus Hildolffi LIX. Archiepiſcopi Trevirenſis, qui mortuus ſcribitur Anno DCCLIV. In eadem enim regione

Frauen-kirchen.

quodam ſacello Divæ Virgini dedicato ſcriptum invenitur, illum Sigefridum nobiliſſimum Palatinum in palatio Trevirenſi, arcem nunc dirutam, non procul ab oppido Meyen & monaſterio Lacenſi, quam *Hohen-Simmeren* appellant, inhabitaſſe, habuiſſeque in uxorem Duciſſam Brabantiæ, nomine Genovevam; quam conſilio & calumnia cujusdam equitis, cui nomen erat Golo, voluerit igni tradere. Eam cum puerulo in ingentem ſylvam expoſitam, & poſt aliquot menſes, ſine omni humana ope, ſalvam & incolumem repertam, & à Deo in ſignum innocentiæ conſervatam, cauſam ſtruendæ illi ædi dediſſe. Hiſtoriolam eo ævo conſcriptam, integram forte alias edemus.

TALLIATES. Die Eyffel.

Denique non omittendi nobis hoc loco Talliates, veteres provinciales, & hujus regionis (quæ *Fyflia* hodie vocatur) incolæ, qui etiam Romanis monumentis antiquitatem ſuam probare poſſunt. Nominis veſtigium ſupereſt in [illegible] *Dollendorff*, prope quem in pago *Ripsdorff* repertus lapis candidus, & ab erudito antiquitatisque amante viro Chryſantho Boys in ædibus ſuis aſſervatus, ita inſcriptus:

MARTI. ET GENIO
TALLIATIUM

CLAU-

CLAUDIUS. VERINUS
AD. PERPETUAM. TUTELAM. AEDIS
TALLIATIBUS. DEDIT. XCCL
QUAM. ÆDEM. L. MARCIUS
SIMILIS. DE. SUO. POSUIT.

Item fragmentum hoc:

. . PRO . . . .
. . IMP. DIVINÆ . . . .
. . ANCAM. MARTI . . . .
. . TALLIATIUM . . . .

De aliis Comitatibus in hac Ripuaria, Manderſcheid, Rifferſcheid, nihil hoc loco dicere habemus. De Comitatu Virneburg, & Neuenar, ſufficiant quæ antea attigimus. Auctarii loco apponam aliquot villas, quas in antiquis diplomatis pago Meinefelde adſcriptas inveni. Sunt autem hæ ſequentes: *Aliſinza. Berge. Chiracha*, quod & *Cheri. Chella. Eichin. Flameresheim* apud Aimoinum, *Frachſena. Huſenrode. Incha. Kardana. Mertilacha. Moresdorff. Polcche. Sciſſin. Triſſ. Vanckele ad Moſellam. Wilere.* Nunc & Moſellam gratiſſimum nobis amnem, & alibi ex profeſſo exornandum, relinquimus, ut Cynicorum ſedes inſpiciamus.

HUNNORUM COLONIÆ AB IMP.

Gratiano dictæ, unde Hundersruck pagus. Ejus ſylvæ, flumina, villæ.

CAPUT X.

HANC regionem quæ jam inde à Carolinis temporibus *Pagus Hunesruch* vel etiam *Hundesruch* dicebatur, ineptum vulgus neſcio quam Cynicam nominis rationem habere adeo habuit perſuaſum, ut doctis etiam viris hac parte impoſuerit: non tantum Trithemio Moſellæ alumno, qui CYNONOTOS à ſe novè reperto vocabulo inſignire ſolebat, ſed etiam eruditiſſimo Auſonii poetæ illuſtratori, qui ad *Ioh. Scalig. Auſon. le-*

ction. lib. 1. cap. 1. Moſellam ejus ita annotat; *Quidquid inter Navam, Rhenum & Moſellam interjacet, joculari nomine a Germanis Hundsrucken vocari, ideſt quaſi dicas Dorſum canis, propter ingenium loci tum anguſtum, tum aſperum. ut etiam aliquod oppida & vici a ſaxis nomen ſortita ſint, ut Herſtein, Eberſtein, & ſi qua ſunt alia ejusmodi.* *Lib. III. rer. Germ. fol. 179.* Neque felicius B. Rhenano conatus ceſſit, qui mira litterarum contorſione, veluti que fidiculis adhibitis, Obrincæ fluvio apud Ptolomæum nominato extorquere voluit, *Hundsrucken* ab eo natum. **Lib. III. Coſmogra. cap. III. & tabula Rhenana in Ptolem.* Sebaſt. tamen Munſterus * æquo Jove conjecit Hunnorum præſidium vocabulo denotari: ex hiſtoriis vero quidquam de hac re certum haberi poſſe deſperavit. Neque etiam Pirckeymerus ſatisfacit qui in quadam ad B. Rhenanum epiſtola, ab Attila victore nobiliores Hunnorum in eo ſeceſſu poſitos ſcribit. *M. S.* Ego verò etiam antiquiores regionis colonos reperio: & omnino noſtro judicio res ita habet.

Cum gentibus illis Sarmatarum feris, Thraciam aliasque Romanas provincias infeſtantibus, bella geſſiſſe Gratianum Imp. Sext. Aurelius Victor, Oroſius & Zoſimus teſtes ſunt, devictos captoſque traduxiſſe, & arva eis in Galliæ parte aſſignaſſe, Auſonius αὐτόπτης in Panegyrico ei Principi dicto dilandat. *Victa Germanicum deditione gentilium, Alamanicum traductione captorum, vincendo & ignoſcendo Sarmaticum.* Ita & quod alius Panegyriſta de Francis a neſcio quo Imp. traductis ait; *Et ab ultimis* Sarmatiæ *oris avulſi fuerunt, ut in deſertis Galliæ regionibus collocati, pacem Romani imperii cultu juvarent, & arma dilectu.* Et alibi: *Non contentus viciſſe, in Romanas tranſtulit nationes, ut non ſolum arma, ſed & feritatem ponere cogerentur.* Jam verò quo locorum immanem & barbaram illam gentem Gratianus traduxerit, idem Auſonius in Moſellæ initio exponit loco ſingulari & ſummopere notando:

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam:
Unde iter ingrediens nemoroſa per avia ſolum,
Et nulla humani ſpectans veſtigia cultus,

Præ-

Prætereo arentem ſitientibus undique terris
Dumniſſum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arvaque SAUROMATUM *nuper metata colonis.*

id eſt, colonis è Sarmatia adductis. Qui illi? qui niſi Hunni? gens tum ferociſſima, atque omni pernicie atrociores, ut idem Victor loquitur. Hi tum vagis ſedibus aſſueti, ut Sauromatis ſe miſcebant, ita ab eodem Auſonio illis ſubinde junguntur, ut illorum propago. Precatione conſulari:

Qua vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chunni,
Quaque Getes ſociis Hiſtrum aſſultabat Alanis.

Et Epigram. 1.

Arma inter Chunnosque truces, furtoq; nocentes
Sauromatas - - Et Sidonio Narbone:
Pacem te medio darent feroces,
Chunnus, Sauromates, Getes, Gelonus.

Iidem & alibi locorum Gothis permixti, à Romanis victoribus terras acceperunt, mixto nomine *Got-Huni* dicti. Claudianus II. in Eutrop. GOTHUNNI.

- - *Legio pridem Romana Gothunni,*
Jura quibus victis dedimus, quib. arma domosque
Præbuimus - -

Hiſce igitur populis, in propriis ſedibus perculſis, & Romano inſtituto inde eductis, partem illam ſeu Galliæ ſeu Germaniæ, verè (quod Tacitus de univerſa ſcribit) informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque, & omnino illis habitatoribus dignam, tunc adhuc vacuam, arbitrio victoris minime inconſiderato tunc adſcriptam & metatam hic Auſonius clariſſimè probat: ipſe eam tunc perambulans, cùm à Bingio Treveros peteret. Quæ hodieque ab illis nomen quod primum ſortita, quodque Francorum ſub imperio habebat, *Pagus Hunesruck* (ut dixi) retinet, inobliteratamq; conditorum memoriam exhibet in arce *Hunoltſtein*, quæ vulgo *Hundſtein*, & arce oppidoq; *Caſtelhun*, quod caſtellum Hunnorum ſonat; nec non vico *Huntheim*, & *Hontshauſen*, & fonte *Hunenborē*, prope Simerā *Vide quæ ibi ad Moſellam notavimus.*

Adeoque

Adeoque villarum quædam univerſitas circa Ravengersburg (ubi fere pagi hujus meditullium & centrum) ſeptennales conventus quos habere antiquitus conſuevit, *Hundgeding* indigitare ſolet, quid quod & *vinum Hunicum* legimus, in documento quod alibi afferemus?

Dorſi vero metaphoram quis neſcit locis editis, montanis & alpeſtribus optimè convenire? Ut enim riparum celſarum frontes *Supercilia* Latinis auctoribus dicuntur, & radices imæ ad ripam vel vallem, *Pedes montis*; * ita quæ à ſummo cacumine montium continuantur planicies, *Dorſum jugi*. Cujus toties cum in Poetis & oratoribus nuſquam non exempla ſint obvia, juvat illuſtriora quædam ſaltem hic annotare. Q. Curtius lib. v. *Ipſe cum expedito agmine jugum montium cepit, quorum perpetuum dorſum in Perſidem excurrit.* Et lib. VII. *Inde agmen processit ad Caucaſum montem, cujus dorſum Aſiam perpetuo jugo dividit.* Et mox: *Taurus Armeniæ montibus jungitur: ſic inter ſe tot juga velut ſerie cohærentia perpetuum habent dorſum, ex quo omnia fere flumina decidunt.* De eodem Caucaſo Jornandes: *Inde Scythicis gentibus dorſo ſuo terminum præbens, ad Pontum uſque deſcendit.* Lucanus de Apennino:

- - *nullo quo vertice tellus*
Altius intumuit, propiusque acceſſit Olympo.
Longior educto qua ſurgit in aera dorſo,
Gallica rura videt - - De eodem Suetonius in Julio: *Viam munire, à mari ſupero per Apennini dorſum ad Tiberim uſque perfodere Iſthmum.* Statius I. Sylvar. - - *alpini qui juxta culmina dorſi.* De Pyrenæo Feſtus Avienus Periegeſi:

Inde Pyrenæi turgeſcunt dorſa nivalis.

De Alpibus Sidonius, panegyrico Majoriani:

- - *quem ninguida cernis*
Calcantem jam dorſi jugi. - Pacatus panegyrico Theodoſii: *Cum te vel alpium dorſa ſuperantem, vel flumina obvia tranantem.* Et ante hos omnes Julius Cæſar: *Jam ipſe Cæſar per exploratores cognoverat, dorſum eſſe ejus jugi prope æquum,*

*Pied. de la montaigne. Gal.

In Getic. cap. 7.

Cap. 44.

De bello Gall. lib. VII.

ſed

ſed ſilveſtre & anguſtum. Quomodo & Græci ῥάχιν & ἀυχένα regionibus tribuunt. Strabo de Norico loquens: Ἐξῆρται γὰρ ἡ χώρα πρὸς Νότον, καὶ συνεχεῖ ταῖς ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινα πρὸς Ἕω τεταμένην. Tertullianus & ſcapulas montibus tribuit, loco illo difficillimo De Pallio: *Non aliud ex alio mutant, & montium ſcapulæ decurrendo, & ſontium venæ ebullando, & fluminum viæ obambulando?* Sed quid ago? quaſi è Græcis Latinisve nobis ſit petenda dorſi ratio, quam ſuopte ingenio etiam vernacula nobis ſuppeditat. Ita enim in veteri Gloſſario Latino-teutonico obſervo: '*Jugum, Roeken. Jugoſus, Rokegteg, vel Bergeg*, eademque forma Germanorum fratribus Gallis, *Croupes des montaignes.* Atque ita ex altera etiam Rheni parte, Hunis noſtris oppoſita, editiſſimorum montium dorſum, qua ad Mœnum Loganamque fluvios extenditur, Haſſiaci Naſſoviique hodie juris, *der Hoheruck* nomen habet (ut Bil. Pirckeymerus in Germania notavit) vulgò populari ore *der Hayrich*, quod Henriciæ ſylvæ comminiſcendæ aliis occaſionem dedit. Habet denique paſſim Germania ejuſmodi tumidas montibus regiones, & (quod conſequens eſt) depreſſos fluminum alveos: id quod Tacitus alicubi tangit: *Omne dehinc cælum & mare omne in Auſtrum ceſſit: qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenſo nubium tractu validus, & rigore vicini Septentrionis horridior, rapuit diſiecitque naves.*

Einrichi, *apud Nithard. lib.* 111. *pag.* 475.

Annal. 11.

Talis igitur fuit etiam illa ſeu Galliæ ſeu Germaniæ regio interamnica, quæcunque Rhenum, Moſellam, Navam Sarramque amnes interjacet: inter quos depreſſis alveis profundum fluentes, illa velut dorſum atque adeo gibbus quidam protuberans, editiùs ſe extollit & eminet: aſpera quidem tum (uti dicebam) montibus regio, horrida ſylvis, quaque nulla totius Galliæ à Romanis ſubactæ pars ſeriùs exculta & inhabitata fuerit, ut Auſonio tum tranſeunti vix ulla humani cultus veſtigia

exhiberet: & hodie quoque ἀνάμπελος adhuc & ἄςαφυλος. Paulatim tamen ab illis exculta, frugesque omne genus ferre edocta: quin & arcibus præſidiisque inſigniter munita. Neque magnopere (meo judicio) errabit, qui præcipuos ejus regulos, Comites Sylveſtres dictos, eorumque & aliorum caſtra, à regionis qualitate nomina ſortitos putabit.

Wildgraffen.
Wildberg.
Wildeburg

Sylvæ in ea potiſſimæ duæ, IDER & SANE. Illius mentio extat in diplomate Dagoberti Regis, dato Abbati S. Maximini Trevirorum, quod extat apud Caſp. Bruſchium: *Quidquid prædii viſus ſum habere à fluvio qui nuncupatur Rubera, uſque ad ſylvam quæ dicitur Ider:* hodie, *Idervvald*, quam perfluit rivulus *Iderbach*, apud arcem Oberſtein à Nava receptus. Hujus in vita S. Ruperti, quem locum in Pago Nachgovve integrum adſcripſimus: *Et abhinc ad Simeram amnem dirigebatur & inde per ſilvam Sane, ubi amnis qui Heienbach vocatur, Rheno ſe infundit.* eo (ut puto) loco, ubi caſtrum Saneck Rheno imminet. Sed & bannus venationis in eadem ſylva hodie notus, feudi titulo à Palatinis inter alia Badenſibus Marchionibus conceſſus.

De monaſter. German. fol. 125 b.

Wildpan. vf dem Sane.

Fluviorum præcipuus SIMERA, cujus ibidem mentio fuit: ad quem deinde arx & oppidum excitatum, Principatus hodie titulo honeſtatum, & ſede natalibusque noſtrorum Principum clarum. Ignobiliores, qui eodem loco nominatus Heienbach, & Guldenbach; Birchenfeldum etiam acidos fontes habet, latè circum celebres. Sed neque metallifodinis hæc regio caret, de quibus Munſterus.

Die Simmer.

4. cap. 131

Villas & oppida, etiamſi non dubito pleraque etiam hodierna ſuam quandam altiorem antiquitatem habere, in diplomatis hactenus reperi iſtas:

Botenesheim.

Buppach.

Encriche. hod. *Enckerich*, ad Moſellam.

Rabengeresburch, quo deinde loco Anno MLXXIII. à Berthol-

Bertholdo Comite de Spanheim & Hedevviga conjuge cœnobium ejusdem nominis ſtructum fuit: In cujus dotatione ita habetur: *Igitur prædia ſua, quæ in tribus pagis habuerunt, id eſt in Nachgovve, in Trachari, & in Hundesruch, nimirum Tonneſſe cum ſuis pertinentiis, Cheri, Rabengeresburch, Botenesheim cum ſuis pertinentiis, ad altare S. Chriſtoferi martyris legaverunt.*

Symera.

Tonneſſe, Dunneſſa. hod. *Denſſen*, infra Kirchbergum. Et hoc quidem poſtremum pago etiam Nachgovienſi adſcribi video, qui quidem huic noſtro eſt conterminus, permixtus, & quaſi individuus.

PAGUS NAVENSIS. NAVA FLUvius. Dumniſſum Auſonii. Ravengeresburg Cœnobium. Comitatus Kirchberg. Caput Montium. Ingelheimum. S. Ruperti mons apud Bingium.

CAPUT XI.

PAGUS igitur Hunnico proximus eſt Navenſis, circa Navam fluvium, cujus apud Tacitum mentio eſt, & Auſonium in Moſella:

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam.

Et hic quidem pagus paullo cultior illo, quippe qui & vinum non contemnendum, frugumque abundè ferat, & villas non incelebres ab antiquo habuerit, antequam Hunni in viciniam inducerentur. Nam quo loco Auſonius *nuper metata arva Sauromatum colonis* dicit, eodem cujusdam loci meminit qui jam cognitus fuerit; Dumniſſi inquam, cujus ante omnia hoc loco antiquitatem illuſtrare propero. Vidi enim inter alia inſtrumenta litteraria vicini monaſterii Ravengerſpurg, authenticum diploma Ottonis III. quo proprietatis ſuæ prædium DOMNISSAM in comitatu Emichonis ſitum, Becilino cuidam donat. Cujus DUMNISSUM.

 hic

hic eſt tenor: *In nomine ſancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex, Omnium fidelium noſtrorum tum preſentium tum & futurorum noverit ſollers induſtria, quomodo nos ob petitionem & interventum dilecte ſororis noſtre Sophie ſanctimonialis, dedimus noſtre proprietatis predium* DOMNISSA *dictum Becilino fideli noſtro, atque idipſum predium in pago* NACHGOVVE *dicto, & in comitatu* EMICHONIS *Comitis ſitum, cum omnibus utenſilibus ſuis, hoc eſt mancipiis utriusque ſexus, areis, edificiis, terris, cultis & incultis, agris, pratis, campis, paſcuis, ſilvis, venationibus, aquis, aquarumve decurſibus, piſcationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, queſitis & inquirendis, cunctisque aliis que adhuc dici aut nominari poſſunt, ei in proprium tradidimus. Ea videlicet ratione, ut idem jam dictus Becilinus de prefata proprietate ſibi à nobis tradita liberam dehinc faciendi, quod velit, poteſtatem habeat, ſive eam tradere vel commutare, aut vendere, ſeu magis ſibi retinere voluerit. Et ut hæc noſtra regalis tradicio nunc & in futuro tempore firma conſiſtat, hoc præceptum inde conſcriptum ſigilli noſtri impreſſione ſignare juſſimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus. Signum domni Ottonis glorioſiſſimi Regis. Hildibaldus Epiſcopus & Cancellarius vice Willigiſi Archiepiſcopi recognovimus. Data* XIII. *Kal. Decembris, anno Dominice incarnationis* DCCCCXCV. *Indictione* VIII. *anno autem tertii Ottonis regnantis* XII. *actum Aquisgrani palatio, feliciter. Amen.* Exterius verò inſcriptum: *Scriptum ſuper Dunneſa*, in alio itidem: *De Denſen littera Ottonis Regis.* Ut dubium nullum ſit, eſſe illam ipſam Auſonii verſibus nobilitatam DUMNISSUM *arentem ſitientibus undique terris.* Nam & in eo unicus isque modicus fons eſt, & circumquaque magna aquæ etiam pecori potabilis penuria. Et ſubinde reperta ibi rudera veterum ædificiorum, effoſſa numiſmata, fragmina cruſtarum & columnarum, antiquitatem loci priſcum utcunque nomen retinentis, * ſatis aſſerunt. Quamvis fama ejus deinceps obſcurata fuerit Kirchbergæ nomine, poſito in colle imminenti oppido inſigni & arce, & Comitatus quoque

* *Hodie* Denſſen.

quoque deinceps titulo nobili, quique inter alia jura advocatiam Cœnobii Ravengeresburgenſis habuerit. Quam invenio circa annum MCCCCVIII. defuncto Gerhardo Comite de Kirperg, ejus familiæ ultimo, caducitatis lege ad Palatinatum recidiſſe, & à Ruperto Rom. Rege receptam, deinceps in jure Palatino manſiſſe.

Et quia ſemel ſucceſſit conatus, alium quoque hujus regionis locum reſtituta ei vetuſta origine Romana, ex ignoto cognitum, ex obſcuro illuſtrem celebremque reddam. Quis ille? Gemundium oppidum, à nobilibus de Schmidperg hodie poſſeſſum. Quod quis credat Latino & eleganti vocabulo antiquitus CAPUT MONTIUM audiiſſe? Id verò nos docebunt optimi illi Francorum annales Fuldenſes, à nobis primùm integrè editi, ſub Anno DCCCLVIII. ita habentes: *Villa quadam haud procul ab urbe Pinguia ſita eſt*, CAPUT MONTIUM *vocata, eo quod ibi montes per alveum fluminis Rheni tendentes initium habent, quam vulgus corruptè* CAMUNTI *nominare ſolet.* ita MS. codex habet, ubi à Pithœo editum erat, *Cammunzi:* & ne dubitatio ulla ſuperſit, ad marginem manu minimè recente adſcriptum video, *Gæmunde.* Montibus autem ſuperſcriptum: *Mons Lurlaberch*, qua de re alibi annotaſſe memini. Atque ita indigetationis Romanæ honorem hoc quoque ſive oppidum ſive villa nobis debebit. Extant verò & alia ejusdem appellationis, *Necker-Gemund*, *Schvvæbiſch-Gemund*, *Sahr-Gemünde:* cujus originem eſſe Teutonicam, à mundio (quod tutelam & defenſionem ſonat, ut alibi expoſuimus) deductam hactenus putavi; cum & in Carolini ævi diplomatis GEMUNDA ſcriptum viderem. Gemünde.

In eodem pago Navenſi reperio etiam antiquitus collocatam villam Ingelnheim, palatio regali, reſidentia ipſius Magni, multisque ibi habitis Synodis & conventibus nobilem, præſertim verò illa quæ ad petitionem Ludovici Galliæ Regis ab Hugone Capeto infeſtati, ab Ottone M. Imp. anno DCCCCXLVIII. ibi celebrata fuit, à Frodoardo accuratè deſcripta. Ingelheim

Ex ejus actis nuper in lucem editis, lubet principium adſcribere, ut ſitum loci quem dixi, ante omnia probem: *Anno ſereniſſimi Regis Ottonis* XIII. *ipſo quoque cum illuſtriſſimo Rege Ludovico manente, ſancta ac generalis Synodus apud Engilenheim in eccleſia S. Remigii confeſſoris Chriſti, in pago Nagauui dicto collecta eſt, præſidente domni Agapiti Papæ apocriſiario Marino* &c.

Cambden. in Britan. fol. 94. Sunt qui autument, Angliorum Saxonum partem nonnullam in interiores Germaniæ tractus profectam, Longobardis & Suevis permixtam, in Italiam penetraſſe, & ſui nominis veſtigia in villis *Ingelheim*, *Ingolſtat*, *Engelburg*, & *Engelrute* Germaniæ, & *Angleria* Italiæ reliquiſſe. Quam conjecturam adjuvat, quod in eodem tractu plures villæ extent ejusdem terminationis, à diverſis populis nomen habentes, qui forte in exercitu Caroli fuerunt: ut *Suabenheim, Thuringheim, Sachſenheim, Heſſheim* &c.

Dudum adeo popularis invaluit opinio, Magno illi Carolo vitalem auram hoc loci primùm hauſtam; ut nullo veteri aut ſpecioſo (quod ſciam) indicio, ita tam præjudicato & pertinaci progreſſu, ut poſt tot ſæcula ad ſucceſſorem illius cognominem, Carolum inquam Quartum, ea ſfama pervenerit. Qui quidem in rei memoriam, & cognominis ſui prædeceſſoris honorem, fundationem inſignis collegii Bohemorum ſacerdotum ibi condiderit, in qua ita ſcribit: *Sanè conſiderato, quod Imperator ille magnificus in villa Ingilnheym Magontinenſis diœceſis, in imperiali palatio commemorandæ ſuæ nativitatis ſumpſit originem, & dum gratis ſucceſſibus habitaret ibidem tractu dierum felicium, diſponente gratia conſilii cœleſtis, ſibi ab Angelo in quadam camera Aulæ ſuæ prædictæ fuit oblatus conſolatorius ille Orthodoxæ fidei gladius triumphalis, quo propiciante ſibi virtute divina de inimicis fidei victoriam potenter obtinuit* &c. Quin & incolis loci hodiernis id adeo perſuaſiſſimum habeatur, malam ut etiam apud eos gratiam initurus ſit, qui vel leviter in dubitationem id vocare conetur: quorum & vix ullus non uni ex filiis ſuis, CAROLI nomen

An. 1354.

Karle.

nomen in ſacro fonte indere pro reverentia illius Semonis conditoris ſui ſolet.

Nos ut nihil certo comperti de hac re habemus, quam nec adſtruere temerè, neque vero operosè refellere paramus; ita vetuſtatem loci Palatio Regali (quod Saalam hodieque vocant, ampliſſimo ambitu muris foſſaque cincto adhuc viſendum) jam tum claram, & in ejus ævi annalibus omnique ſequentium temporum hiſtoria frequentem, habitisque ibi Regum & Cæſarum curiis, comitiis, conciliis, torneamentis, aliisque feſtivitatibus cumprimis nobilem, inſigni ſaltem loco veteris ejus ſæculi ſcriptoris hactenus inediti illuſtrabimus. Is eſt Ermoldus Nigellus, miles primùm, deinde clericus ſub Ludovico Pio Imp. in cujus honorem quatuor libros ſcripſit verſu elegiaco, quorum quarto adventum Heroldi Denorum Regis ad illum memorans, ita hunc locum prædicat: Der Saal zu Ingelheim.

Engilin ipſe Pius placido tunc tramite - - Heim *
Advolat induperans, conjuge cum, ſobole.
Eſt locus ille ſitus rapidi prope flumina Rheni,
Ornatus variis cultibus & dapibus.
Quo domus alta patet centum perfixa columnis,
Quo reditus varii, tectaque multimoda;
Mille aditus, reditus, millenaque clauſtra domorum,
Acta magiſtrorum artificumque manu.
Templa Dei ſummo conſtant operata metallo,
Ærati poſtes, aurea hoſtiola.
Inclita geſta Dei ſeries memoranda virorum
Pictura inſigni quo relegenda patent.

* *Ita eſt in M. S.*

Sequuntur centeni plus minus verſus eas picturas exhibentes: poſtea iſti:

Illic ergo Pius Cæſar dat jura ſubactis,
More ſuo regni rite revolvit opus. Ex quibus apparet, Cæſarem quoque Ludovicum ibi ſedem tum ſuam habuiſſe. Quod autem de Columnis meminit, leviter transmittere non poſſum, qui illarum (ſaltem numero aliquarum) quotidianus

ferè

ferè ſpectator, rerum humanarum mutabilitatem vel ab iſto exemplo conſiderare ſoleo. Quis enim Ravennatibus unquam perſuaſiſſet, poſt octo ſæcula eorum columnas modò Ingelheimio, poſt Heidelbergæ ſpectaculo futuras? Id quod Munſterus annotavit, ita ſcribens: *Fuerunt eo ævo cum adhuc puer eſſem, ante L. videlicet annos, quinque aut ſex columnæ lapideæ fuſiles in monaſterio, quas olim Carolus Magnus ex Ravenna Italiæ unà cum aliis columnis, quæ hodie Aquisgrani videntur, exportari fecit. Sed princeps Palatinus Philippus tranſtulit illas* Heidelbergam, *ibique in arce eas in perpetuam artis fuſoriæ memoriam erexit.* Ubi quod de Ravennatibus columnis affert, non parum confirmatur ex breviario Epiſtolarum Hadriani Papæ ad Carolum M. (quæ numero XLIV. manuſcriptæ in Bibliothecis adhuc latitant) à Flac. Illyrico prodito, quarum XII. ita habet: *Karolo Regi Muſivum ac marmor palatii Ravennatenſis, tam in templis quàm in parietibus & ſtratis ſita, ſicut petierat, donat. Pro equo miſſo gratias agit* &c.

Lib. III, Coſmogra. cap. 178.

Et hæc quidem præcipua ſunt pagi Navenſis: cæteræ villæ obſcuriores nominari ſatis habent.

Alagaſtesheim.
Bildichingen, Bildechingen.
Binger marca.
Diſſenheim.
Gantſingen.
Giſelſtetin.
Gimminsheim.
Graolfesheim. [hod. Groelsheim.
Kircheim.
Laubersheim.
Longiſtheim.
Leſritesheim.
Munzah.
Naarheim. Narheim.
Nerſtat. [hod. Nierſtatt.

Seufers.

Seuferſheim.

Deinde ad exitum Navæ, quem Rhenus pater apud Bingium (*Pinguiam* proxima ſæcula ſcripſerunt) excipit, eſt quod pro Palatinis noſtris obſervemus. RUPERTUS enim ille, inter Sanctos poſtea relatus, cujus pater eo loco principatum habuit, & caſtrum oppidumque in monte inhabitavit, gente & domo Palatinus fuit, & quidem Rheni, ſi credimus Martyrologio Uſuardi: * *Apud Bingam Sancti Roperti, Ducis Palatini Rheni, & Confeſſoris.* Quod illi ferè credere malo, quàm quæ multo poſt vitam ejus ſcripſit, Hildegardi, quæ eum è Ducibus Lotharingiæ deducit, & hoſce terminos ei attribuit: *Poſſeſſio autem prædiorum ejus, quam hereditario jure tam à patre quam à matre, & à cæteris progenitoribus ſuis poſſederat à loco illo, ubi reliquiæ ipſius conditæ ſunt, videlicet, ubi Naha fluvius Rheno influit, ſurſum per ripam Rheni uſque ad Selſam fluvium ſe extendebat, & deindè ad alia duo flumina, quorum primum Wiza, ſecundum Apſſ'a dicitur, tranſibat, & illic ultra Naham fluviolum Elram dictum, qui ibidem medius trium fluviorum ejusdem vocabuli eſt, aſcendebat, & ab hinc ad Simeram amnem dirigebatur, & inde per ſylvam Sane, ubi amnis, qui Heienbach vocatur, Rheno ſe infundit, recurvabatur. Habitatio autem, tam B. Ruperti, quam matris ipſius, eodem tempore propter ſuavitatem defluentium aquarum in ipſo loco erat, ubi reliquiæ eorum nunc conditæ ſunt. Civitas verò ipſorum ibidem ſita, & fortiſſimis ædificiis munita, per totam adjacentem planitiem uſque ad radicem vicini montis, & uſque ad ripam Rheni tendebatur.* Certè ea cauſſa videtur, quod Ruperti ceu gentilitii cujusdam Divi prænomen multis Palatinorum (decem enim Ruperti in hac * familia numerantur) præ aliis complacuerit.

Rupertsberg.

* *Ad 15. Mai.*

DE WOSAGO SILVA. WASGOvia hodierna. Venatio Voſagi. Rumerici mons. Mauri monanaſterium. Luthra Cæſarea. Lucius Friderici II. Imp. Comitatus Bipontis.

CAPUT XII.

MINIME aſſentior illis qui Vogeſum & Voſagum pro eodem accipiunt, quæ ſunt diverſiſſima. Vogeſus mons eſt in finibus Lingonum, ex quo Moſa profluit, Julio Cæſare auctore: qui forte idem eſt cum Vocetio Taciti, de quo nunc non tangam. Voſagus ſilva vaſtiſſima in Germania trans Rhenum, Francorum regum venatione inprimis nobilis, Romanis ſcriptoribus (quod ſciam) haud perinde celebrata: niſi quod in vetuſta illa tabula itineraria (Peutingerianam an Welſerianam dicam?) expreſſa cernitur, SILVA VOSAGUS. Quo ex loco ſitus etiam ejus & ſpacium cognoſcitur, quandoquidem toti itineri à Treveris, imò & Mediomatrico, Argentoratum uſque prætexitur. Quod ut clarius fiat, deſignabo loca quædam à mediæ ætatis auctoribus ei regioni adſcripta. E quibus antiquiſſimam reperio memoriam in teſtamento B. Remigii epiſcopi: *Quibus etiam Berna ex epiſcopio, cum duabus villis, quas Ludovicus à me ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus,*
Biſchofsheim. *amore nominis mei* PISCOFESHEIM *ſua lingua vocatas mihi tradidit, ſive cum Coslo & Gleni, vel omnibus ſilvis, pratis paſcuis, quæcunque in Voſago infra, circum, & extra, tam ultra quàm citra Rhenum, precio dato comparavi, picem annuatim miniſtret; cunctisque locis Regularibus pro neceſſitate locorum ad vaſcula vinaria annuatim diſtribuat.* Vita Ludovici Pii à coævo auctore, ſub anno DCCCXXI. *Inde digrediens Aquaſgrani repetiit, & inde per Ar-*
Rumersberg. *duennam uſque ad Rumerici montis altitudinem, Voſagique latiſſimam vaſtitatem, totum quod ſuperfuit æſtivi & autumni temporis tranſegit.* Et poſtea ſub anno DCCCXXXI. *Dehinc in partes Rumerici montis per Voſagum tranſiit, ibique piſcationi atque venationi*

tioni indulſit. Et biennio poſt: *Lotharius Merlegium villam devenit, & Voſagum per Mauri monaſterium tranſiit, & Mediomatricum (quæ altero nomine Metis vocatur) pervenit.* Theodericus Rex Francorum, qui regnum iniit anno DCCXX. in privilegio dato XII. Julii. anno regni ſui III: *Venerabilis vir Perminius gratia Dei Epiſcopus, noſtris temporibus cum Monachis ſuis Deo inſpirante pro Evangelio Chriſti peregrinatione ſuſcepta, monaſterium virorum in eremo vaſta quæ Voſagus appellatur, in pago Alſacenſi, in loco qui vocatur Vivarius peregrinorum (qui ante appellatus eſt Murbach) in allodio fidelis noſtri Ebrohardi Comitis, cum ipſius adjutorio, Deo donante conatus eſt conſtuere.* Huc pertinet & vetuſtiſſimum, Dagoberti Regis fundatio, cœnobium Weiſſenburg. Nithardus libro III. poſtquam memorabile illud Ludovici & Caroli contra Lotharium fœdus apud Argentinam ictum recenſuit, diſceſſum addit: *Quibus peractis, Ludvvicus Rheno tenus per Spiram, & Karolus juxta Waſagum per Wizzunburg, Warmaciam iter direxit.* Idem paullo poſt non obſcurè notat, vias id locorum (ut in nemoroſis plagis ſolet) impeditas fuiſſe: *Et Karolus quidem per Waſagum iter difficile ingreſſus* &c. Ut jam dubium nullum ſit eam regionem eſſe, quæ compluribus dominis hodie parens, à Waſago apud Germanos nomen retinuit, *Das Wasgavv;* à Voſago apud Lotharingos, *le pais de Vosgues:* Francis olim Latinè pagus non quidem Voſagenſis (eum enim in territorio Biturico ponit Gregorius) * ſed *Vozenſis* (quod ad pronunciationem Gallicam ſive Lotharingicam proximè accedit) vel *Vonzenſis* nominatus. Frodoard. Annali DCCCCXXVI. *Hungari quoque Rheno transmeato uſque in pagum Vozinſem * prædis incendiisque deſæviunt.* Apud poſteriores etiam WASAGACIA ſcribitur. Et de Waſgavia illa extat ſingularis libellus vernaculo ſermone ſcriptus ab Heliſeo Rœslin archiatro Haganoenſium, viro nobis ob eruditionem & candorem amico. Nota etiam illuſtris Baronia *Geroltzeck im Waſſigeu* ſignanter dicta.

Mortmunſter. Murbach. Weiſſenburg.

* *Turonenſis lib.* IX. *cap.* 19.

* *Al. Vonzinſem.*

Nemoroſa olim (ut dixi) regio; ideoq; lignis omne genus

cædendis, tignis parandis, pici excoquendæ inprimis idonea, maxime vero venationi exercendæ; cui Francorum Reges & proceres ſolennirer ſtatis temporibus modò in Arduenna, modo in hac Voſago operatos, Annales ſubinde meminerunt. Venantius Fortunatus ad Gogonem:

Aut æſtiva magis nemorum ſaltusque pererrans
Cuſpide, rite feras, hinc ligat, inde necat?
Ardennæ an Voſagi, cervæ, capræ, Helicis urſi
Cæde ſagittifera ſilva fragore tonat?
Seu validi bufali ferit inter cornua campum.
Nec mortem differt urſus, onager, aper.

Lib. x. cap. 10. De bubalo, propria ferè Germaniæ fera, tangit & Gregor. *Dum ipſe Gunthramnus Rex per Voſacum ſilvam venationem exerceret, veſtigia occiſi bubali deprehendit.* De cervis & apris alii. Theganus de Ludovico Pio: *In menſe autem Auguſto, quando cervi pinguiſſimi ſunt, venationi vacabat, uſque dum aprorum tempus advenerat.* Alius de eodem: *Quibus diſpoſitis juxta morem Francorum Regum, autumnale tempus venationibus inſumſit.* Idem: *Ipſe autem Voſagi luſtra ſectaturus venatum petit. Interea venatione ibidem juxta morem Francorum expleta, cum hyemem exacturus Aquaſgrani reverteretur.* Idem: *Dimiſſis ergo legatis, Imperator exercitio venandi ſe commiſit Voſagi ſecretis, iterum id agendum credens.* Itaque raras admodum, vel nullas adeo, toto eo ſpacio civitates collocatas in Tabula illa Romana videmus: quæ tamen poſtea ſub Francorum imperio, nec infrequentes neque ignobiles ſurrexerunt, cum arcibus, monaſteriis, oppidis, villis prope infinitis. De quorum numero jam quatuor ſupra attigimus, è quibus cum aliqua hodierni juris Palatini ſint, occaſionem ſcribendi hujus capitis nobis dederunt.

Hirſchfaiſt. Sweinhatz.

Et his accenſere non dubito (quod veluti caput hujus capitis dixero) eximium ſuper omnes Voſagi decus, civitatem Lutram, Cæſaream olim dictam, à Friderico (uti conjicio) Barbaroſſa præſtantiſſimo Imperatore, conditore regalis ibi caſtri, de quo Radevicus: *Apud* LUTRA *domum regalem ex rubris*

Kaiſers-Lautern. *Lib. 11. cap. 76.*

rubris lapidibus fabricatam, non minori munificentia accuravit. Etenim ex una parte muro fortiſſimo eam amplexus eſt, aliam partem piſcina ad inſtar lacus circumfluit, piſcium & altilium in ſe continens omne delectamentum, ad paſcendum tam viſum quàm guſtum. Hortum quoque habet contiguum, cervorum & capreolorum copiam nutrientem. Quorum omnium regalis magnificentia, & major dictu copia, operæprecium ſpectantibus exhibet. Et Guntherus VI. Ligurini:

Rurſus Vangionum campos Luthramque reviſit:
Regalesque, ſibi quos ſtruxerat ipſe, penates
Incoluit paucis ſedata mente diebus.

Quanquam origo oppidi poſſit eſſe antiquior, quod amœnitas & oportunitas loci facile credibile reddunt. Invenimus quidem jam tum in diviſione filiorum Ludovvici Pii Imp. in portione Ludovici Regis inter alia etiam *Luteram:* quæ mentio non video cui alteri loco melius conveniat, cum Luthera Saxonica eo ævo nondum extiterit. Ut autem Lutera ſine dubio à fluvio eam perluente dicta eſt, qui verè pro nomine ſuo eſt limpidiſſimus, & optimorum piſcium nutritor, neque abs re Civitatis inſignia ornat, à quo & caſtrum non longè inde ſitum nomen traxit: ita Cæſarea (ut dictum) ab auctore & ſtructore imperialis ibi palatii, quod adhuc ibi ferè integrum extat, ut à Romana architectandi ratione aliquo modo diverſum, ita ſuo quodam decore & majeſtate minimè carens, Principibus Palatinis gratum ſæpe dignumque receptaculum, & venationi piſcationique peramicum. Et hoc ad differentiam alterius Luthræ, quæ Regia appellatur, cœnobio Monachorum, à Lothario III. Imp. fundato, ejusq; ſepulcro imperiali inſignis, tribus lapidibus Brunesvico diſtens.

Anno DCCCLXX. Apud Nithard lib. 4. in fine. Aimon. V. cap. 25.

Die Lauter.

Lautereck.

Königs-Luther.

An. 1135.

Neque verò minus Friderico etiam II. Imp. gratum hujus loci aſpectum & uſum fuiſſe, argumento certo eſt inſignis & miraculoſus ille piſcis, ante CXV. annos ibi captus in ſtagno vicino, quod etiam num à Cæſare nomen tenet: per quod ipſe fluvius Lutra tranſcurrens, molamque impellens, maximos & ſapidiſſimos

Kayſers-wag.

Kayſers-mühl.

diſſimos piſces nutrit, & in his lucium, quem *cultorem ſtagnorum* Auſonius vocat. De hujus autem longitudine & captura teſtimonium perhibet vetus pictura in arce ibi viſenda, piſcem ipſum ingentem torquatum exhibens, & lineæ nigræ XIX. pedes longæ adſcriptum habens: Diß iſt die gröſſe des Hechts / ſo Kayſer Friderich dieſes Namens der ander mit ſeiner Hand zum erſten in den Wag zu Lauttern geſetzt / und mit ſolchem Ring bezeichnet hat anno 1230. Wurd gen Heidelberg gebracht den 6. Novembris anno 1497. als er darin geweſen war 267. Jahr. Torques quoque, ſive mavis annulus collaris, æneus & deauratus, cum minuſculis annulis circumquaque inſertis, (qui etiam hodie in cimeliarcheis Palatinis, & merito aſſervatur) adpictus eſt, & adſcriptum: *Hæc eſt forma annuli quem Lucius geſſit in collo ad* CCLXVII. *annos; qui captus anno* MCCCCXCVII. *Lutræ ex ſtagno, & Heidelbergam perlatus* IX. *Novemb. hora poſt meridiem ſecunda.* Præterea & hæc: *In foraminibus iſtis nigris fortaſſe fuerunt ſigna imperialia vel ſimilia, nihil tamen reperimus: ſed ſolum foramina ſic poſita, ut patet.* Torques autem ille, verè viſu dignus & auro contra non carus, inciſam habet memoriam Cæſaris φιλέλλωος, qui felice manu tam vivacem piſcem, poſteris paſcendum ſimul & ſtupendum, ſtagno immiſit; quæ ita habet: ΕΙΜΙ ΕΚΕΙΝΟC ΙΧΘΥC Ο ΤΗΝ ΛΙΜΝΗΝ ΠΑΝΤΟΠΡΩΤΟC ΕΙΛΥΘΑ ΔΙΑ ΤΟΥ ΚΟCΜΗΤΟΡΟC ΦΕΔΗΡΙΚΟΥ Β̄ ΤΑC ΧΕΙΡΑC ΕΝ ΤΗ Ε̄ ΗΜΕΡΑ ΤΟΥ ΟΚΤΟΒΡΙΟΥ ΑCΛ. Hoc eſt: *Sum ille piſcis ſtagnum omnium primum ingreſſus per Imperatoris Federici II. manus, quinta die Octobris Anno* MCCXXX. Quem licet Auguſtâ manu ſtagno impoſitum, velutique præfectum, - - *depaſtumque diu vivaria*

Vide ciconia.

Iuvenal.

vivaria Cæſaris, tandem ætate feſſum & jam declinantem, crudelis coci machæra confecit, & ſub Philippo optimo principe epulis Palatinis intulit.

Et hæc de memorabili illo & ferè plus quam lucio, ut rem raritate non minus quam antiquitate commendabilem, hoc loco eo magis annotare operæ precium viſum eſt, quod ejuſdem vir doctus & probus, minus benè de tota re informatus, erroneam in ſuis commentariis mentionem fecerit: quam, ſi fata ſiviſſent, ex his noſtris ſine dubio fuiſſet correcturus. *C. Geſner. in Iconib. aquatil. fol. 516. edit. Baſil. 1560.*

In hac denique regione Voſagica ſitus eſt etiam pervitus & ampliſſimus ille Comitatus Bipontinus, vel (ut alii malunt) Dipontinus, jamdudum per connubium Palatinæ familiæ inſertus; & ſede Principum illuſtriſſimorum, Wolffgangi, Johannis ſenioris, & nunc junioris, Electoralis Palatinatus protempore Adminiſtratoris digniſſimi meritiſſimique, inprimis clarus. De quo forte erit ut aliâs plura ſcribamus. Nunc ad lineam Rheni redimus: quam dudum reliquimus apud Confluentes, dum interiora regionum, Ripuariorum comitatus, Hunnorum colonias, Woſagi ſaltus luſtramus. A Confluentibus autem ad Wormatiam (quo nos iſte excurſus jam deduxit) in tractu Rheni habemus iſta; idque auctoribus Antonino, Noticia, Tabula:

Bontobrice, Bodobriga, Baudobrica, hod. Boppart.

Voſavia, hod. Weſel/ & Oberweſel/ ad differentiam inferioris Weſaliæ in Cliviis.

Bachi ara, Bacharach/ juris Palatini. de qua infra cap. XVIII.

Trajana caſtra (ut aliquibus videtur) quæ Germanicè Trechtingshauſen/ vulgò Dreckshauſen.

Bingium, Pinguia recentioribus, Biggen. de quo aliquid ſupra cap. XI.

Magontiacum, Moguntia, ad Mogoni & Rheni confluentes, ubi caſtellum olim Trajanus poſuit, quod & hodie Caſtel.

Bonconica, quæ forte Ruſſiana Ptolemæi, hod. Oppenheim/ juris Palatini.

Borbetomagus Vangionum, ad quem imus.

DE PAGO WORMACIENSI,

ejuſque villis. Wormatiæ palatium & Ducatus. Sigeſridi herois & Gybiconis Regis fabella. De Moguntia aliquid.

CAPUT XIII.

INTER Germaniæ pagos nullum invenio ampliorem, celebriorem, villis oppidisque inſtructiorem, pago Wormatienſi. Nam & metropolis ejus Wormatia, *Borbetomagum* (BORBETOMAGUS.) ſub Romanis dicta, Vangionum olim caput; declinante poſtea imperio, Franciſque rerum potientibus maximè ab illis culta, adeoque eorum regia ad Orientem fuit, propemodum ut ad occidentem Lutetia ſive Pariſius. Ejusque regiæ adeo nominatim meminerunt optimi illi annales Karolini, à P. Pithœo primùm editi, ſub Anno DCCXCI. *Palatium Wormatienſe incendio conſumtum eſt.* Cum illo Pariſino & hoc commune habuit, quod B. Dionyſio Areopagitæ vicinum fanum utrobique Dagobertus Rex conſtituit: quod juxta Lutetiam manſit, juxta Wormaciam poſtea ſub Ludovico II. Imp. Cyriaco martyri conſecratum fuit. Francorum Reges poſtea more ſuo, ut aliis in locis, ita hac quoque urbe Comites Ducesque beneficiarios conſtituerunt: unde *Comitatus Wormatienſis* non ſemel legitur. Nominatim verò clara fuit memoria Eberhardi Ducis Wormaciæ Franconiæque, cujus filiam Gertruden in conjugio habuit Rigimirus Dux Lotharingiæ Moſellanicæ, circa annum DCCCCXLVI. cujus diplomata habet Roſerius. * Item Conradus Dux Wormatienſis, gener Othonis Imp. qui in duriſſimo prælio contra Hungaros ad Auguſtam Vindel. cecidit, Othone Friſingenſe teſte. Cujus inſigne Palatium Burchardus Epiſcopus, Henrici II. Claudi Imp. ſubſidiis, convertit in collegium Canonicorum S. Pauli, ut Bruſchius annotavit. Talis igitur Wormatia fuit. Annales Germanorum evolvito: nulla in civitate frequentiora Principum comitia, Regum Cæſarum-

**Stem. Lotharing. num. 35. & ſeq. Chron. VI. cap. 20. In Epiſcopis Wormat.*

ſarumque nuptias, aliosque ſolemnes conventus, & curias (quas vocabant) habitas reperies. Nimirum antiquitas celebritasque civitatis, oportunitas fluvii, fertilitas opimæ regionis Bacho Cerereque affluentis, id meruerat: De qua non illepidi ſunt verſus Guntheri, de Natali à Friderico Imp. ibi celebrato: *Ligurini lib. V.*

Hunc celebrare diem digno meditatus honore
Cæſar, ubi illuſtrem legerat ſibi Curia ſedem,
Quo poſſet pleno tot millia paſcere cornu,
Wormatiam petiit, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis.
Vtraque frugiferis tellus uberrima campis,
Vtraque vinetis exuberat, utraque pomis,
Piſcibus atque feris, & cunctis rebus edendis.

Hinc antiquiſſimæ fabulæ rythmis vernaculis conſignatæ, neſcio quem Gybiconem Regem Wormatiæ imperantem, neſcio quod roſetum virgineâ Crimhildis manu excultum, invictorumque heroum armis contra invaſores defenſatum, crebriſque duellis & concertationibus ſanguinolentum nobis decantant. Præſertim verò Sigefridi cujusdam gigantis, quem ab immani robore & duritie telis impervia, non ut Pelops ille humero fuit eburneo, ſed totum Corneum dixere, fama ad miraculum increbuit: qui ludis Olympicis à Crimhilde illa regali puella indictis, & Theodorico Veronenſe cum veteranis ſuis provocato, conſertis manibus multoque utrinque ſanguine fuſo, Cadmeâ prope victoriâ inter alios depugnârit; ibidemque tandem ſepultus, ceu alter quidam Hector, famoſum monumento ſuo locum fecerit. Cujus etiam pro haſta ingens pinus ibidem oſtentatur, ceu illa olim Pelias haſta, & *Roſengarten.* *Hürnin Seyfrid.* *Dieterich von Bern.*

nulli extra dominum vibrabilis ornus Achillei. *Auſonius.*

Quas nænias non tantum Henricus Oſterdingus quidam, auctor monſtroſæ fabuloſitatis libri Heroici ſuperiori ſæculo confecti, lingua vernacula deſcripſit; ſed & antiquiſſimo quodam Anonymi carmine Latino non abſimile nugamentum de Gy- *Heldenbuch.*

h bicone

bicone Francorum Rege Wormatiæ reſidente, ejusque filio Gunthario, tum Walthario Aquitano, & Haganone, deſcriptum in veteribus membranis habeo: quod cum aliis ejus farinæ in Tomo Francicorum ἀνεκδότων propediem (ζωῷ θεῷ) edere meditor. Sic ergo illud, de Walthario è Pannonia:

Venerat ad fluvium jam veſpere tum mediante,
Scilicet ad Rhenum, qua curſum tendit ad urbem
Nomine Wormatiam, regali ſede nitentem:

Et alibi ita Regem Gybiconem, jactantem inducit:

Dedecus at tantum ſuperabit Francia nunquam.
Antea quis fuimus ſuſpecti ſibila dantes,
Francorum, dicent, exercitus omnis ab uno,
(Proh pudor) ignotum vel quo, eſt impune necatus.

Et in fine: - - - - *& ſic diſpecti redierunt:*
Franci Wormatiam, patriam Antiquitanus adivit.

Tam plebeiis & pucrilibus fabulis vera priſcorum Francorum hiſtoria involuta intercidit: quos à corporum pariter animorumque robore (Romanis etiam calamis celebrato) Gigantes poſteritas credidit. Unde etiam domum quandam in Vangionum urbe, non dubiæ vetuſtatis, vaſta altitudine & amplitudine, vægrandi porta, ingentibus feneſtris (quam Prætorium Regum aut Ducum Comitumve Francorum fuiſſe certo
Riſenhauß certius eſt) Gigantum domicilium etiamnum vulgò vocant. Cumque ab immaniſſimis hoſtibus, modò à Croco Vandalo,
Lib. 1. modò ab Attila Hunnorum Rege (quem *hoſtem Rheni* Sidonius
Epiſt. 12. vocat) urbs expugnata & vaſtata fuiſſet; quæ propugnatoribus & reſtauratoribus ſuis non carebat, eos in heroum numerum poſteritas retulit: quomodo & Siffridi fabulam ad Sigibertum virum clariſſimum, quem circa annum DXXXVIII. ſub Theodorico Rege Majorem Domus fuiſſe, & Wormaciæ cum uxore Crimhilde habitaſſe, & multa fortiter geſſiſſe invenitur, non incommodè referri poſſe eruditis videtur. In annalibus

certè

certè urbis hoc annotatum, indicio viri docti nobis conſtat, Fridericum III. Imperatorem difficillimis in Belgio Maximiliani Cæſ. filii ſui nomine confectis expeditionibus feſſum, Wormatiam quietis & recreationis gratia ſe contuliſſe: ubi cum aliquandiu & propter Imperii negotia, & verò litis ejus quæ tunc civibus cum Clero intercedebat, componendæ cauſſâ commoraretur, de immani iſto Gigante per totam prope Germaniam decantato, cujus in D. Cæciliæ fano ſepulcrum vulgò oſtenditur, mira ad ipſum quoque perlata. Cujus rei cognoſcendæ cauſa mandaſſe, eruta terra tumulum ipſum perſcrutari, num aliquorum oſſium reliquiæ, ex quibus de tam vaſto corpore conjectura fieri poſſet, ſupereſſent. Eodem nimirum eventu, quo in Rolandi illius apud Aquitanos tumulum à Franciſco Rege inquiſitum Leodius * narrat. Illos enim etſi in viſcera terræ tam profundè deſcendiſſent, ut aqua copioſè egereretur, ne minimum tamen indicium ullius cadaveris, nedum Gigantei, reperiſſe. Ut jam liquidò conſtet, paria narrationibus veris Lucianicis eſſe, quæcunque de illo Sigefrido ineptorum rumoribus jactata, ab ineptioribus unquam credita fuerunt.

M. Frid. Zornii epiſtola ad Meliſſum.

** Append. Palat. Orig. 1. p. 153.*

Sed miſſa hæc faciamus, cum jam non ſit noſtri inſtituti, Vangionum origines inveſtigare (quod ab aliis cœptum, uti nam in publico extaret) ſed veteres Carolini ævi villas (quæ hodie Palatini juris pleræque) in agro & pago Wormatienſi poſitas enumerare: quod genus reperio ſequentes.

Guiliel. Iſengrin. M. Frid. Zornius.

NOTICIA VILLARUM PAGI

vel Comitatus Wormatienſis, Franciçè *Wormesveld*, *Wormazfeld*, *Wormazfeldun*; hodie Wormſſergawe / & præ aliis κατ' ἐξοχὴν ſimpliciter das Gawe.

Abenheim.
Aburinesheim.
Affloheim.
Agmarsheim.
Aggridesheim. [hodie Oggersheim/ oppidum ſatis munitum & elegans. In eo vetus extat ſtatua MERCURII, foribus diverſorii inſerta.
Alagaſtusheim, *Alagaſtesheim.*
Alahesheim, *Alausheim*, *Alesheim*, in Comitatu Wahalonis. [hodie Allesheim / vicus non exiguus, ſitus am alten Rhein/ qui illum olim alluebat, nunc alveo mutato diſceſſit. habet
Alzey. duas Eccleſias, ut appareat non parvum fuiſſe. Ab hoc ALZEIA forte diverſa, & recentior. Nam & ita ſemper ſcripta invenitur, *Alceia*, non *Alesheim.* Ejus mentio habetur in vita Landoaldi, ex qua *Alſatiam* male fecit Surius. Fuit & ſcriptor *Conradus de Altzeya* circa annum MCCCLXX. apud Geſnerum. Et plura de hac alibi.
Albucha, *Albucher* marca.
Aothmaresheim, *Autmaresheim*, *Autersheim.*
Appinſtein. [hod. Affenſtein.
Arasheim, *Harasheim.*
Aribimesheim.
Arilbach.
Aslah marca.
Aſcmundesheim.
Aſchininbrunn. *Aſchibrunn.*
Azulenheim, *Azalunheim.*
Babenheim, *Baabenheim.*
Baldolfisfelde.
Batenheim.
Bercheim.
Berenbrunn.
Bermotesheim, *Bermittesheim.*
Bertolfesheim.

Ringen.

Bingen.
Biſcofcesheim.
Biſeſtat.
Birgelen, ſuper fluvium Rhenum.
Blatmaresheim.
Blithersheim.
Botinesheim, *Botensheim*, *Butinesheim*, *Butinsheim*, *Butinheim*, *Buncinesheim.*
Brizzenheim. [hod. Brezenheim/ Domus Comitum à Falkenſtein.
Brunheim.
Buxlare, villa.
Caisbotesheim, *Cheisbotesheim*, *Keisbotesheim.* hodie Gaiſpitzheim/ ſic dictum, quaſi *Gavvſpitzheim*, ut *Gavv-beckelnheim.*
Carlobach, villa.
Chnolingen.
Dagaſtisheim.
Dagolfesheim.
Dulaheim. [hod. Dalheim.
Devenheim.
Dienenheim, [hod. Dienheim. à quo equeſtris familia nomen habet.
Ditelsheim, *Titelsheim.*
Dulgahesheim, *Dulgesheim*, *Dulgensheim.*
Duncinesheim, *Dunzinesheim.*
Durincheim, ſuper fl. Rheno [hod. Türckeim/ ut à Thuringis, non à Turcis dictum appareat.
Ebblisheim, *Ebbelesheim.*
Ebenſtein, villa.
Eberulvesheim, *Eborolfesheim.*
Eichinen, *Eichinum.*
Enſeltheim, *Enſiltheim.*
Erpholfesheim.
Eſcilebrunn, *Aſchibrunn.* [hod. Eſchelbrunn.

Flaanheim, *Flannenheim*.
Flarideſheim, *Fleterſheim*. [hod. Flersheim.
Folkesheim, *Folcheſheim*.
Frankondal, *Frankendale*. Ubi deinde A. MCCXXXV. Buggo epiſcopus Wormatienſis monaſterium Auguſtinianorum condidit, auctore Trithemio in Chronico Hirſaug. Hodie oppidum elegans, à Gallis & Belgis mirificè excultum, ſub Duce Joh. Caſimiro Palatino, & Friderico IV. Electore.
Frecanſtaten.
Frecmarsheim.
Fridolfeſheim, [hod. Fridelsheim.
Frigmersheim, *Frimersheim*. [hod. Freimersheim.
Friſenheim.
Frittenheim. [hod. Frettenheim.
Gautzoldesheim, *Gozolvesheim*, *Gozolfesheim*.
Gautzvvinesheim.
Gemminisheim. [hod. Gimbsheim.
Gillenheim, *Gellenheim*, [hod. vulgo Gellheim / clade Adolphi Cæſ. locus nobilis, qui ibi in patentibus campis ab Alberto Auſtrio cæſus, & mox in vicino monaſterio Roſendal tumultuariè ſepultus, in loco commiſſæ pugnæ monumentum habet, murum quadratum cum imagine Crucifixi, & inſcriptione: ADOLFUS A NASSAU ROM. REX. INTERFICITUR APUD GELLINHEIM. Non longe ad radices montis TAUNI, quem prope Vangiones collocat Tacitus: qui hodie *Dobrſberg*, quaſi *Tonnerſberg*, ut vulgo volunt, quaſi Tonantis montem dicas.

TAUNUS *mons*. *Annal*, *12*.

Gimminheim.
Gozinſesheim.
Gozmesheim
Graulfesheim.
Gumersheim, hodie monaſterium prope *Odenheim*.
Gunſenheim *Gunzinheim*, juxta Mogontiam civitatem.
Gunteim, *Guntheim*, villa.

Guntma-

Guntmaresheim, Guntrameſheim, fortè à Gunthrammo Rege, à quo eſt & monaſterium *Godramſtein*, utrumque quaſi Guntramni ſedes & præſidium.
Hagenheim, ſuper fluvium Saluſiam.
Hamme, villa.
Harauuesheim.
Harlesheim.
Haſmachgovve.
Heichinloch, Heichino.
Heimradesheim.
Heppenheim apud Wormaciam, hodie Heppenheim auff der Wieſen: ad differentiam alterius Heppenheim in ſtrata montana, quod in pago Rhenenſi ſupra apparuit.
Heſinloch. [hod. Haßloch.
Heſſinheim, Heſſenheim, Heiſinisheim. [hod. Heßheim.
Hildebaldeshus.
Hildebotesheim.
Hoffouua, villa.
Hughilheim, Huchilheim. [hod. Heüchelheim.
Ibernesheim, Ibensheim, Ibersheim.
Imminesheim.
Iſanburc.
Kreicesheim.
Kyrcheim.
Lammundisheim. [hodie Lambsheim.
Landrisheim, Lendrichesheim.
Laonisheim.
Leiberesheim, ſuper fluvium Cherminbitzia.
LINUNGA marca [hodie Leiningen/ Comitatus inſignis & perantiquus, & duplex, Altt und Neu Leiningen.
Linkanheim.
Liutmarsheim, Liumarsheim. hod. Laumersheim.
Liutresheim.
Longiſtisheim.

Ludol-

Ludolfesfelde.

Mauuenheim.

Meltrideshheim.

Mereſche, Meriſche, ſuper fl. Rhenum ſita.

Mettenheim.

MOGUNTIA civitas, *Megunzer marca.* Quam valde notandum eſt, tantam civitatem, pago Wormatienſi ſubditam & annumeratam fuiſſe. Quippe & archiepiſcopatus Wormatienſis longe antiquiſſimus & ampliſſimus, & ob prærogativam metropoleos ſuæ, quæ Regum eo tempore ſedes, aliis ſublimior, & Moguntinus ſub illo fuit, ad annum usque Domini DCCXXIX. quo ſub Pipino Rege & Gregorio III. Pontifice vice inversâ Moguntia ſublimata, & Wormacia præſulis ſui Gervilionis culpa depreſſa. Vide Bruſch.. & Cratepol. in Catalogo Epiſcoporum.

Mulinheim.

Mumenheim, Momenheim.

Mundinheim.

Munnesheim, Muntisheim, Muntinheim.

Munulpheshheim.

Munzinheim, Muncenheim, Munzanheim, Monzenheim. [hod. Monzingen.

Mutaha, marca.

Nacheim.

Naraheim.

NAVVAS fluvius. *Nava* & *Navus* Tacito, & Auſonio, die Nahe. Hic peculiarem pagum habet, de quo antea.

Niuuora, marcha.

Niuuarcheim, Neouarchcim.

Nubenheim, Nuvvenheim.

Odenheim, Otinsheim.

Ominsheim, Omineshheim.

Obbenheim, Oppenheim. villa ſuper Rhenum fluvium in Comitatu Zeizolfi Comitis. Hanc à Carolo M. Rege quondam

cœnobio

cœnobio Lauriſſamenſi donatam, Conradus II. Rex. Rom. certa permutatione ad dominium Imperii retraxit: poſtmodum in jus Palatinum ſub Ludovico Imp. pervenit.

Offenheim.

Offenſtein.

Oſtouva. [hod. Oſthofen.

Otmaresheim, Aotmaresheim, Otersheim.

Oternheim. Martyrologio VII. Novembr. [hodie Odernheim.

Patennicheim, villa juxta Wormatiam, apud Regionem ſub Anno DCCCXXIII.

Quernheim. [hod. Quernheim

Regingiſesfelde.

Riom, villa.

Rocchesheim. [hod. Rorheim

Rodenbach.

Roſſinga, Roſſungen.

Rudolfesheim.

Sagenvvert, vel *Sigenvvert*, inſula quæ jacet in ripa Rheni.

Salſen, marca.

Sauuenheim, Savvilenheim, Sovvelenheim. [hodie Saulheim.

Scarra, ubi baſilica.

Spizisheim. [hod. Spießheim.

Sprendilingen.

Suaboheim, ubi cœnobium hodie.

Sultzheim.

Sunnincheimere-ſtete, ultra Rhenum.

Suſenheim.

Tethanheim.

Tornung, marca.

Tradinesheim.

Tribunisheim.

Truchmaresheim.

Vininesheim.

Vlfridesheim, Vlfritesheim.

Vodenheim.
Vndenheim.
Vluuerusheim.
Waccanheim, *Wackenheim.* [hod. Wachenheim.
Walahaſtat. [hod. Wallſtatt.
Walahesheim, *Walaheim.*
Wanandorph.
Waſiſtat, *Weſeſtat.*
Wellingesheim.
Wendilsheim, in Binger marca.
Widergiſa.
Wigenheim. *Wizenberc*, mons in illa marca.
Wilenheim.
Winolvesheim.
Winteresheim.
Wihſa marca: *Wiſore*, *Wiſere* marca.
Witersheim.
Wizzinheim. [hod. Weißheim auff dem Sand.

Pfawen-porte.

WORMACIA civitas Vangionum. Ita jam tum vocabatur. Nam & portæ ejus, quæ Pauonia dicitur, inſcriptus titulus cubitum ferè longis litteris: SPECULA VANGIONUM Antiquitus apud Antoninum, Ptolemæum, & in tabula Itineraria BORBETOMAGUS, inde paulatim detorta *Vorvetomagus*, *Vorvemagus*, *Vormagia*, *Wormacia.* Homines clerici ſcripſerunt etiam *Guarmacia*, & Concilia allegant apud *Guarmaciam habita*, & Epiſcopum *Guarmacienſem.* Benjamin Tudelenſis Hebræus in Itinerario ſuo ſcribit corruptè (ut cætera pleraque) *Germetza.* Alii elegantuli *urbem Wangiam* commenti ſunt, ut in epitaphio Gregorii V. legimus:

cap. 1. De cenſib. c. Si aliquis. De homicid. volunt.

Lingua Teutonicus, Wangia doctus in urbe.

De qua videſis, qui plura cupis, Munſterum, Irenicum, Rhenanum, Heroldum.* Sed & peculiarem de ea commentarium parabat Guliel. Iſengrinius, ut in Spira ſua meminit, quo neſcio quid factum. Hodie id argumentum in manibus eſſe

** De ſtat. legion. in vet. Germ. cap. 20. & 12.*

intelligo M. Friderico Zornio, ſcholæ Wormatienſis rectori, viro eruditiſſimo, cui faventem Perſicam opto.

DE STATIONE MARTENSIUM

apud Altam-ripam. Neoſtadienſis Eccleſiæ inde facta dotatio per Rupertum Palatinum. Neapolis Nemetum.

CAPUT XIV.

INTER Vangiones & Nemetes medius eſt locus quidam, ob opportunitatem non tantum trajectus, ſed etiam altioris ripæ, velut in aggerem quendam erectæ, Romanis olim minimè ignotus neque neglectus, cui & nomen inde fecerunt ALTÆRIPÆ, quod in hanc uſque diem manet. In eo ſtationem militum ordinariam, à Gradivo patre nomen habentem, ad Rheni limitisque tutelam habuiſſe, fidem facit Notitia Imperii, * loco etiam alibi allato: Altrip.

Præfectus militum Vindicum, Nemetes.
Præfectus militum Martenſium, Altæ ripa.
Præfectus limitum ſecundæ Flaviæ, Vangiones.

* Cap. ſub diſpoſitione Ducis Moguntiac.

Quem locum nimis perfunctoriè inſpexit & allegavit Ortelius in Theſauro: *Alta ripa circa Moguntiam in Germania urbs, in lib. Notitiæ. Hujus meminit quoque* (ait, & fallitur) *Codex Theodoſianus.* Nam & à Moguntia longiùs abeſt, neque civitas eſt, aut fuit: ſed hodie vilis pagus, ſola trajectus (de quo dixi) oportunitate noſcendus; olim ſtatio legionum & præſidiariæ manus, ob editiorem ſitum in tumenti loco * (unde & ad ſpeculandum, & tela mittenda trans alveum Rheni, promtior facultas) præ aliis oportuna, & caſtello utique ſeu prætorio aliquo munita. Cujus adeo ante duo adhuc ſæcula veſtigia ſuperfuiſſe, didici ex diplomate Ruperti ſenioris Palatini Electoris, dato Heidelbergæ MCCCLXXX. in quo Eccleſiæ collegiatæ S. Ægidii, in oppido Novæ Civitatis ſitæ, donavit *curtes ſive curias in Nuvvenhoffe, prope villam Altripſ Spirenſis Diœceſis, cum area ibidem, ſuper quam ab olim fortalitium ſive caſtellum fuerat ædificatum, cum quatuor*

* Der Sandberg / hodieque.

prædiis &c.. Sed cur non totum adſcriberem, in memoriam laudatiſſimi Principis? cui etiam Academia Heidelbergenſis originem ſuam debet, quique in Neapoli illa Nemetum una cum conjuge tumulum ſuum habet ita inſcriptum.

ANNO. DOMINI. MCCCLXXXX. IPSA. DIE BEATE. JULIANE. VIRGINIS. OBIIT. ILLUSTRIS. PRINCEPS. RUPERTUS. DUX. SENIOR. FUNDATOR. HUJUS. ECCLESIE.

ANNO. DOMINI. MCCCXCV. XVI. DIE. MAII. OBIIT GENEROSA. DOMINA. BEATRIX. FILIA. DUCIS. DE MONTE. UXOR. ILLUSTRIS. PRINCIPIS. RUPERTI. SENIORIS. ELECTORIS. IMPERII. SENIORIS. ELECTORIS. IMPERII. COMITIS. PALATINI. RENI. ET. BAVARIE. DUCIS.

RUPERTUS *Senior Dei gracia Comes Palatinus Reni, ſacri Romani imperii princeps elector archidapifer, & Bavarie Dux. Magnum quidem premii meritum apud conditorem omnium Deum omnipotentem proculdubio promereri ſperamus, ſi venerabilia & ſacra loca prædiis rebusque poſſeſſionibus noſtre aliis, ob di*[illegible] *honorem, genitricisque glorioſe virginis Marie Sanctorumque commemorationem conceſſo nobis ab altiſſimo noſtro tempore ampliamus. Proinde nos Rupertus Dux ſenior predictus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quàm preſentibus notum eſſe volumus, quod* [illegible] *pro remedio anime noſtre, parentum & fratrum omnium animarum, atque pro noſtra ſalute perpetua, Eccleſie collegiate ſite in* [illegible] *Nove civitatis Diocæſis Spirenſis in honore S. Egidii confeſſoris ſponte libere & ex certa ſcientia matura prehabita deliberatione dedimus & donamus donatione perfecta irrevocabiliter inter vivos perpetuo valitura, ac nos ut ſic pro nobis & noſtris heredibus ac ſucceſſoribus univerſis dediſſe & donaſſe preſentibus publice profitemur, diſcretis viris devotis noſtris Decano & Capitulo prefate Eccleſie collegiate S. Egidii in dicto opido ſite, & eorum ſucceſſoribus in eadem Eccleſia univerſis, curtes ſive curias in* Nuvvenhoffe *prope villam* ALTRIPE *Spirenſis Diocæſis, cum area ibidem, ſuper quas ab olim fortalicium ſive caſtellum fuerat ædificatum; cum quatuor prædiis ſive bonis noſtris ibidem liberis allodialibus, quæ vulgariter nominantur* Vic[illegible]

Alta Ripa, olim ſtatio Romanor.

gen

gen plitzgevvichte, *cum agris, pratis, paſcuis, cenſibus, & cum omnibus ſuis attinentiis, juribus cohærentibus, dependentiis & connexis, quemadmodum ad nos Ducem Rupertum predictum pleno jure ſeu quaſi pertinebant & pertinuerunt, & in ipſorum poſſeſſione pacifica & quieta ſeu quaſi, hactenus fuimus atque ſumus: excepto tamen jure advocatie ſuper dicta villa* Nuvvenhoffen, *& quibusdam aliis curiis & bonis ibidem & in terminis ipſius ſitis, quam & quæ nobis & heredibus noſtris duntaxat reſervamus: præfatas tamen curias, predia & bona per nos (ut premittitur) donatas & donata, ac cultores ſive colonos pro tempore earundem ab omni ſervitute & advocatia, ſtura, precaria, & qualibet exactione, nec non quocunque alio onere abſolvimus, & in perpetuum liberos & libera eſſe volumus, & preſentis ſcripti noſtri patrocinio liberamus: transferentes pro nobis & univerſis heredibus & ſucceſſoribus noſtris in prefatum Decanum & Capitulum & eorum ſucceſſores, nec non Eccleſiam collegiatam predictam omne jus proprietatem & poſſeſſionem prefatorum liberorum bonorum, omnimodo jure & forma, quibus melius de jure vel conſuetudine ſubſiſtere poterit & valere: promittentes inſuper pro nobis noſtriſq; heredibus & ſucceſſoribus univerſis, predictam donationem in omnem modum & formam (ut premittitur) per nos factã, ratam & gratã cum omnibus ſuis articulis irrefragabiliter obſervare, nec contra eandem donationẽ vel aliquam ejus formam venire, vel contraveniendi conſentire, verbis neq; factis directè vel indirectè quovis modo: nec prædictos Decanum & Capitulũ ac ſucceſſores eorundem in prædictis liberis bonis ac juribus & pertinentiis eorundẽ inquietabimus ſeu moleſtabimus, ſed potius eosdem & eorum ſucceſſores contra omnes & ſingulos ipſos in premiſſis inquietantes perturbantes & moleſtantes, in quantum poſſimus, manutenebimus fideliter & defendemus. Conſtituentes quoque & promittentes pro nobis & heredibus & ſucceſſoribus noſtris univerſis, pretactorum liberorum bonorum & omnium pertinentiarum ipſarum debitam & veram vvarendiam, per annum & diem & ultra, juxta jus & conſuetudinem hujus patriæ generalem, verè nos facturos. In quorum omnium teſtimonium & perpetui roboris firmitatem, ſigillum noſtrum his ſcriptis diximus ap-*

pendendum. Et nos Rupertus prejunior Dei gratia Comes Palatinus Reni & Bavarie Dux, recognoſcimus tanquam heres & ſucceſſor univerſalis præfati nepotis * *noſtri domini Ducis Ruperti ſenioris, prefatam donationem preſcriptorum bonorum, & liberationem eorundem, omni modo & forma ut premittitur, ex noſtro libero conſenſu & aſſenſu bona voluntate factas eſſe & fuiſſe, easque pro nobis & noſtris heredibus & ſucceſſoribus univerſis ratas & gratas in omnibus modo & forma premiſſis habentes promittimus bona fide easdem inviolabiliter obſervare abſque dolo & fraude, nec ullo unquam tempore contra easdem venire directe vel indirectè quovis modo. Et in evidentiam omnium & ſingulorum premiſſorum ſigillum noſtrum etiam preſentibus eſt appenſum. Datum Heidelberg anno Domini* MCCCLXXX. 1380.
die VII. *Junii.*

* pro propatrui.

DE PAGO SPIRENSI. NEMEtes. Noviomagum vetus. Nemidona, Spirea. Terpſipolis, alia.

CAPUT XV.

NULLI populorum Germanorum vetuſtate & potentia conceſſere Nemetes, Νέμητες Ptolemæo. Cujus rei argumentum eſſe poteſt, quod ab eis ſumtum nomen omnibus in univerſum Germaniæ nationibus ab exteris tributum fuerit, à Sclavis nimirum, eorumque progenie Polonis & Bohemis, quibus *Niemechi* ſunt Teutones: à quibus & Græci id ipſum acceperunt. Neque enim aliud ſunt *Nemitzi*, quos Celticam nationem eſſe, & Conſtantinopoli ſub Nicephoro Botaniate militaſſe, Zonaras & Glycas meminerunt: ἦσαν δὲ παρά τινα πύργον πρὸς τῇ πύλῃ τῆς πόλεως ἡ Χαρσια καλεῖται, φυλάσσοντες Νέμετζοι (ἔθνος δ' οἱ Νέμετζοι Κελτικόν). οὗτοι λάθρα τοῖς περὶ τοὺς Κομνηνοὺς ἐκοινολογήσαντο περὶ προδόσεως τῆς πόλεως. Et ſtatim: παρὰ τῶν Νεμίτζων. atque

atque iterum: ὑπὸ τῶν Νεμίτζων. Quo loco ad oram Glycæ rectè hoc Leonclavius noſter annotavit: *Nemitzis, hoc eſt, Teutonibus, quos Slavorum lingua Nemitzos vocat.*

Nemetum autem caput & metropolis quæ fuerit potius, quàm quæ hodie Rheno adjacet urbs ampliſſima, ambigi non poteſt: de nomine forte res controverſia non careat. Sunt enim qui Auguſtam Nemetum apud Æthicum non rectè accipiant: quod nec Ortelio condonare poſſum, qui ſciam civitatem eam eſſe Hiſpaniæ, una voce *Auguſtanemetum* dictam, quæ ad Nemetes noſtros Rhenanos nihilo magis pertineat quàm Nemetacum Belgicum, vel Nemetocerna, aut Nemetobriga Hiſpanica. Certiùs fecerimus, ſi NOVIOMAGUM teneamus, quod Ptolemæus Nemetibus tribuit, Νοιόμαγος. Cujus ſi fides vacillaret, abundè firmaretur Antonini Imp. auctoritate, cujus in Itinerario omnino hoc ordine Rhenanæ civitates Germaniæ primæ enumerantur: *Saletionem, Tabernas, Noviomagum, Borbetomagum, Bonconicam, Maguntiacum.* quas & eaſdem eodem filo collocatas in tabula illa celebri Peutingeriana videre eſt: ut jam oculis pariter auribusque hujus rei fides facta videatur. Sed & abſolutè NEMETES pro principe eorum civitate, κατ' ἐξοχὴν quandam, veteribus dictos invenio, & graviſſimis quidem auctoribus ut Marcellino, quo loco Gallias tam graphicè deſcribit: *Dein prima Germania, ubi præter alia municipia Maguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota.* Et D. Hieronymo ad Gerontiam: *Vangiones longa obſidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, Tornacum, Nemetes, Argentoratum translatæ in Germaniam.* Et in ipſo præ omnibus authentico rei Romanæ inſtrumento, Noticia inquam Imperii, *Sub Diſpoſitione V. S. Ducis Moguntiacenſis*, enumerantur Rheni præſidiariæ legiones: *Præfectus militum Vindicum, Nemetes. Martenſium, Alta Ripa. Secundæ Flaviæ, Vangiones.* Et ſanè id no-

Noviomagus.

id nominis ceu præcipuum civitati adhæſit, ut poſterioris ævi ſcriptoribus non jam *Nemetes* in plurali (ut Grammatici loquuntur) numero, ſed inde ſumto formatoque vocabulo NEMETIS ipſa nuncuparetur. eadem planè forma, qua Namnetum civitas NAMNETIS, ejus ſæculi conſuetudine, Fortunato indigitatur & Gregorio Turonico, & Mediomatricum urbs METIS eiſdem. Et ab iſta Nemeti, ejus præſul in vetuſtis Synodalibus actis, aliisque monumentis, *Nemetenſis Eccleſiæ Epiſcopus* dictus. Neque hoc contenti, aliam inſuper terminationem, illam Germanicis Gallicisque oppidis familiarem, DUNUM inquam, exornandæ voci paulatim addiderunt, ut NEMIDONA fieret, ad exemplum Campidonæ, & Lubodunæ, & ſimilium. Ita enim Walafridus Strabo abbas Augienſis, qui Carolino ævo vixit, in vita B. Galli cap. XXIV. *Nemidonæ etiam, quæ à modernis* SPIRA *vocatur, venire fecit Epiſcopos, nec non totius Alamaniæ presbyteros apud Conſtantiam convenire præcepit.* Innuit nomen urbis eo ſæculo manſiſſe, & Spiræ nomen primulum irrepſiſſe apud vulgus. In libro quidem Provinciarum quem Tancredo aliqui inſcribunt, ita legimus:

Gallis *Nantes.* *Mets.*

Nemiduna.

> *Provincia Germania prima, civitates* IV.
> *Metr. civ. Magontiacenſis.*
> *Civ. Argentoratenſium.*
> *Civ. Nemetum. i. Spira.*
> *Civ. Vangionen. i. Wormes.*

Aliis SPIREA ſcribitur, quod paſſim apud medii ævi ſcriptores occurrit, & ſignanter Godfridum Viterbienſem, ubi Henrici IV. Mauſoleum ibi inſtitutum memorat:

> *Sacra ſepultura tunc Cæſaris eſt valitura.*
> *Sanctaque Spirea, membra recondit ea.*

Ejus originem eruditi altius repetentes, ad Græcos fontes revocant, alii aliter conjectantes. Neque pigrabor adſcribere elegantem locum doctiſſimi hominis Adolphi Mekerchi Brugenſis, ita ſuaviter raciocinantis: *Eximie Spiram nomi-*

Libro de lingua.

nomi-

num multitudinem vocavit, auctore Feſto; & Græcis σπεῖρα caterva, Græcæ vet. *vam, manipulum, exercitum & cohortem prætoriam ſignificat. Inde* pronunc. SPIRA *urbs Nemetum, Germanicè* Speyr/ *ſic dicta quod in eam* cap. XXIX. *urbem Conſtantius, à quo vel condita vel ornata eſt, cohortem prætoriam collocavit velut in ſpeculam, ad cuſtodiam ac defenſionem totius viciniæ. Cum enim in locis Spiræ vicinis diu commoratum eſſe cum exercitibus Conſtantium conſtet; neque abſurdum eſt, neque alienum à veritate hiſtorica, Spiram nomen adeptum eſſe à Græcis cohortibus, quemadmodum Latiburgum à caſtris Latinis Heidelshemium ab Helena Conſtantii conjuge, Brettam ἀπὸ τῶν Βρεττανῶν ſive Britannis, qui cum Helena Conſtantium ſecuti ſunt. Sunt & aliæ ad Rhenum urbes quæ Latina nomina conſervarunt, ut à Bacchi ara Bacharacum, ab ara Lunæ Arlunum, Colonia* &c. Hæc ille, argutè & lepidè, ut omnia. Vere magis illi, qui à fluviolo ejus nominis, qui ad quintum inde lapidem ortus apud vicum quendam Hohe-Speyer dictum, ipſam urbem Spiram perluit. Ita & civitas non contemnenda *Lautern* à rivo cognomine perfluente, (ut ſupra annotavimus) & *Siegen* oppidum Naſſovici juris à Sega fluvio, & arx comitatusque *Wied* à fluviolo præterlabente, & alia ab aliis vocabula ſua ſortita. Die Speyr

Hæc ſaltem ſuper inclitæ civitatis nomine, ab aliis minus obſervata, in ejus honorem annotare hoc loco viſum eſt. Cætera enim ejus decora, quibus inter omnes Imperii urbes caput altius effert, neque noſtro præconio egent, in omnium oculis poſita, neque verò ſunt hujus loci. Et proprios quidem illa dignosque ſe ſcriptores inveniet, viros non minus recondita eruditione inſtructos, quàm hujus argumenti peculiariter peritos & conſcios: quos ut mediata ſua in publicam conferre maturent, publico etiam nomine hoc loco obteſtor.. Nos quod noſtrum eſt, agemus: & quia circa civitatem in agro Spirenſi aliquam multa Palatini juris ſunt, indiculum villarum in eo Pago poſitarum, à Karolino ævo repetitum ſubjungemus.

Camera Imperialis.

M. Chriſtophorus Lehenman, Syndicus.

NOTICIA VILLARUM PAGI

Spirenſis, ſive *Spirgovv*, *Spircgouue.* *Spirchgouue.*

Affalterloch.
Alarideſtat, *Arilateſtat.* [fortè hodie Altteſtatt. ubi præfectura electori Palatino cum Epiſcopo Spirenſi communis.
Alaſheim.
Anſilheim.
Aſſenheim.
Bellinheim. [hodiè Belheim.
Bettenberg.
Blatmarsheim.
Bochincheim. Buchinegheim. [hod. Bockenheim.
Carlabach.
Dantiſtat.
Didinesheim. [hod. Deydesheim/ optimi vini ferax.
Fiſchilingen.
Flamaringen.
Forcheim.
Fridolfesheim. [hod. Fridelsheim/ venatoria domo & cultiſſimis hortis Principis inſignis.
Frimarsheim.
Ginheim, Ginninheim.
Godmarſteine.
Grazolfeshuſon.
Gunzinheim, *Gunzingen.*
Hagenheim.
Hemmingesheim.
Hergiſesheim. [hod. Herxheim.
Hochtorph, *Hochſtat.*
Hubenſtat, *Hubeſtat.*
Huglincheim, *Huchilincheim.* [hod. Heüchelheim.
Huiſingen.

Lintlers.

Liutmarsheim.

Luſtheim, Luſtat, Luſtatheim. Pagus hodie duplex, Ober und Nider Luſtat. Uterque pinguiſſimâ glebâ notus, quæ præter fruges omne genus etiam copiam cæpæ & allii, crocique ſilveſtris uberrimè producat. Quem TERPSIPOLIN meam ludibundus appellare ſoleo, quod in utroque ruſculi aliquid partim beneficio Palatino (nam ab equeſtri familia de Zeiskeim extinctâ recepto feudo, Sereniſs. princeps Fridericus IV. Elector me meosque filios munificè donavit, hominesque ſuos eſſe voluit) partim proprio jure poſſideam. Fuit autem & olim ibi nobilis familia illorum *von Luſtat*, dudum emortua. Ut hæc obiter.

Macchenheim, Makhenheim.

Mudach, Mudahen.

Mundeger marca.

Muterſtat, Muderſtat.

Olinsheim.

Richinesheim.

Rotlebesheim.

Scurheim.

Sigulfingheim.

Snoringen.

Stratvelt.

Thurnesheim.

Vdomarsheim, Vdemarsheim.

Wackenheim. [hod. Wachenheim/ oppidum elegans, generoſo vino nobile.

Walahesheim.

Wenzingen. [hodie Wintzingen/ pagus & caſtrum inſigne, prope Neoſtadium.

Wipgarda, Wingartheim. [hod. Wingarten.

Wilere villa.

Wiſere marca.

Zezzincheim.

Zeithingovv.

RELIQUA TRACTUS RHENI. Vicus Julius. Tabernæ Rhenanæ. Neuburgum. Saletio ubi patrimonium Adelheidis Aug. Fundatio cœnobii ejusdem.

CAPUT XVI.

SUPRA Nemetes in aſcenſu Rheni occurrunt Vicus Julius, Tabernæ, Salecio, & in hac finitur diſpoſitio V.S. Ducis Mogontiacenſis, incipit ſub Comite tractus Argentoratenſis. Ita enim habet Noticia Imperii.

Præfectus limitum Anderecianorum, Vico Julio
Præfectus militum Menapiorum, Tabernæ.
Præfectus militum Pacenſium, Salectio.

Vici autem illius Julii nulla apud alios eſt mentio, quod ſciam, non Ptolemeum, non Antoninum, non tabulam Itinerarium: neque mirum, quia vici, & forte eo ævo recentis. Minus enim quid vicus (quod genus complures in Antonini Itinerario occurrunt) quàm oppidum, urbs, civitas; & forte muro portisque carens, quod colligo ex illo loco Auſonii, de Bingio:

Addita miratus veteri nova mœnia vico.

Utut ſit, non aliud veſtigium Vici illius Juliani à Romanis hodie comparet: quem poſtea ſub Francorum imperiò in Germeri aut Germerici alicujus jus veniſſe, & paulatim è vico in oppidum creviſſe, nomen & res ipſa loquitur. Hodie Palatini juris, & ob venationes vicinas, & divitem non tantum piſcationem in reſtagnantis Rheni paludibus, ſed & auri e Rheni ipſius fundo extractionem, non inamœnus.

Germersheim.

Tabernarum autem reliquiæ, cum nomine *Zabera* eſt Frodoardo, & hodiernæ loquelæ) in ditione Epiſcopi Spirenſis ſuperſunt, *Rhenenſes* dictæ, ad differentiam Tabernarum Montenſium, & Alſaticarum, & Moſellanicarum, quarum Auſonius meminit: - - *riguasque perenni fonte Tabernas.* Ne

Rhein-Zabern. Berg-Zabern. Elſaß-Zabern. Bern-Kaſtel,

de

de Tabernis-tribus Apoſtolo Paulo nominatis quidquam addam. *Altor. 18. verſ. 15.*

Poſt has conſpicitur hodie in eadem ripa ſiniſtra arx & pagus quidam Palatinici dominii, *Neuburgum* dictus, quemque putes aliquid antiquitatis Romanæ redolere. Putavit quidem Ortelius. *Item aliud Noviomagum inter Borbitomagum & Argentoratum, quod Neuvvenburg putarim.* Fruſtra. Quia merè Germanicum opus, ante pauca luſtra adhuc in adverſa ripa reſedit, donec Rheno patri viſum, (qui cenſitorem agrorum & dominiorum veteri & optimo maximo jure agit) primum undis ſuis utrinque amplecti & inſulam facere, poſtea in alterum latus incumbendo, paulatim mutato alveo, è Teutonia in Galliam transponere. Quo vel ipſo notabilem cumprimis locum cenſeo. Newburg. Theſauro.

Tendimus ad metam, quæ nobis pariter cum veteri illo Duce Moguntiacenſi apud Saletionem poſita, feſſos excipiet, & vellere aureo recreabit. SALECIO eſt Noticiæ SALISSO Antonino, poſtea Francis *Saloiſſa* caſtrum, apud continua torem Gregorii: in donatione Ottonis M. facta Adelheidæ Auguſtæ, *Saliſe curtis ſita in Eliſatium*, neque hodie nomen penitus mutavit. Donatio quam dixi, ita habet. *Lib. XI cap. 37.* Selß.

IN NOMINE *ſanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus, Notum facimus omnibus fidelibus noſtris, preſentibus ſcilicet & futuris, qualiter nos, per interventum ac petitionem amantiſſimi filii noſtri Ottonis Imperatoris, dilecte conjugi noſtre Adelheide Imperatrici, regnorumque noſtrorum conſorti, in proprium donavimus juris regni noſtri quasdam curtes ita nuncupatas,* Hohfeldon, *&* Sarameresheim, Suchhuſum, *&* Marinzavviler, *atque* Saliſe, *ſitas in* Eliſazium, *in comitatu* Hugonis *Comitis, cum Eccleſiis, curtibus, ædificiis, mancipiis, terris, cultis & incultis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, vineis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, molendinis, molendinorumque locis, exitibus, reditibus, queſitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus rebus, omnibusque pertinen-*

tinentiis, que dici vel nominari poſſunt, ad præfatas curtes, Hohfeldon, Saramcresheim, Suchhuſum, *&* Morinzanvviler *atque* Saliſe *petinentibus (ut jam prediximus) noſtre dilecte conjugi Adelheidæ Imperatrici, regnorumque noſtrorum conſorti, in integrum donavimus, ut jure hereditario habeat, teneat firmiterque poſſideat, habeatque poteſtatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, quidquid ei exindè placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut hec noſtre authoritatis donatio omni tempore firma ſtabiliſq; permaneat, juſſimus indè hoc preſens preceptum conſcribi. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, hoc præceptum manu propria ſubtus firmavimus, annulique noſtri impreſſione ſigillari fecimus.*

Signum Domini Ottonis Magni & invictiſſimi Imperatoris noſtri.



Rutgerus Cancellarius ad vicem Hattonis Archipræſulis & ſummi Cappellani, recognovi & ſubſcripſi.

Data XVI. *Kal. Decemb. Anno Dominice incarnationis* DCCCCLXVIII. *Indictione . . . . Anno regni ſereniſſimi Ottonis Regis* XXXIII. *Imperii ſcilicet ſui* VII. *Actum Aterno civitate, que ſita eſt ſuper fluvium qui ſic dicitur, in Chriſti nomine feliciter. Amen.*

Adelheidis donum in uſum ſacrum convertit, cœnobium ibidem ſtruendo, de qua re auctor vitæ ipſius, quem putant Odilonem Cluniacenſem: *Ante duodecimum circiter annum obitus ſui in loco qui dicitur* SALSA, *urbem decrevit fieri ſub libertate Romana, quem affectum poſtea ad perfectum perduxit effectum. In ipſo etiam loco monaſterium à fundamentis miro opere condidit, & ad honorem Dei & Apoſtolorum principis, tertio imperante Ottone, videlicet nepote ſuo, in præſentiarum ſecum aſtante,* XIV. *Kal. Decembris auguſtiſſimè & devotiſſimè à Wideraldo * Argentinæ*

Cap. VII.

* *Al.* Wilderolfo. Wideroldo. *vide Bruſch.*

gentinæ civitatis Epiſcopo conſecrari juſſit. Ipſum verò locum adeo ditavit & nobilitavit prædiis, ædificiis, auro & gemmis, veſtibus precioſiſſimis, aliisque variis ornatum ſuppellectilibus &c. Cujus advocatia poſtea in jus Palatinum pervenit.

RHENUS AURIFER. AUREI Rhenenſes. Metalla Palatina. Varia.

CAPUT XVII.

AURUM propitii an irati Dii Germaniæ negaverint, dubitavit olim Tacitus. Ego magis, propitii an irati dederint. Dediſſe enim jam conſtat: ſed non ſine ſudore parandum, vel potius algore & frigore. Neque enim terræ venas ſcrutari neceſſe eſt (quamvis & has non deeſſe nemo dubitet) ſed è Rheni patris alveo everrere & expiſcari: ne ſoli Tago Iberi, Pactolo Indi ſuperbiant. Non quod in eo aurum generetur, quod rerum naturalium ſcriptoribus non videtur: * ſed quod è montium auriferorum fibris radicibusque abraſum ille arenis ſuis involvat, & in certos vortices atque caveas (quibus inde nomen natum) congerat; unde improbo urinantium labore non ſine vitæ diſcrimine, una cum ipſo ſabulo (cui & ipſi nomen inde adhæſit) è profundo hauſtum & extractum, multaque lotione tandem purgatum, in tenuiſſimis quibusdam grumulis & ramentis veluti ἀτόμων inſtar compareat: quæ deinceps adhibito hydrargyro in globulos aut lamellas coalita, monetæ aut monilium uſibus ſerviant, nihilo quidem quovis alio auro vel Pannonico deteriora. Idque adeo jus auri fluvialis (ut ita dicam) legendi, non minus quàm fodinarum ſubterranearum, Palatinus Princeps inter potiora faſtigii ſui emolumenta, quæ Regalia vocamus, uſurpat: quod à Manhemio & Rheni Nicrique confluentibus, Saletionem uſque, diverſis locis per redemptores illos aurilegulos etiamnum exercetur. Quorum locorum nomina præcipua ante aliquot annos hæc comperi. Ro heßheim / bey Peters aw / der Grübelſtein / Germersheim / Mittelgrund / Pfeiffersgrund / Vnder und Ober-

** Georg. Agric. lib. 5. de ſubterran. ortu & cauſ. Et lib. 3. de re metall. in fine.*

Goltgründe / da gegoldet wurdt. Goltſande.

Ober-Scherffer / Gensgrund / Wörder / Michelfeld / Rinderhecken / Joſtenwerth / Hagenbach / der Lemmerhock / Kragenweid / Munchhauſen / Kindelsgrund / Danhauſen / Danhauſergrün / Seltz. Neque ita nova res eſt, quin jam ſuperiori ævo nota fuerit. Æneas certè Sylvius alicubi notavit: *Rhenus aureas evolvit arenas. In Bohemia fluvii ſunt, in queis ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt.* Quinimo jam tum ante aliquot ſæcula Otfridus Weiſſenburgenſis Monachus, Evangelii interpres rythmicus, qui ſub Hludovico Germaniæ Rege Pii F. Magni N. circa illa loca ætatem egit, teſtis rei cumprimis idoneus comparet: qui in Prooemio operis inter Francorum laudes, & regionis dotes, hoc de metallis non omiſit:

Germaniæ cap. 58.

Zi nuzze grebit man ouh thar
Er inti Kuphar.
Joh bi thiu Meina
Iſine ſteina.
Ouh thara zua fuagi
Silabar ginuagi.
Joh leſent thar in lante
Gold in iro ſante.

Ut jam non Poetica fide dictum accipiam à Nonno Panopolitano in Dionyſiacis lib. XLIII.

Νηρεὺς μὲν τάδε δῶρα πολύτροπα, δῶκε κούρῃ
Περσικὸς Ευφρήτης πολυδαίδαλον εἶδος ἀράχνης,
Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος, ἐχεκτεάνων δὲ μετάλλων
Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων.

Neque aliunde repetenda mihi videtur aurea illius monetæ origo, cui à Rheno nomen inditum, à quatuor Principibus Electoribus ad Rheni fluenta ſedes habentibus, Moguntino, Treverenſi, Colonienſi, Palatino, primitus ea forma & temperatura procuſæ, & cæterorum deinde ordinum imitatione frequentatæ. Non quod ex ſolo auro Rhenano fieri ſoleant

Rheiniſche Gülden.

qui

(quî enim illud ſuffecerit?) aut quod aurum illud ſui natura tale ſit, quale in Florenis illis conſpicitur; in quibus jam acceſſione quadam argenti (*Ligam* & *alligamentum* monetarii vocant) plus ſatis dilutum, plurimum nativæ ſuæ præſtantiæ amiſit: ſed quod in Rheni partibus rutilante illo metallo prius quàm alibi terrarum invento, aurei ibi primum inter Germanos percuſſi fuerint, multo illi tunc ævi integriores quàm progreſſu temporis: donec certam & ponderis & temperamenti legem quatuor illorum primariorum Imperii Principum conſtitutione acceperunt. *

** Georg. Agricola lib. 11. de pond. & temper. monet. fol. 298. Budel. de re monetar. lib. 1. c. 22*

Sed & præter hanc auri (ut ita dicam) piſcaturam, metallifodinas ſuas non contemnendas Palatinatus jam olim habuiſſe probari poteſt: etſi hoc tempore minus exerceantur, ſive quod idonei redemptores deſunt, ſive quod jam exhauſtæ negliguntur. Ita in vetuſtiſſima locatione Anshelmi Abbatis Lauriſhamenſis circa annum MXCIV. legitur: *De Wetzenloch de curtib. &c. De monte autem ubi argentum foditur 1. marca, & de mercato* XX. *marcæ.* Annales Dominicanorum Colmariens. ſub anno MCCXCII. annotarunt, *Mineram auri apud Heidelberg inventam.* In Ottonica Silva apud Reichenbach, ſub Comitatu Erpacenſi, ditiſſimæ venæ plumbi aparuerunt: & ferrariæ pluribus locis officinæ fertiliſſimæ, in quibus ferrum tam fuſile (fornacibus pyralium ſive ſtubarum magnis & minoribus effingendis aptiſſimum) quàm ductile ſive cuſile laboratur, perpetuo opere, nunquam refrigeſcentibus caminis, ingenti colentium fructu deſudant. In Strombergenſi territorio abundè reperiri fodinas æris, ferri, plumbi, argenti, nec non marmoris nigri, & chryſtalli, compertum eſt. Et de metallis in Hundsrucke auctor eſt Munſterus. Ut non otioſa fuerit conceſſio metallorum, res aliàs regalis (ut vocatur) ſive fiſcalis à Friderico II. Imp. data Ludovico Palatino-Bavaro anno MCC XXIX. quam hoc loco ſubjicere lubet.

Appendic. Originum.

Coſmogr. lib. III. cap. 181.

FRIDERICUS *ſecundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. Dignum eſt & conſentaneum rationi,*

ut hii qui ad exaltationem noſtram votis fidelibus & ſervitiis preclar.s aſpirant, à munificentia noſtra ampliora beneficia conſequantur. Hac itaque conſideratione inducti univerſis Imperii fidelibus tam preſentibus quam futuris notum facimus, quod nos attendentes ſinceram fidem & devotionem, nec non & obſequia, que dilectus conſanguineus noſter Ludovicus Dux Bavarie Palatinus Comes Reni, majeſtati noſtre frequenter exhibuit, & in antea poterit exhibere, ex vera ſcientia & de mera liberalitate noſtra donavimus ſibi & heredibus ſuis & in rectum feudum conceſſimus, omne genus metalli tam in auro & argento quàm in aliis, quod in terris patrimonii & feudi ſui fuerit repertum, cum omni jure & utilitate exinde perveniente, & quam nos & Imperium percipere deberemus. Statuimus igitur & auctoritate regia diſtrictè precipimus, ut nulla unquam perſona alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſecularis, contra hanc noſtram conceſſionem venire preſumat; quod qui preſumſerit, offenſam noſtram & gravem indignationem incurret, & pro pena temeritatis ſue Centum libras auri componat, quarum medietas Camere noſtre, altera verò paſſis injuriam perſolvatur. Ad hanc autem noſtre donationis & conceſſionis memoriam preſens privilegium inde ſcribi & ſigillo magnificentie noſtre juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt Cunradus Ratuſponenſis Epiſcopus, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Otto Dux Moravie, Palatinus Comes Burgundie, Comes Cunradus de Sosburch, Genehardus Landgravius de Luikenberg, Diepoldus frater ejus, Anshelmus Mareſcalus de Finſtingen, Ramungus de Svvabach, Albertus Lupus, Albertus Rindesmul, & alii quamplures. Ego Cunradus Metenſis Epiſcopus & Spirenſis, Imperialis aule Cancellarius, vice domini Sifridi Moguntinenſis ſedis Archiepiſcopi & totius Germanie Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis MCCXIX. *Indict.* VIII. *regnante domino noſtro Friderico Dei gratia illuſtriſſimo Romanorum rege ſemper Auguſto & rege Sicilie, anno regni ejus in Germania ſeptimo, & in Sicilia viceſimo ſecundo, feliciter.*

ALIA

ALIA RHENI DECORA. VINVM *Rhenanum. Mons Lurlaberg. Ara Bachi. Salmonis captura. Ancorago piſcis. Alia.*

CAPUT XVIII.

ETSI confecta periegeſi noſtra Palatina, ægrè à Rheno avellor: neque ſanè avelli me volens patiar, niſi inſignia adhuc quædam Rheni munera, dotes, decora, quæ Naturæ dono habet, calamo meo gratus accola exornem. Vinum primò, illud tot gentium gulis expetitum. Sed quia

Bacchus amat colles - - - - - - & altè
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis:

colles & montes illi vitiferi primò nobis viſcendi ſunt, neque ſine aliqua (ut ſpero) voluptate. *Vergil.*

Annales Francorum Fuldenſes, ſub Anno DCCCLVIII. ita habent: *Villa quædam haud procul ab urbe Pinguia ſita eſt,* CAPUT MONTIUM *vocata, eo quod ibi montes per alveum Rheni fluminis tendentes initium habeant; quam vulgus corruptè* CAMUNTI *nominare ſolet.* Quo loco manu minimè recente, neque unius ſæculi, ad marginem quidem nomen ejus villæ annotatum video, *Gæmunde*; Montibus verò illis Rhenum includentibus interlinealiter ſuperſcriptum, *Mons Lurlaberch.* quod vel unum indicii teſtimoniique ſatis ſuperque eſſe poterat: niſi accederet ab eodem (quantum colligo) ævo, Poetæ etiam Germani nomine MARNER locus, in cantilenis Teutonicis circa ætatem Friderici Imp. II. conditis, verſiculo XXXVII. ubi Rhenenſes populos perſtringit, inter alia ita cantillantis: Der Lurleberg.

Stad vf ſtad abe in vvechſet vvin,
In dienet ouch des Rines grunt. Et mox:
Der Ymelunge hort lit in dem Lurlenberge in bi.

Ait, ingentes Ditis theſauros in monte illo Lurleio latere, unde etiam in fundo Rheni aliqua utilitas percipiatur: qua de re

 paullo

paulo ante dictum eſt. Id verò nomen neque unde ductum ſit, neque an adhuc hodie in uſu ſit, ſatis ſcio: hoc ſcio, inter medios illos montes ad dextram paullo infra Weſaliam aliquos eſſe, in quibus ſine exemplo mirificè reſonabilis Echo eo nomine (Panas, Sylvanos, Oreades ibi habitare olim putarunt) nautarum vel prætereuntium laſciviâ laceſſi & inclamari ſolita, voces ſonosque omne genus non tantum clariſſimè replicet, ſed variè multiplicatos reddat & remittat. De quo Conradus Celtes alicubi ita meminit:

Ober-weſel. Der Lurley.

Amor. III Eleg. 13.

Sed cum perventum eſt obliquæ ad cornua vallis
Quam rapidus vortex ſævaque Syrtis habet:
Voxque repercuſſis ſpecubus reboabit ab altis,
Fertur Sylvicolas quos habitaſſe Deos:
Quaque ſibi cæcos memorant quæſiſſe meatus
Rhenum, & ſub terras fertur habere vias;
Atque aliis dicunt tandem regionibus ortum
Largifluos fontes amne creare ſuo:
Ceu Graii memorant ſubter labentia terris
Flumina apud Siculos fontibus orta novis:
Hic pater alme tuo, poſco, ſis numine præſens,
Ne navem refluo ſorbeat unda freto.

Lib. III. pag 146.

Et Bernardus Mollerus in deſcriptione Rheni:

Mons ſubit ad dextram Rheni: deſpectat in undas
Sub latebris Echo quem reſonare facit. &c.

Quod & utrumque, tam Rheni ibi deliquium velutique abſorpti interitus, quàm admirabilis ille Echo, inter Rheni rariora ornamenta adeoque miracula referri poterit.

Etſi autem toto omnino Rheni tractu, à fonte primo ad Ubios uſque, optimi & generoſiſſimi vini ingens Dei beneficio ſit proventus, quantus uſquam in orbe exculto reperitur; & præſertim quà montibus illis Lurleianis auguſtatus includitur Rhenus, verè continua quædam & perpetua vinea dici poſſit: tamen flos Liberi patris omnium judicio laudatiſſimus, eâ & unicâ parte ditionis Palatinæ in montibus illis naſcitur, quæ à

Baccho

Baccho nomen habere, adeoque Bachi aram ſonare, non abs re omnibus creditur. C. Celtes eodem loco, amicam à vino arcens: Bacharach

Præſertim quæ collis habet, qui nominis auctor
Urbi eſt, de Baccho nomina clara gerens.

Et Mollerus ibidem:

Mille quater paſſus, ſimul ac Trajana recedunt
Culmina, Bachracum gurgite læva ferit.
Dicitur hæc Bacchi ſedes: fert montibus arcem,
Inſidet oppiduli mœnibus ipſa ſui.

Quod enim apud idoneos auctores veteres nulla loci hujus mentio neque veſtigium hactenus apparet, ejus rei cauſſam eſſe puto, quod licet neque ſoli vitio neque aeris intemperie terra Gallia aut Germania vitibus caret, Romanorum libidine oppreſſis provinciis vites conſerere diu non liceret, ut vel Domitiani apud Tranquillum edicta probant: *Ne quis in Italia novellaret, utque in Provinciis vineta ſucciderentur; relictâ ubi plurimum, dimidia parte.* Quod Philoſtratus nimis universè retulit: ἀμπέλυς τε μὴ φυτεύειν ἔτι, και τὰς πεφυτευμένας δὶ αὐτῶν ἐκκόπ]ειν. Provincialibus enim hoc interdixerat, ut ibi Jonibus ἐκέλευε, καὶ ψιλῶσθαι τὴν γῆν, καὶ μὴ φυτεύεσθαι. Quod & apud ſequentes Principes obtinuiſſe credibile eſt. Unde velut pro re nova & inſueta, Eutropius de Probo: *Vineas Gallos & Pannones habere permiſit.* Et Vopiſcus: *Unum ſanè ſciendum eſt, quod Germani omnes cum ad auxilium eſſent rogati à Proculo, Prolo, Probo potius perſervire maluerunt, quàm cum Proculo aut Bonoſo eſſe. Germanis omnibus & Gallis hinc permiſit, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Tardiùs igitur, poſt Ptolemæi & Antonini ævum, Bacheia iſtic munera & altaria innotuerunt, & condendo oppido arcique cauſam dederunt: de quibus tamen fama tam vetuſta apud accolas, & opinio à

Sueton. Domitia. cap. 7.

De vita Apollon. lib. 6. cap. 17.

patribus ceu per manus accepta, non planè de nihilo habenda videtur. Quis enim aliàs durum ruſticumque hominum genus, quos verè petrones rupiceſque dixeris, ſubornaſſet, ut nobis perſuaderent (quod ipſi quidem firmiter credunt) extare prope ripam ſuam in Rheni alveo ſaxum ingens quadratum, & ferè in aræ modum à Natura efformatum? quod etſi undâ ferè ſemper tegitur, tamen per intentiorem Solis æſtum aliquando deficiente flumine retegatur: quæ res ut certum ſignum præbet optatioris vindemiæ, vinique maturioris ſolito & meracioris; ita ſolitos veteres, pagana ſuperſtitione imbutos, quando id eveniebat, conſcenſo illo ſaxo Libero patri ibi ſacra facere: inde BACCHI ARAM dictam (ipſi *Altaris ſaxum* hodieque vulgariter vocant) quavis ſponſione contenderint. Quid ſi ſciſſent, ejusmodi crepidines, eminentias, ἐξοχὰς, ſaxa in mari protuberantia, antiquè *Aras* dictas? Virgilius ipſe docet:

Der Elterſtein.

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, ARAS.

Et pluribus probat divinus ille Scaliger, ad Auſonii illud:

Auſon. lect. 11. c. 22.

Deſertus vacuis, ſoliſque exerceor aris.

Ut ſic eſſet illa in Rheno ara Baccho ſacra: non quod alii putarunt, aliqua in monte, qui fanum S. Wernheri (fuit is puer Chriſtianus ab improbis Judæis clanculum nefariè interfectus & excarnificatus) ſuſtinet ara vel delubrum Baccho poſitum.

Gefeurter wein. Feuerkammern.

Sed quidquid ſit de loco, ipſe quidem vitium fructus ſuccusque racemorum nectareus, nec niſi fatuo palato diſplicere ſuſtinens, præſertim ubi igne in cameris (novâ arte) paululum domitus fuerit, ut cum patre ſuo πυρογενὴς verè dici poſſit, digniſſimam Lyæo ſobolem vel ſine notoribus ſe abundè probat. Calluit, quid illa poſſet, magnus Princeps; ſi vera ſcribit Æneas Sylvius, tunc Epiſcopus Senenſis, de Wenceslao Rege: *Norinbergenſes cum hinc jurisjurandi religionem vererentur, inde vim Palatini timerent, legatos ad Wenceslaum mittunt,*

Parallelor. Alfonſ. lib. 11. cap. 16

qui

qui ſe juramento ſolvi petunt, ac ſi neceſſe ſit, auri viginti millia nummûm in eam rem offerunt. Rex auditis legatis, liberos Norinbergenſes dicit, ſi currus quatuor tradant onuſtos vino, quod Bacharacenſe vocant, hoc eſt inter Rhenenſia vina (ut putant) optimum. Nec plura addo, ne vini laudibus arguar quod olim Homerus.

Neque etiam prætereundus nobis, inter Rheni munera, inſignis ille laudati ſaporis piſcis, & (ut Auſonii de illo verbis utar) *dubiæ facturus fercula cœnæ*, quem *Rheni advenam civem* Fortunatus ſignanter vocat: civem quidem, quod plurimus in eo habitet, & capiatur; advenam verò, quod alibi natus, & ab Oceano illuc advenerit. Marinus enim origine piſcis eſt, & limpidis dulcibusque fluviorum aquis, in quos adverſis niſibus primo vere amat aſcendere, demum miteſcit, & palato arridet (ut cum Martiale dicam) In Moſella.

Æquoreo dulces cum ſale paſtus aquas.

Sed neque in omni mari, ſed in ſolo Oceano reperiri ſalmonem experientia teſtatur. In Mediterraneo ſiquidem mari nullibi viſum aut captum conſtat. Qua de cauſa neque omnibus in fluminibus degit, ſed iis tantum quæ in Oceanum illum defluunt: ut in Aquitania Garumnæ & Dordonæ, in Gallia Sequanæ & Ligeris, in Anglia Tameſis, * in Polonia Viſtulæ, alumnus eſt; ſed ante omnes in Germania Rheno familiaris. Idem Fortunatus de Gogone Domeſtico:

* *Vide Girald. in Hibernia cap. 40. & ſeq.*

Si prope fluctivagi remoratur littora Rheni,
Ut ſalmonis adeps rete trahatur aquis.

Idemque in Idyllio *de Navigio ſuo*, Regum Childeberti & Sigeberti recreationem è piſcatione illa apud Antonnacenſe caſtellum deſcribit: *Lib. x. cap. 12.* Andernach.

Denique dum præſunt Reges in ſedibus aulæ,
Ac menſæ officio prandia feſta colunt;
Retibus adſpiciunt quo ſalmo faſce levatur:
Et numerat piſces, cum ſit in arce ſedens.
Rex favet in menſa, reſilit dum piſcis ab unda.

Atque

Atque animos reficit, quod ſua præda venit.
Ille fauſta videns, hic læta palatia reddens:
Paſcens ante oculos, poſt fovet ora cibis.
Præſentatur item menſæ Rheni advena civis.
Turbaque quo reſidens gratificatur edens.

Et his duobus ferè ſolis, quod ſciam, Auſonio inquam & Fortunato, piſcis ille nominatur. Poſteriores alii *Eſocem* dixerunt, & poſtremi *Exotum*, & *Iſicium*. Denique in Gloſſario veteri Anglo-Saxonico lego: *Iſicius vel Salmo, Lex.* Quo nomine nos eum appellamus tum demum, quando ſub Autumni tempus relictis fluviis iter ſuum ad Oceanum relegit, quo quidem captura ejus uberrima eſſe ſolet. In Palatinatu ſanè utroque tempore ea non deeſt; cum ſalmones non ſolùm in Rheno certis gurgitibus collecti deprehendantur, ſed etiam in Nicrum, adeoque dulces rivos Nicro illabentes, aquæ dulcedine allecti, frequentes penetrare ſoleant.

Salm. Lachs. Salmen grunde.

Sed quid dicemus de alio Rheni ſive cive ſive hoſpite? quem Ancoraginem nominat apud Caſſiodorum Senator: *Privati eſt habere quod locus continet: in principali convivio hoc decet exquiri, quod viſum debeat admirari. Deſtinet carpam Danubius, à Rheno veniat ancorago, exormiſton Sicula quibuslibet laboribus offeratur, Brutiorum mare dulces mittat acernias, ſapori piſces de diverſis finibus afferantur.* Si conjicere licet, nomen apud Latinos ei datum putem à moribus, quod anchoræ ritu roſtrum ſolo arenisque infigat: quod eſt ὁρμισθῆναι, à cujus contrario Ἐξόρμιστον illa dicta. Unde Hiſpanis *Porcus Marinus* olim dictus, ut hodie Italis *Porceletto*, quod os habeat porcino non abſimile. Quo pertinet locus Iſidori: *Porci marini, qui vulgo Suilli; qui dum eſcam quærunt, more ſuis terram ſub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium: & niſi roſtrum arenis immergant, paſtum non colligunt.* Quibus verbis præterquam quod Sturionis naturam & morem apertiſſime deſcribit,

Variar. 12. epiſt. 4. *Scalig. lect. Auſon. 1. cap. 26.* *Lib. 12. cap. 6.* Stoer. Gallicè, *Eſturgeon.*

deſcribit, & Marinum porcum in Hiſpania vulgò *Suillo* dictum ipſe Hiſpalenſis teſtatur; confectum eſt, eum ipſum eſſe, qui hodieque in Hiſpania *Solleo* aut *Sulio* (is autem eſt Sturio noſter) appellatur. Rondeletius rei piſcariæ ſcitiſſimus, hunc quoque origine æquoreum, vere ineunte dulces fluvios conſectari; & priùs exiguum, in illis demum ſaginatum, in ſuam illam molem excreſcere; & ipſiſſimum Acipenſerem eſſe docet, illum Romanorum menſis tantopere expetitum & æſtimatum, Plinio teſte: *Apud antiquos piſcium nobiliſsimus habitus acipenſer.* Sed neque is Rheno aut Nicro noſter inſolens, & hoc privilegio notabilis, quod ----*res fiſci eſt, ubicunque natat*, & extra commercium poſitum, ad aulam menſamque Principis continuò deferre piſcatores tenentur. Adeo veluti fatidicè à Martiale dictum, & lex illis data.

De piſcib. lib. XIIII. *cap.* IX.

Lib. IX. *cap.* 17.

Iuvenal.

Xen. 91.

Ad Pallatinas acipenſem mittite menſas:
Ambroſias ornent munera rara dapes.

Verum hæc gulæ iritamenta relinquo; ubi hoc tantum addidero, præter iſta à Natura munera, quiddam etiam diæ rationis & judicii veterum opinione Rheno tributum, dum prolem recens natam Germani ad eum ferebant, clypeoque impoſitam undis committebant, ſi ab his abriperetur, pro adulterina habendam; ſi innataret, verè ſuam. Qua cauſsâ Nonnus ἐλεγχίγαμον agnominat, quaſi judicem vindicemque conjugii: & Nazianzenus, εὐγενέος Ῥήνου κελεύθοις ῥεέθροις. quod Claudianus: *Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.* Sed & hunc deſero, & ad Nicrum tandem revertor.

Lipſius ad German. Taciti

NOVÆ CIVITATIS ET ARCIS

apud Manhemium vetus per Fridericum IIII. Electorem Palatinum fundatæ auſpicia.

CAPUT XIX.

SERENISSIMVS Princeps Fridericus Elector Palatinus, inter cætera laudati Principis munia, quibus jam inde à primis gubernationis ſuæ auſpiciis per omnem ditionem ſuam res divinas humanasque, rite & ordine diligenter procuravit, temporum horum iniquitatem & creperum rerum publicarum ſtatum conſiderans, ad præſidiarium caſtrum excitandum, novum-

m que

que oppidum confluæ undiquaque hominum piorum multitudini recipiendæ, animum adiecit. Eique rei idoneum cumprimis & prope incomparabilem locum conſpicatus ad Rheni Nicrique confluvium, quà vetus & nobile caſtellum, cum pago Manheimii nomine inde à Carolinis téporibus noto, teloneo duplici fructuoſum, piſcatione & venationibus amœnum, hactenus in deliciis longe diu multumque deliberata, & accerſitis artificibus tam aquariæ quàm ædificatoriæ rei peritis, materieque omni neceſſaria [illegible] proviſa, quod felix fauſtumque ſit, X V I I. die Martii anno ſalutis M I Ↄ C V I. bonis avibus arduum & laudabile opus eſt aggreſſus. Pridie enim cum conjuge veneranda, filioque naru majore idem cognomine nuper è Galliis revocato, & lecta procerum caterva eo profectus, ſummo mane in locum operi deſtinatum, jamque in futuræ molis formam ſulcis actis deſcriptum & urbatum, ſe conferens, inque ipſo ripæ extremo, quà virides Nicri undas cæruleo ſinu Rhenus pater excipit, ſup papilionc erecto ſuos congregatos tenens, à ſuperni Numinis invocatione (ſine cuius ope nil recte incipi, nedum confieri didicit) auſpicium fieri voluit. Cum per Evangelii miniſtrum è Pſalmo X L V I. copioſo & appoſito ſermone explicatum ſuit, an & quatenus Chriſtiani, quibus omnis ſpes & ſolida fiducia in Deo, ceu rupe firmiſſima & arce inexpugnabili repoſita eſſe debet, ædificatis munimentis & ſubſtructionibus terra factis, & operibus manuum ſuarum, ſecuritatem ſuam committere debeant: quid item in novis oppidis condendis fundatoribus potiſſimum curæ conſiliique eſſe debeat. Tum calidæ preces ad Deum fuſæ, qui ſurgenti oppidulo pro Eccleſiæ & poſteritatis commodo, ſucceſſum & proſperitatem cœlitus largiri, locumque ſibi propriè votum & dicatum benignè accipere & ſacrare dignaretur. Eo peracto Princeps papilione egreſſus, quamvis imbre largo & ventorum vi procelloſa inſolitum ſtrepente, manum ipſe primus operi admovit; arreptoque ſarculo, circumfuſa & ſpectante prope innumerabili hominum turbâ, ſcrobem quadratam ceſpite abraſo infodit, in quo ſaxum quadrum ſuperne inciſum & excavatum depoſuit, eique imaginem ſui vultus in aur[illegible] expreſſam, cum die & anno rei quæ gerebatur inſcriptum, dulciſſimi ſui nati, ceu amabilis cuiusdam Iuli, manu imponi moxque operculo ad id aptato contegi voluit. Quo facto omnis comitum manus certatim, ceu ſigno dato, ita ut erant palliati gladiisque accincti, & his ipſe Princeps permixtus, ad inſtrumenta foſſoria provide

& vehi-

& vehiculis manuariis (genus eſt una rota volubile, duabus anſis ductile, amplius quàm humeris recipi & geſtari poſſit, materiæ facile quovis provolvens) tantum ceſpitis & terræ arenæque, miro quodam animi ardore & pulcra contentione tam impigre congerere, nihil aut pluvium rorem ſolique lubricum aut ventorum intemperiem morata, ut dicto citius non tantum ſcrobem illum cum ſaxo operiret, ſed verò aggerem & tumultum & non exiguum extolleret & accumularet. Atque ita opere cum bono Deo inchoato, illud deinceps urgendum & perficiendum mercenariis ſeſſorum turmis magno numero collectis traditum & demandatum fuit. Princeps autem cum ſuis in arcem regreſſus, prandio liberaliter inſtructo commilitones ſuos comiter excepit, nec minus ſermonum ingenua ſuavitate quàm flore Liberi, quem producit ea ora inprimis generoſum, benignè recreavit: omnibus ad honeſtam hilaritatem frontem explicantibus, deque cœpto tam laudabili, quod ex veteri formulâ BONUM FACTUM, ſi qua futura eſt, poſteritas gratiore prædicabit, huicce noſtro ævo gratulantibus, nec non nomina ſua ad rei memoriam in charta conſignantibus. Ita vaſa conclamata, & Sole declinante Heidelbergam eſt reditum: nimbis interea & ventorum pertinacibus flabris, & alternantibus nimbis remittentibus. Quod utrumque non neſciis, quantum & hi olim legioni Chriſtianorum Keraunobolæ à Deo precibus impetrati, & illi Conſtantino Magno in prælio cum Tyrannis ancipiti commodaverint, non niſi pro argumento Divini favoris certo, & omine dextro libuit interpretari.

Et ne quidquam vetuſtatis ignoremus, hic eſt ille locus veteris Germaniæ, in barbarico trans-Rhenano quà (Auſonii verbis) *Francia mixta Suevis*, tam nobilis: in quo (neſcio an non ante hunc & alii) Valentinianus certè, cum eius filius Gratianus Alemanos Suevoſque non procul inde ad Nicrum & Lupodunum indigna ſtrage afflixiſſet, quo arctiori ceu compede illos contineret, improbo militum labore munimentum collocavit: quod conſtat oculato teſte & fide digno ſcriptore Ammiano Marcellino, tunc in caſtris Romanis ſtipendia faciente: ut alibi eſt à nobis pluribus expoſitum. Verum Auguſti illius operis, poſtquam exturbatis Romanis ille locus non diu poſtea in Francorum jus rediit, Theodeberto & Sigiberto potiſſimum Auſtralis Franciæ potientibus, nullum fere hodie veſtigium ſupereſt; niſi quod eo nonnunquam vetuſtatis tenues reliquiæ, & numiſmata vilia hodieque reperiun-

Lib. XXVIII. vide 1. Orig. cap. 4.

tur, & lapis vetus fabrè ſculptus ibidem erutus, nunc puteo ante Curiam aptatus cernitur, reconditam paganici ſacrificii (TAVROBOLIUM illi vocabant) memoriam repræſentans. Quæ utut habeant, nos quidem iſta non paullo melioribus (ut credimus) auſpiciis orſa poſteritatis memoriæ hiſce commendamus. Ille enim ut per injuriam vexaret quietos & innoxios, regendi cupiditate alieno ſolo jugum imponere tentavit. Nos ut avitam libertatem tueamur, & religionem ſinceram poſteris illibatam conſervemus, ut à meditullio Germaniæ vim omnem externam avertamus, verumque pro aris (ut dicitur) & focis neceſſariæ defenſionis & ſecuritatis ergo nidulos nobis in noſtro coagmentamus. Ille ut antiquis dominis & indigenis profligatis, impium militem & avidos colonos induceret. Nos ut exules pios, aliunde immeritò ceu tempeſtate quadam eiectos, comiter recipiamus, ex pomœriis noſtris hoſpitia nova paramus, ſedesque petitas afflictis & extorribus offerimus & concedimus; Vt commercia omnis generis publico bono juvemus, paſcua & agros vineasque noſtras in plateas & domos, ſæpes & ovilia noſtra in muros & portas commutamus. Vnde ceu in re maximè pia & humanitatis plena, optimeque in publicum conſulta, certum favorem & perpetuum præſidium Dei opt. max. nobis indubitanter audemus polliceri.

Et hæc, quæ conteſtim poſt ipſum actum, cui non tantum αὐτόπτης ſed & συνεργὸς interfui, conſignavi, memoriæ poſterorum invidere nolui. Erit enim (Deo fortunante) etiam Manhemii iſtius novi, ſive quo alio nomine futurum eſt, olim aliquando origo antiqua: de qua reperta, ſi qui tum mea hæc legent, non minus gaudebunt, quàm nos de aliis huiuſmodi vetuſtis, hactenus indagatis & inventis, ſoliti ſumus. Et jam videre eſt non tantum ingentem ambitū civitatis vallo foſſaq; cinctū, ſed & intus minas operum diverſorum, tam publicorum quàm privatorum, præcipuè verò portam perelegantē ad Nicrum ſpectantem cū hac inſcriptione:

Neckher-pforte.

QVOD FELIX FAXIT IEHOVA.
FRIDERICVS IIII. ELECTOR PAL. RHENI DVX BOIARIÆ. ETC. E. VETERI. PAGO. MANHEIMO AD. RHENI. NICRIQ. CONFLUVIUM JVSTA. SPACIOR. DIMENSIONE NOBILEM. VRBEM. MOLITVS VALLO. FOSSA. MURO. CLUSIT. PORTAM. BONIS. CIVIB. APERUIT
ANNO DOMINI MDCX.

Sequitur inſcriptio tabellæ in fundamentis poſitæ.

QVOD FELIX FAUSTUMQUE SIT

FRIDERICVS IIII. Palatinus Rheni, S. Rom. Imp. Archidapifer & Princeps Elector, Dux Boiariæ &c. In notiſs. iſto pugnacis Franco-Sueviæ veteris ſolo, ad Rheni Nicrique confluentes, quo VALENTINIANUS Imp. Aug. vexandis olim Germanis munimentum ſibi celſum & tutum à primis fundarat auſpiciis: quod tamen in Romana poteſtate non perennavit, ſed Francorum juſtioribus armis non diu poſt ceſſit, MANNINHEMI nomine notum, & in jus Palatinum tandem venit: Ipſe haud paullo melioribus auſpiciis, ad ſuam ſuique populi & patriæ tutelam, arcem firmiſs. cum propugnaculis & oppido, de novo à fundamentis extruere cœpit: quibus ipſe ſua manu hancce tabellam unà cum primo imoque ſaxo & ceſpite impoſuit. XVII. die Martii MDCVI.

CHRONICON BREVE CIVItatis Heidelbergæ.

CAPUT XX.

NIHIL eſt quod libentius facerem, quàm in hanc Palatinatus Rhenani metropolin, in qua tota jam quinque luſtra ſatis commodè degens, ætatis meæ ἀκμὴν omnem Palatinis miniſteriis impendi, plura interim, per Dei gratiam, ſecunda quàm adverſa expertus, ſcriptis etiam meis quàm ornatiſſimam & celeberrimam reddere poſſem. Quæcunque igitur geſta memorabilia eius expreſſam mentionem habentia, extra res Palatinas ordinarias, apud idoneos ſcriptores hactenus velut aliud agens reperi, ea licet non adeo multa hoc capite collecta in medium conferam; ab eo potiſſimum tempore, quo Bavari Duces adquiſitam per connubium Palatinam iſtam ditionem tenuerunt.

MCCXXV.

Ludovicus Dux Bavariæ Ottonis Palatini Witelſpacenſis F. à Friderico Imp. Palatinatum Rheni conſequutus, caſtrum & burgum Heidelberg, & comitatû Stalbuhel, ab Epiſcopo & Capitulo Wormatienſi, pro ſe filioque ſuo Ottone, & Agnete Palatina ejus uxore de novo in feudum accepit. *Vide Origin. parte 1. cap. 10.*

MCCXXXV.

Henricus Rex Friderici II. Imp. F. contra patrem criſtas erigens, ab illo in ordinem redigitur, & captus Wormatiæ primùm, dein

 Heidel-

Heidelbergæ cuſtodiendus traditur Ottoni Ludovici F. Palatino, credo ut Cæſaris judici. *Idque eſt annotatum a Mathæo Pariſ. [illegible] ſol. 401. Trithemio in Chronico Hirſaug. Bruſch. de Epiſc. Worm. p. [illegible]*

MCCLXXXVIII.

Rudolfi Regis tempore facta eſt maxima aquarum inundatio, qua major non fuerat viſa à viventibus. Heidelbergæ multi ſunt ſubmerſi, & eodem anno civitas ſuccenſa eſt. In Trajecto ſuperiori in proceſſione ſolemni fractus eſt pons, & plus quam tre[illegible] homines ſunt ſubmerſi. Simile contigit Francofordiæ in ponte Mogoni. Ratisponæ etiam cathedralis eccleſia totaliter combuſta eſt: & Lubekæ ſimiliter die ſancti Barnabæ. *Ita habet Chronicon* M. S. *Monachi cujuſdam Saxonis, deductum ab O. C. uſque ad annum* MCCCCCXXIII. *in Biblioth. Palat.*

MCCLXXXVIIII.

Sequuta eſt transactio inter Ludovicum Palatinum & civitatem Heidelberg ſuper petitione (quam vocant) ad cccc. libras Hallenſes. Cuius tenor fuit talis: *Nos Scultetus, Scabini ac univerſi cives in Haidelberch, tenore preſentium profitemur, quod cum [illegible] noſter Ludovicus illuſtris Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ, [illegible] defectibus, quos ſuſtinuimus, hanc nobis gratiam fecerit, quod [illegible] Beati Martini &c. in ſubſequenti termino propetitare* * *[illegible] de quadringentis libris Hallenſibus ſtare vult contentus: nos e[illegible] promittimus per preſentes, quod ei eandem ſummam [illegible] annis ſingulis in dicto termino perſolvamus, dantes ei [illegible] p-tum. Dat. Haidelberch anno Dom.* MCCLXXXIX. XVI. *Kal. Maii.* Appenſum eſt ſigillum in cera flava, habens aquilam uno capite, cum litteris: SIGILLUM CIVITATIS HAIDELBERCH.

* Die Beed. *vulgo.*

MCCLXXXXII.

Minera auri apud Heidelberg invenitur. *Annales Dominicanorum Colmar. editore Urſtiſio.*

MCCCXXX.

Paullo ante Wiclevi tempora Eckardus Dominicanus Heidelbergæ damnatur hæreſeos. *De quo Trithem. in d. Chron. Hirſaug. [illegible] in Hiſtor. Eccleſiaſt. pag. 59.*

MCCCLXXVI.

Sub Vrbano PP. & Wenceslao Imp. fundata eſt Academia Heidelbergenſis, Germanicarum antiquiſſima, à Ruperto ſeniore. *Vide Trithem. d. loco. Iac. Wimpheling. in epit. German cap. 12. & 16. Irenic. lib. XI. Munſter. lib. III. cap. 352. Denique orationem elegantem de ea [illegible]*

[illegible]

liarum D. Georgii Sohnii.

MCCCCXIIII.

Imp. Sigiſmundus fuit Heidelbergæ apud Ludovicum Electorem, de qua re ita habent acta Vniverſitatis: ANNO Domini MCCCCXIIII. in profeſto Nativitatis B. Mariæ Virginis, in meridie vel quaſi, Dominus Sigiſmundus Rom. Rex ſemper Auguſtus, & Vngariæ &c. Rex per modum infra ſcriptum receptus eſt à Clero, Vniverſitate & populo. Primò populus Heidelbergenſis exivit portam S. Petri cum candelis, viris & feminis eum ſuſcipiens. Decanus, Cuſtos Capitulum & Clerus opidi cum religioſis ante portam prædictam ab intra eum ſuſceperunt, Decano portante crucem auream, Cuſtode certam monſtrantiam, & ſeniore Canonico, eodem modo ſub porta dato oſculo. Regi cum cruce de equo deſcendenti cantores collegii cœperunt alta voce, *Advenisti desiderabilis* &c. Quo finito inceperunt Reſponſum: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, continuando uſque ad Eccleſiam S. Spiritus. Qui Rex Eccleſiam pro tunc non intravit, ſed caſtrum aſcendit cum domino Duce Ludovico: qui hora veſperarum deſcendentes veſperis interfuerunt apud S. Spiritum. Veſperis finitis pro tunc Decanus Theologiæ Doctor in conſpectu Regis, Vniverſitatis & totius cleri fecit collationem ſolemnem, pro themate ſubſumens; *Regem honorificate*: in fine Vniverſitatem & Collegium Regiæ Majeſtati recommendans.

MCCCCXV.

Balthaſar Coſſa, in ſchiſmate Johannes PP. XXIII. dictus, à Concilio Conſtantienſi depoſitus, Heidelbergam primo, deinde Manhemium in carcerem ducitur. *Ita in ejus vita notarunt Platina, Maſſonus: & Chronicarii alii, Trithem. in Hirſaug. Chron. Belgicum fol. 353. Aventin. fol. 610. Fulgoſius lib. VI, Exemplor. cap. ult. Vide & Philipp. Camerar. lib. 1. ſubſecivar. cap. 67.*

MCCCCLXII.

Fridericus I. Pal. Elector victis captisq; apud Seckenheim tribus Principibus, ſibi inique adverſantibus, triumphans eos Heidelbergam duxit, & pro merito tractavit. *Vide Trithemium in ejus geſtis, & quæ ibi plura annotavimus, ad pag. 36.*

Philippo

MCCCCLXXXI.

Philippo regnante ſolennitas panegyrica Torneamenti (quod vocabant) ſive haſtiludiorum & decurſionum equeſtrium, Heidelbergæ celebrata fuit. *Quæ deſcripta extat ſuo loco, in libro vocato Turnierbuch.*

MCCCCLXXXVIIII.

Maximilianus Rex Heidelbergam tranſivit, Philippum inviſens. Exceptus ibi oratione Pallantis Spangel Theologi, nomine Univerſitatis: *quam recudendam curavi Tomo II. Rer. Germanic. fol. 221.*

MDII.

Convocatio fit Principum, mandante Maximiliano Rege, apud Heidelbergam ſub eodem Philippo, contra Ligam Sotulariam (ut dicebatur) ruſticorum, quibus eſt juſtis armis occurſum. *Trithem. in Chron. Hirſaug. ſecundæ compoſitionis Tom. II.*

MDXLVIII

Carolus V. hîc fuit cum Friderico II. Com. Pal.

MDLXII.

Maximilianus II. Imp. hac tranſiit menſe Decembri, poſtquam Francfurti coronatus fuit Rex Romanorum, & quidem cum patre Ferdinando, exceptus á Friderico III. honorificè: erga quē viciſſim humaniſſimum ſe præbuit. Secundò Anno MDLXX. è Comitiis Spirenſibus huc venit, una cum tribus Electoribus Eccleſiaſticis, menſe Septembri.

MDLXXII.

Henricus Valeſius Dux Andegavenſis, Caroli IX. Regis Galliarum frater, à Polonis ad regnum vocatus, in itinere hac tranſiit & Fridericum III. Electorem inviſit: inde in Poloniam brevis Rex futurus contendit.

Digitized by Google

K. 185.

Digitized by G